INTRODUCTIO
AD
VITAM SERAPHICAM

PRO

FR. NOVITIIS, CLERICIS ET JUNIORIBUS PATRIBUS
ORDINIS FRATRUM MINORUM S. P. FRANCISCI.

AUCTORE

P. FR. GAUDENTIO

EJUSDEM ORDINIS EX-DEFINITORE GENERALI.

EDITIO SECUNDA REVISA ET AUCTA.

TOMUS PRIMUS.



AD CLARAS AQUAS
PROPE FLORENTIAM
EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

1899.


ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
MŰEMLÉK KÖNYVTÁR
GYÖNGYÖS

FACULTAS

Reverendissimi P. Ministri Generalis.

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

Strictioris Observantiae

Sancti Patris Nostri Francisci

jam S. Theologiae Lector, Venetae Provinciae Ex-Minister,

Ex-Procurator Reformatorum,

Totius Ordinis Minorum Minister Generalis,

et humilis in Domino servus.

DECRETUM.

Librum cui titulus « *Introductio ad vitam Seraphicam* » ab Adm. Rev. P. Gaudentio Guggenbichler, Nostrae Ref. Franciscanae Provinciae Tirolensis S. Leopoldi filio, et Generali Ordinis Definitore, pie et diligenter adornatum hisce Nostris litteris adprobamus, atque ut typis in publicam lucem edatur facultatem, quantum ad Nos spectat, adjuncto salutaris obedientiae merito, facimus; etiam atque etiam praefatum librum, potissimum Novitiis, Clericis, et junioribus Sacerdotibus Ordinis Nostri, commendantes.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 21 Aprilis an. 1882.

Fr. Bernardinus,
Minister Generalis.

(L. ✠ S.)

De mandato Patern. Suae Reverendissimae
Fr. Aurelius a Decimo,
Secr. Generalis Strict. Observ.

IMPRIMATUR

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 12 Novembris 1898.

Can. MAXIMILIANUS NOVELLI, *Vic. Glis.*

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Datum Claris Aquis, die 17 Novembris 1898.

Fr. ALOYSIUS LAUER, *Min. Glis.*

SERAPHICO PATRI

SANCTO FRANCISCO

SEPTIMO AB EJUS NATIVITATE

SAECULO RECURRENTE

HUNC LIBRUM

IN BONUM SERAPHICAE PRAESERTIM JUVENTUTIS

ADORNATUM

DEVOTO ANIMO

DEDICAVIT, CONSECRAVIT, COMMENDAVIT

AUCTOR.

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM.

Benevolo Lectori.

Norunt omnes, quibus quantisque documentis zelo ac pietate flagrantibus Summus Pontifex Leo XIII. hactenus institerit, ut Clerici, quos ad populi fidelis exemplum atque institutionem Ecclesia postulat, doctrina ac sanctitate morum imbuantur, et in Ecclesiastica disciplina sancte perseverent. Inter omnes gloriosi Pontificatus sui curas, hac certe vix ulla major elucet. Jam iterato Ecclesiae Praesulibus hanc sollicitudinem suis Epistolis Encyclicis atque Allocutionibus impense commendavit. Attamen audire juvat quae disertissimis verbis Summus Pontifex hac super re loquitur in ultima Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae data (15 Febr. 1882): « Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quodsi Episcoporum est, plurimum operae et studii in fingenda probe omni juventute ponere, longe plus ipsos elaborare in Clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adjutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri. — Causae profecto graves, et omnium aetatum communes, decora virtutum multa

et magna in Sacerdotibus postulant: verumtamen nostra haec aetas plura quoque et majora admodum flagitat ». — Dein Summus Pontifex ostendit, quam necessaria sit praesertim nostris diebus Sacerdoti exquisita et varia doctrina, virtus ac pietas bene fundata, et concludit sequentibus verbis: « Atqui ad hujusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens: non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur ».

Quis non videt, haec Summi Pontificis et Christi Vicarii hortamenta ad Superiores etiam Regularium Ordinum, ad Lectores et Clericorum Magistros spectare, eaque semper prae oculis habenda et adimplenda esse, quum ex juvenum accurata educatione et disciplina praecipuum Ecclesiae bonum et singularum Provinciarum profectus et totius Ordinis decus derivetur?

Et hic peropportune accidit dicere, Rmum Ministrum Generalem, P. Bernardinum a Portu Romatino, in bino sui regiminis Sexennio non solum per litteras ad omnes Ordinis Provincias datas, in hujusmodi officii partibus explendis praeclarum suae voluntatis specimen exhibuisse, sed etiam in sacra singularum Provinciarum visitatione omni ope rem fructuose promovisse: nec sine plurima grati animi nostri jucunditate exprimere possumus, eum nil aliud etiamnum exoptare, quam ut juvenes nostri novarum plantarum more foveantur, irrigentur seduloque cu-

stodiantur, ne paulatim arescant et in eis fructus, quos optat coelestis Paterfamilias, non inveniantur.

Hoc itaque diuturnum Rmi Ministri Generalis studium ac jugis factorum series, ob quae tanto effusiores in eum laudes cumulantur, quanto clariora uberioraque constant suorum meritorum argumenta: itemque Summi Pontificis verba modo relata, nec non summa rei ipsius, de qua agitur, gravitas, causam et incitamentum huic exarando operi praebuerunt.

Quod attinet argumenta in eodem pertractata: In prima parte tyroni Religioso doctrina de perfectione christiana et religiosa exhibetur, dein communia vitae claustralis fundamenta explicantur. His praemissis, Novitio Clerico impertiuntur notiones Seraphici Ordinis, et sacra Regula cum suis praerogativis ipsi proponitur. Ut autem vera Fratris Minoris et filii Seraphici P. N. Francisci forma in eo reluceat, necesse est, ut quaeque in se vitia exstirpet et virtutes proseminet; et hoc ipsum in Tractatu « de exercitio virtutum et exstirpatione vitiorum » stylo simplici ac perspicuo demonstratur.

In altera parte praeter preces consuetas Novitius Clericus praesertim addiscit eas preces ac pia exercitia, quae Seraphici Ordinis quodammodo propria sunt, et a nostris celeberrimis Patribus semper maxime culta et commendata.

Demum Tibi, benigne Lector, haec pauca sint. Hujusmodi opus pro maxima sui parte ex scriptis editis ineditisque Confratrum nostrorum conflatum est ea ratione, ut in omnibus ejusdem partibus traditio et spiritus Ordinis nostri redolesceret, et sic

a Seraphica juventute plenius hauriretur et conservaretur. Quod a Deo et S. Patre Nostro Francisco ferventer petimus et adprecamur.

Romae, ex Aracoeli, in Festo S. Raphaelis Archang. 16 Aprilis 1882.

P. Gaudentius,
Ordinis Minorum Strict. Observ. S. Francisci
Definitor Generalis.

PRAEFATIO AD SECUNDAM EDITIONEM.

Praesens opus « *Introductio ad vitam seraphicam* » inscriptum in prima editione uno sat amplo volumine in lucem prodiit, in prima parte « *Institutionem Juventutis Seraphicae* ad perfectionem religiosam » continens, in secunda « *Preces ac pia exercitia* ad usum quotidianum ». Additamenta primae ac secundae parti necessario adjungenda subdivisionem operis in duo volumina postularunt, quorum primum quasi theoriam institutionis Juventutis Seraphicae continet, dum volumen secundum praxin seu pia exercitia et preces ad usum quotidianum complectitur.

Rationes ad primam hujus operis editionem moventes eaedem fuere, quae hanc ejusdem operis editionem secundam confirmant. Quapropter supervacaneum duximus hic iterare, quae jam in supra posita praefatione ad primam editionem sunt exposita. Hoc tantummodo notandum venit, in hac prima operis parte non pauca de textu fuisse immutata atque adposita; e. gr. *S. Regula S. P. Francisci ex textu originali* est descripta; — quando sermo est de Statutis Generalibus Ordinis correspondentes numeri ex

novissimis « *Constitutionibus Generalibus* » sunt desumpti; loci allegati ex operibus *S. Bonaventurae*, Doctoris Seraphici, secundum novissimam ejusdem S. Auctoris operum editionem sunt correcti. — Adjecta sunt libro: Additamenta ad articulum « *De Indulgentiis* », de *Via Crucis*, de *Actu heroico charitatis* erga animas in Purgatorio detentas, de *Missionibus*, de *Unione Ordinis* Fratrum Minorum S. P. Francisci, etc. etc., prout videndum ex Indice.

Bulsani, ex Conventu ad Stigmata S. P. N. Francisci, in Festo S. Petri de Alcantara, 19. Octobris 1898.

P. Fr. Gaudentius,

ex-Definitor Generalis Fratrum Minorum.

INDEX TOMI PRIMI.

Pars posterior, seu ea, quae ad dirigendum intellectum pertinent.

TRACTATUS IV.

De exercitio virtutum et de exstirpatione vitiorum.

Caput I.

De mortificatione interna.

Caput II.

De mortificatione externa.

Caput III.

De modestia religiosa.

Caput IV.

Quaedam monita specialia pro vita quotidiana.

Caput V.

De piis exercitiis quotidianis.

TRACTATUS V.

Regulae vitae apostolicae observandae.

Pro Patribus junioribus, qui absolutis studiis theologicis Clericatus Magisterio valedicentes curam animarum suscipiunt.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Pars secunda.

De devotione et ad eam pertinentibus.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Caput IV.



PROOEMIUM.

De educatione et institutione Juventutis Seraphicae.

---

§ 1.

Quantum regulari disciplinae conservandae conferat Novitiorum discreta ad Ordinem receptio et bona institutio [1].

Tot tantaque sunt bona, quae ex conversatione vere Seraphica enascuntur, ut illorum intuitu omnia adhibenda essent studia, nihilque intentatum esset relinquendum, ut exacta Regulae observantia, ubi existit, sarta tectaque servetur, ubi vero fuerit collapsa, in pristino suo restituatur splendore. — Inter media autem, quibus Religionis fervor conservatur, principem sane locum obtinent *discretio in Novitiorum ad Ordinem receptione, sedula in iis educandis diligentia et cura,* atque *debita circumspectio in eorum admissione ad professionem.* Etenim, ut verbis utar S. D. N. Pii PP. IX., sac. memoriae [2]: « Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit, vel servandae, ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis Novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna

---

[1] Ex laudato opere « *Stimulus Seraphicae conversationis* », Auct. Fr. Bernardo van Loo, Ord. S. Franc. Strict. Observ. Exdefinit. Generali. Editio 2. Lovanii 1862. pag. 206-233, quod opus Rmus. Min. Generalis P. Bernardinus a Montefranco pro Ordine Seraphico iterato approbavit ac commendavit.

[2] Decretum « *Regulari Disciplinae* » anni 1848.

vocatione ducti, morum honestate ceterisque dotibus praediti, Religionem ingrediuntur, cupientes Deo servire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex Novitiis enim Religionis bonum vel malum prorsus pendet; quandoquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Quapropter Romani Pontifices et praesertim Sixtus V., Clemens VIII., Innocentius X. et Innocentius XII. saluberrima edidere decreta, quibus leges in admittendis Novitiis servandae constituebantur ».

Cum igitur Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. ab ipsis Pontificatus sui primordiis pastoralis vigilantiae studia convertenda esse duxerit ad Religiosarum familiarum disciplinam totis viribus promovendam, Praedecessorum suorum vestigia sectando, certam stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis Novitiis ad habitum et professionem servari omnino deberet; quamque duobus Decretis complexus est, uno ubique locorum servando, quod incipit: « *Romani Pontifices* », altero autem, quod incipit: « *Regulari disciplinae* », pro Italia et Insulis adjacentibus edito. Ex his Decretis apparet, quantam diligentiam Superiores adhibere debent, ut, antequam ad religiosum habitum postulantes recipiunt, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus inquirant, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium aperiant.

Non igitur indiscriminatim omnes admittantur ad Ordinem, ut jam declaravit Nicolaus III., « *Exiit* », art. 10: « sed illi tantum, qui, suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse Ordini, sibique per vitae meritum ac aliis proficere per exemplum ». Quod etiam confirmat S. Bonaventura (Quaestiones circa Regulam q. X), dicens: « Omnes passim recipere, non expedit nobis, nec Ecclesiae Dei. Non nobis, quia variae sunt conditiones

hominum, qualitates et mores. Multos enim saepe reciperemus imbecilles, qui non possent rigorem Ordinis sustinere; multos pauperes, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitae vivere desiderant nobiscum; multos incompositos moribus, quos vix corrigere ab inolita consuetudine possemus, et per tales dissolveretur Ordinis disciplina et impediretur profectus aliorum... Ecclesiae similiter non expedit; cum sit Ordo ad aedificationem Ecclesiae constitutus, multitudo receptorum magis confusionem induceret, nec de conversione multorum exemplum aedificationis acciperet, sed scandalum, ubi religiositas, excepto solo habitu, nihil inveniret. Tot et tales solum recipi expedit, qui sine onere Ecclesiae pasci possint, et qui valeant Ecclesiae in spiritualibus respondere his, quae ab ea in carnalibus recipiunt pro corporum sustentatione ».

Nec iis concedendus est Religionis habitus, de quorum vocatione fundatum dubium moveri potest, ut constat ex Decreto S. D. N. Pii IX. « *Regulari disciplinae* », ubi legitur: « Eorum, qui religiosae familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores ceterasque necessarias dotes accurate explorent, et sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et *eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit* ». Quae verba satis innuunt, positiva requiri signa vocationis, ut petenti habitus Ordinis concedatur, atque eas omnes Pontificiae et Ordinis constitutiones requirunt. Haec sedulo recogitent Provinciales omnes, et praesertim ii qui, relicto debito examine, indifferenter omnes ad Ordinem recipiunt, unice solliciti ut numerum Fratrum adaugeant, cum potius desiderare deberent in virtute, perfectione et spiritu quam in multitudine Fratrum proficere, quia aeterna veritas dixit: « *Multi sunt vocati, pauci vero electi* » (Luc. 14), et quia S. P. N. Franciscus praedixit, purae observantiae regulari nil magis obesse, quam multitudinem Fratrum inutilium et sensualitati deditorum. Oportet ergo, ut caute procedant Ministri Provinciales, et potius paucos bonos quam multos parum idoneos

recipiant, ne id verificetur quod legitur (Isai. 9, 3): « *Multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam* ».

Verum, si magna requiritur in receptione Novitiorum discretio, non minor exigitur diligentia in iis bene et religiose instituendis; ex recta enim Novitiorum instructione pendet Religionis profectus, sicut prava eorum educatio deformatae Religionis causa et origo est. Hinc Fr. David de Augusta « *De profectu Relig.* » (l. 1. c. 1): « Ideo tot Ordines confunduntur, » inquit, « quia pueriles mentes sibimet dimittuntur sine fraeno retrahente a noxiis, et sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum, aut ex nociva condescensione. Sicut imprudens medicus, qui ne contristet aegrum quem curare deberet, patitur eum nociva comedere, ex quibus gravius et diutius infirmatur ». Et S. Bonaventura « *Determinationes quaestionum circa Regulam nostram* » q. 19, tertiam causam, cur Religiones a perfectione deficiant, indicans, nempe, quod Novitiorum instructores experti non sint: « *quilibet* », ait, « *quae non didicit nescit docere* ».

Observent ergo Novitiorum instructores maximam sui muneris obligationem, de qua S. Laurentius Justinianus (lib. de obed. c. 20): « Magnum supra se pondus arbitror illos ferre, qui introducendorum Novitiorum suscipiunt regimen, si detenti pigritia, sive experientia minus imbuti, aut discretionis virtute privati, eosdem neglexerint arguere, corrigere, erudire, exhortari et nutrire. Vinea quippe spiritualis Domini Sabaoth est inchoantium nova plantatio, quae, ut fructum afferat, solerti est excolenda peritia; nam si inculta remanserit, dilatat quidem palmites suos, sed nulla utique ubertate fecundos. Proinde omni sedulitate exercendi sunt in Religione rudes, ne superfluant, ne torpeant, ne obdurescant ». Ad quod cum magna opus sit discretione, Clemens VIII. in suis admonitionibus de educatione Novitiorum, inter alia ait: « Sit magister Novitiorum sacerdotali Ordine initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae annum constitutus, doctrina et vitae etiam anteactae exemplo praestans; orationis praeterea et mor-

tificationis operibus addictus, prudentia et caritate refertus, non sine affabilitate gravis, zelum Dei cum mansuetudine prae se ferens, ab omni cordis et animi perturbatione, ira praesertim et indignatione, quae in se et erga alios caritatem impedire consueverunt, quam longissime alienus; et talis demum, ut in omnibus seipsum bonorum operum exemplum praebeat, ut ii, qui ejus curae subsunt, illum non tam metuant, quam revereantur, nec illi unquam detrahere quidquam possint ».

Quae autem Instructor Novitios praecipue docere debeat, his verbis expressit laudatus Pontifex: « Curam habeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam; quae vera sit atque perfecta votorum solemnium, et quam necessaria cujusque Ordinis constitutionum observantia; modum in oratione, tum mentali tum vocali fructuose persistendi; illicitas passiones et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi; austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim,... per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium ». Ita Clemens VIII. Novissimae vero Ordinis nostri « Constitutiones Generales » Novitiorum Magistris sequentia praecipiunt:

« Instruantur (Novitii) de doctrina christiana, de vita Sanctorum Ordinis, de natura et obligationibus votorum tum simplicium tum solemnium, de sacra Regula nostra secundum pontificias declarationes, praesertim Nicolai III., Clementis V. et Innocentii XI., de officio divino rite et pie persolvendo, de modo cum fructu confitendi, communicandi, mentaliter orandi et Missae ministrandi. Haec et alia suo statui convenientia diligenter addiscant, ac sanctae orationis et pietatis exercitio maxime incumbant ».

« Auctorum nostrorum documenta aurea, ea maxime, quae libello de profectu Religiosorum et speculo disciplinae continentur, frequenter ipsis ingerantur ». (Const. Genles. nn. 39. 40.)

Praeter haec, studeant Magistri Novitios imbuere spiritu vere Seraphico et magnum eis amorem et existimationem erga Ordinem instillare. Quem in finem eis explicare conabuntur S. Francisci monita et consilia, quae tum in ipsa Regula, tum in variis suis ad Fratres colloquiis reperiuntur expressa, et quorum nonnulla in praefatione hujus opusculi retulimus. Praelegant ipsis vitam S. Francisci et Sanctorum Ordinis nostri; doceant eos varia Ordinis privilegia, praerogativas et honores, et notos faciant praecipuos egregios viros, qui sive sanctitate, sive doctrina, sive praeclaris factis Religionem illustrarunt: ut hac ratione Novitii pro accepta vocatione grati Deo existant, et a teneris excitentur ad aemulanda virtutum exempla, quae a majoribus relicta fuerunt.

Has maximas muneris sui obligationes saepius recolant Magistri Novitiorum, recogitentque, quam strictam Deo reddituri sint rationem, si eorum culpa et negligentia Novitii non fuerint in Regulae intelligentia instructi, si in disciplina regulari, in passionum mortificatione, vitiorumque expugnatione, virtutum praxi et perfectionis scientia non fuerint exercitati et exculti. Omni proinde die suos convocent Novitios, Regulam ac « Speculum Disciplinae » Bonaventurae tributum, sed potius ab ejus socio, Fr. Bernardo de Bessa exaratum explicaturi, illis in omnibus consuetis exercitiis assistant, eaque omnia praestare studeant, quae Clemens VIII. in memorato Decreto tam graviter inculcat. Quum autem laudatus Pontifex inter alia commendet, ut Novitii internos animi motus Instructori suo aperiant, eique cor et tentationes manifestent: sciant Novitii id quam maxime ad eorum spiritualem profectum conducere. Quapropter, ait P. Gaudentius Kerckhove, Magistro suo se totos prodant, et sub sigillo confessionis, vel secreti, vel quacunque ratione eis placuerit, universa cordis secreta candide ape-

riant; scilicet quomodo defectus superent, pravos affectus mortificent, tentationes vincant; cujus virtutis amor eos maxime teneat, quae studiosa exercitatio delectet; quem gradum spiritualis profectus attigerint; quem modum servent in orando et meditando; quas experiantur consolationes in oratione; quanta attentione aut evagatione mentis Psalmos recitent; quo genere afflictionis carnem edoment; quid ipsos a profectu magis retardet; quid tandem in anima malum est aut bonum, laetum aut triste, totum detegant Magistro spirituali, ita ut ei ipsorum conscientia sit omnino aperta, clara et detecta. Nam, ut ait Cassianus (*Collat.* 2. c. 10): « Tamdiu daemonis suggestiones noxiae dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde; illico enim ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus, velut e tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit ». Econtra, ait Salomon (Prov. 28): « *Qui abscondit scelera, non dirigetur* ».

Quae hucusque delibavimus de Novitiorum necessaria educatione in instructione, non tantum de Novitiis Clericis, sed etiam de Laicis intelligenda sunt. Quum hi quoque veri sint Religiosi, profitentes tria vota essentialia et observantiam Regulae, sicut alii Fratres Clerici, hinc recte ordinavit Clemens VIII., eorum religiosam instructionem non esse praetermittendam, quin potius aequanimiter amplexandam: « Quando, quidem », ait Pontifex, « satis exploratum est, istorum etiam, cum Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christi fidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre ..., illi Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum et Conventuum, juxta cujusque Ordinis statuta et constitutiones subditi esse et obedientiam praestare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate et commoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt;

quod ut commodius fiat, ad Capitula et spirituales conciones accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant ». Ita Pontifex. Imo putat Peyrinus (tom. 2. q. 1. c. 5. n. 13) majori cum studio procurandam esse Laicorum quam Clericorum bonam institutionem: quippe qui liberius et frequentius tractant cum saecularibus, vacant occupationibus valde distractivis, communiter sunt moribus rudiores, et majoribus subjacent periculis, nisi in perfectione multum sint radicati. « Nescio tamen », ait praefatus auctor, « quo incantamento ita eorum negligatur cura in Religionibus ». Et subdit: « Studeat eos Superior bonis imbui moribus; sermonibus de disciplina regulari, de observantia et intellectu Regulae abesse non permittat. Inculcet saepe illis fidelitatem promissam vel promittendam; moneat eos mortaliter peccare, si fuerint negligentes in ministeriis, ad quae fuerint deputati; ad hoc enim recipiuntur in Religionibus; unde si sint negligentes, fraudant Religionem. Et ante omnia vigilet, an singulis hebdomadis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta recipiant ». Ita ille.

Quandoquidem de institutione et educatione Novitiorum sermo est, hoc loco quaedam dicenda sunt de instructione juvenum professorum. Quoad hoc novissimae Constitutiones Generales praescribunt: « Emissa professione votorum simplicium, Fratres clerici ad studia promoveri debent, et quidem in Conventibus, in quibus regularis observantia perfectius viget ».

« Clerici tum simpliciter tum solemniter professi et Sacerdotes studentes sub regimine Magistri, in Capitulo vel Congregatione instituti, manebunt, qui studiose eos instituat curetque, ut a consortio ceterorum Fratrum arceantur, et in timore Dei et in observatione omnium, quae Domino promiserunt, contineantur, ac in spiritu in Novitiatu concepto magis magisque confirmentur ». (Const. Genles. nn. 76. 77.)

Haud immerito tanta ab Ordine geritur cura, ut non modo Novitii, sed vel maxime recenter professi religiose instituantur, ut hac ratione solidis imbuantur virtutum habitibus,

et in bono spiritu regularisque disciplinae observantia stabiliantur et confirmentur. Ex eorum bona vel mala educatione pendet vel Religionis splendor et primaevus fervor, vel ejusdem omnimoda et deploranda auri optimi obscuratio. Quae enim de Novitiorum necessaria institutione diximus, eadem noviter professis a fortiori sunt applicanda. Quid enim juvabit Novitios recta docere et virtutum dispositiones introducere, si per frequentationem actuum non fiant habitus virtutum? Et quid juvabit aspera et dura Novitiorum educatio et vigilans circa ipsos Magistri inspectio, si mox ut professi sunt jugum excutiant et sibi dimittantur? Licet enim Novitius sit a principio ferventissimus ad jejunia, ad quietem, ad observantiam et ad quaecunque cetera bona, paulo post, extincto eo fervore, si nullum habuerit sibi invigilantem gubernatorem et ad perfectiora consiliatorem, qui extinctum ignem suscitet et accendat, desiccatur et cadit, ac demum destitutus, ab hostibus suis captivus trahitur, qui, ut voluerint, grassantur in ipsum; et sic, ait S. Bonaventura: « *Puer, qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam Religionem* ». Nam planta, quae radices non fixit, facile evellitur; domus, quae supra petram non stabilita fuerit, primo ventorum impetu corruet; virtutis semina, etiamsi in terram bonam jactata, si non colantur, si non custodiantur, ex naturae impetu herbis noxiis suffocantur, et inimici astu perniciosis zizaniis implicantur. Ideo Constitutiones Generales sapienter instituunt Magistros tam Juvenum quam Laicorum. (Constitutiones Genles, nn. 77. 624.)

Praesenti tractatiunculae de institutione Novitiorum et juvenum professorum finem haud imponere possumus, quin verbum dicamus de summi momenti conditione, quae ad religiosam educationem prorsus necessaria censenda est. Scilicet, non sufficit ut Novitii et juvenes educandi magistrum habeant numeris omnibus absolutum, sed insuper requiritur, ut ante oculos non habeant nisi exempla virtutum et disciplinae vere regularis, ac proinde in talibus collocentur Conventibus, in

quibus vigeat omnimoda observantia Regulae, Constitutionum, Decretorum Apostolicorum, praecipue vero accuratae vitae communis.

Praeterquam quod ipsa ratio id sufficienter evincat, Summi Pontifices a Clemente VIII. ad haec usque nostra tempora omni cura atque sollicitudine hoc necessarium observantiae adminiculum executioni mandare studuerunt. Clemens VIII. relaxatae disciplinae Religionibus omnibus Novitiorum ad habitum receptionem prohibuit; et quaedam coenobia ad propriae Regulae praescriptum reformata deputavit, in quibus juvenes religiosa veste induendi acceptarentur, variaque statuta servanda imposuit. Clementis VIII. decreta novis diplomatibus confirmarunt ejusdem successores, Paulus V., Innocentius X., Alexander VII., aliique fere omnes ad haec usque tempora. Constitutionis Innocentii XII., die 18. Julii 1695, hac de re emanatae, verba transcribere juvabit: « De mandato Sanctitatis Suae praesentis Decreti tenore denuntiat omnium et singulorum Ordinum regularium (iis duntaxat exceptis, qui in praefatis Clementis VIII. Decretis excepti[1] reperiuntur) Superioribus tam Generalibus quam Provincialibus, quocunque nomine nuncupentur, ceterisque ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam et Insulas adjacentes quam pri-

[1] Quamvis hoc et similia Clementis VIII. pro reformatione edita decreta ad solam « *Italiam et Insulas adjacentes* » fuerint directa, inde tamen nemo concludere praesumat, ea, quae pro recta Novitiorum et professorum institutione et educatione in eo praescribuntur, in aliis locis non esse servanda. Praeterquam quod ea, quae Clemens VIII. statuit, rectae rationi atque tum naturali tum divino juri consentanea sint, satis notum est, ideo Decreta ad solas religiosas familias communis Observantiae in Italia existentes fuisse directa, quia aliis in locis et praesertim in Institutis strictioris Observantiae communiter servabantur ea, quae in iis praescribuntur. Juxta memorata igitur Decreta ubique regulanda est Novitiorum et Professorum institutio; ea enim mentem Ecclesiae exprimunt, et ob hanc rationem recte a P. Kerckhovio jugiter invocantur, dum in suis commentariis super Statuta de educatione Novitiorum et Professorum tractationem instituit.

mum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulae, Constitutionum uniuscujusque Ordinis, et Decretorum Apostolicorum, praecipue vero exactae vitae communis ad formam eorundem Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii et professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandae. Postquam vero regularem observantiam, et signanter quoad exactam vitam communem cum effectu stabilitam fuisse, tum ex eorundem Superiorum Generalium seu Provincialium relatione, quam praepositi et fratrum in praefatis Conventibus degentium jurejurando firmato testimonio, necnon per secretas informationes, atque etiam ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, eidem Sacrae Congregationi sufficienter constiterit, tunc Sanctitas Sua ante dictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibi recipiendi benigne concedet ».

Summi igitur Pontifices observantiae regulari conservandae aut restituendae necessarium duxerunt, ut Novitii et juvenes professi in iis dumtaxat educentur Conventibus, in quibus vigent perfecta vita communis atque stricta Regulae observantia, et in quibus ii tantum collocentur Religiosi, qui sint graves, devoti, exemplares, puritatis Regulae studiosi, orationi praesertim ac mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, addicti [1]. Superiorum igitur est observantiae

---

[1] Clarissimus Prosper Fagnanus (in 2. p. 3. Decr. cap. Cum verum n. 50) amare deflet, tam efficax remedium hominum imbecillitate temporumque calamitate optatum effectum assequutum minime esse. Alterum vero obstaculum, quod saluberrimae medicinae fructum impedivit, idem Fagnanus describit (loco laudato n. 48), ubi ait: « Verum ex his Decretis prorsus non prodiit fructus qui sperabatur. Nam etsi Novitii primo in Conventibus sic designatis, ac deinde in professoriis in regulari disciplina probe instituantur; tamen postea inde exeuntes, et ad alia monasteria laxioris Observantiae demigrantes, in communes aliorum Religiosorum abusus et relaxationes incidunt ».

hujus Constitutionis sedulo invigilare, atque etiam per secretas informationes perquirere, utrum Conventus educationi Novitiorum et juvenum professorum deputati requisitas conditiones habeant. Quodsi eos tales esse non compererint, caveant, ne crudeli misericordia receptionem Novitiorum indulgeant: « Minus enim est malum », ait S. Bonaventura [1], « non esse Religiosos vel nomine vel habitu, ubi non vivunt sicut Religionis forma requirit, quam ut sint, et per vitam eorum perversam alios scandalizent. Sicut melius est lucernam non esse in domo, quam esse ibi tantum foetidam et non lucentem ». Et alibi: « Melius est ibi non esse Religiosos, ubi non possunt vel non volunt vivere ut Religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandalizantur [2] ».

§ 2.

Quanta opus sit circumspectione in admittendis Novitiis ad Professionem.

Delibatis iis, quae ad receptionem et institutionem Novitiorum spectant, reliquum est, ut de discretione adhibenda in iis ad Professionem admittendis quaedam perstringamus.

« Judicium de Novitio ad Professionem admittendo, ait P. Albertus a Bulsano [3], majoris est momenti quam illud de eodem recipiendo. Hoc enim emendari potest, illud reparari nequit (praesertim si de votis solemnibus [4] agatur). Magna ergo circumspectione ac prudentia procedere debent illi, quibus

---

[1] Opusc. « *Determinationes quaestionum circa Regulam S. Francisci* » q. X.

[2] « *De sex alis Seraphim* » c. VII.

[3] Expositio Regulae Fratrum Minorum p. 64.

[4] Quae praesenti Documento dicemus de cautela adhibenda in admittendis Novitiis ad Professionem, non tantum de votis solemnibus intelligenda sunt, sed etiam de simplicibus. Vide Decretum « Regulari disciplinae ».

officium incumbit, ut per vota sua decernant, an Novitius ad Professionem admittendus sit necne. Mortaliter sane peccant, qui votum suum vel digno denegant, vel indigno tribuunt. Primi magnam committunt injustitiam tum contra Religionem, quam idoneo membro et magno decore privant, tum contra Novitium, cujus jus, quod ad Professionem habet violant, salutemque aeternam maximis discriminibus exponunt. Secundi maxima inferunt damna sibi, quia se participes reddunt omnium Regulae transgressionum ab indigno patrandarum; Religioni, quae per membra inutilia, inordinata et noxia maximopere inhonoratur; ac ipsi Novitio, quem ad statum promovent, in quo gravius peccat et horribilius damnatur. De his bene Mauburbus ait: ‚Aliqui non timent in sepulchro claustri nondum modo mortuos sepelire, quorum postea foetore tota corrumpitur Religio. Opus caritatis est, mortuos, non vivos sepelire‘ ».

Ut igitur in tanti momenti negotio debita adhibeatur cautela, et norma quaedam praebeatur iis, quibus suffragium dare competit, opportunum judicavi regulas quasdam ex probatis auctoribus afferre, secundum quas prudens possit formari judicium.

Ut Religiosi, dum vota ferunt, recte discernant, an Novitius ad Professionem admittendus sit necne, sequentia ponderanda docet laudatus P. Albertus a Bulsano quoad morum probitatem et corporis sanitatem.

« Ad dijudicandam, ait, morum probitatem, in Novitio maxime necessariam, sine speciali revelatione divina certitudo infallibilis haberi nequit, sed tantum moralis, quae a signis externis, seu ab exteriori Novitii conversatione desumi potest. Si enim Novitius sit in officiis suis diligens, in conversatione modestus, in loquendo cautus, in Ecclesia devotus, in oratione assiduus, ac praesertim ita humilis, ut etiam correctiones bono animo suscipiat, et si talem se per longius tempus ostendat, dignus sane censendus est qui ad Professionem admittatur. Quid autem faciendum erit, si morales defectus in Novitio ob-

servantur? — Cum magna tunc prudentia et discretione procedendum est. Triplicis generis defectus distinguere oportet. Dantur enim defectus, qui ex humana infirmitate, ex inadvertentia, aut ex quadam negligentia oriuntur, uti e. gr. error in legendo, levis impatientia, modica locutio tempore silentii, omissio alicujus accidentalis caeremoniae, etc.; isti defectus corrigi quidem debent, sed Novitium S. Professione indignum haud reddunt. Dantur vero et alii defectus, qui licet in se leves sint, tamen cum deliberatione committuntur, et ex quadam non recte mortificata passione progignuntur; quales sunt, si quis oculos huc illuc, et praesertim ad feminas convertat, socios suos lacessat et male tractet, extra refectionem manducet et bibat, ex horto fructus surripiat, etc. Isti defectus, si saepius, etiam post factas correctiones, repetantur, haud parvi pendendi sunt; sed si judicio prudentum malignam quandam passionem in corde Novitii dominantem indicant, gravem rationem praebent hunc S. Professione indignum declarandi; de tali enim Novitio jure timetur, quod per malam passionem suam, quam ne in anno quidem probationis mortificavit, in majora usque mala praecipitetur, quoniam ‚*si in ligno viridi haec faciunt, in arido quid fiet*‘? (Luc. 23). Dantur denique defectus graves, qui magnam cordis corruptionem manifestant, et tales committuntur ab illis, qui Superioribus suis praefracte obedientiam denegant, vel aliis atroces injurias inferunt, vel ob injurias acceptas diuturnos rancores et odia ferunt, vel graves murmurationes, detractiones et calumnias spargunt; vel potum immodice amant, vel per inhonesta verba aut gesta lasciviam suam produnt, etc.; de hisce dici potest: ‚*Pedes eorum in malum currunt*‘ (Isai. 59); et ideo ad S. Professionem admittendi non sunt, nisi constet quod ex improvisa tantum occasione in tales defectus ceciderint, vel quod manifesta de illis emendatio secuta fuerit.

« Quod ad *sanitatem corporis* spectat, admittendi ad Professionem non sint valde debiles, frequenter aegrotantes, aliisve incommodis subjecti, ob quae merito praevidetur, quod

nequeant vitam communem observare et officia sua rite adimplere, et quod ideo membra Ordinis non solum inutilia, sed et molesta futuri sint ».

Ex allata P. Alberti doctrina apparet, non ob crimina tantum denegandum esse Novitio suffragium, sed etiam ob defectum illarum qualitatum, quae verum Religiosum exornare debent. Illi ergo soli admittendi sunt, de quibus Ordo laetitiam merito possit sperare, quique signa dant manifesta se religiosam perfectionem assequi velle, atque aliorum aedificationi et regulari disciplinae tuendae utiles esse futuros.

Idem sentit P. Gaudentius Kerckhove, ubi ait: « Signa, quibus vel digito ineptus et depravatus Novitius demonstrari possit, haec posuit Speculum disciplinae [1]: « Tepidus in conversatione et remissus publicos mores et Doctorum monita negligit; ea, quae Dei sunt languide operatur; si quod inchoat bonum, vix perficit; tarde ad divinum officium et quaeque conventualia occurrit; otio gaudet; labore vel modico laeditur, et facile se infirmum vel admodum se fatigatum praetendit; sed et amore privato se diligens, quae carnis sunt sapit et prosequitur ex affectu. Aliorum quoque defectibus, non virtutibus haerens, si quid minus vel negligenter actum inspexerit, illud in exemplum ad suae velamen tepiditatis assumit. Ficta ei et indevota confessio, rara et brevis compunctio, insipida et sine attentione oratio, incircumspecta et sine aedificatione lectio, obedientia morosa, et sine devotionis affectu vix aliqualis impletio ». Qui igitur tempore novitiatus haec signa teporis prae se ferunt, Ordini non solum inutiles, sed et nocivi censendi sunt juxta laudatum P. Kerckhovium, eisque proinde suffragium denegandum est.

De eodem argumento gravis exstat instructio in fine Statutorum particularium Recessus S. Bonaventurae Urbis, et in qua sequentia inter alia leguntur de cautela adhibenda in admissione Novitiorum ad Professionem:

---

[1] Pars II. c. 5. n. 3.

« Religiosi sollicite attendere debent, ut ipsum Ordinem conservent et in sanctitate promoveant, atque ideo prae omnibus caveant, ne sint faciles et prompti ad recipiendum eos, quorum non habuerint integram notitiam. Circa quae, ut quid luminis afferam, dico: Superiores et Magistros Novitiorum exactissima uti debere diligentia, ut cognoscant illorum naturam et indolem, ut rite discernant, utrum apti sint pro Religione necne. Quos si invenerint carere bono rectoque judicio, imo habere illud stupidum atque obtusum vel parvum ac debile; vel propter corporis complexionem aptos non esse ad communem vitam agendam, indeque dispositos esse ad obtinendas dispensationes, postquam fuerint professi; vel prae se ferre naturam excessive malancholicam, ita, ut multa, quae non conveniunt, velint et excogitent; vel nimis cholericam, ut facile moveantur ad iram et impatientiam, honoremque magni faciant et correcti ab aliis valde indignentur; vel indolem habere levem, ut immodeste et imprudenter se gerant; vel suspiciosam, vivendo sine pace et quiete interna; vel morosam, ut facile disputent aliisque se opponant, non volentes exequi nisi ea, quae sibi ipsis placeant; vel timidam et scrupulosam, ut seipsos inquietent atque implicent; vel duplicem, ut adhibeant in omnibus rebus subdola consilia et artes subtiles; vel ipsos esse pertinaces in proprio suo judicio, ut difficulter renuntient suae opinioni aliorumque judicio se conforment; vel esse sensuales, et more pecudum se gerere in edendo, dormiendo et aliis necessitatibus corporalibus; vel mendaces, ut saepe contra veritatem loquantur; vel pigros, ut difficultates et laborem in virtutis exercitio fugiant; vel esse naturae prorsus durae; ut proposita documenta ipsorum animis inseri non possint, vel denique habere eos indolem quocunque alio modo nimis vitiosam, et virtuti assequendae vitaeque religiosae ducendae nimis difficilem: tum sibi persuasum habeant, quod tales non sint idonei ad Religionem, nec unquam futuri sint boni Religiosi, si Professionem emiserint. Ratio est, quia, quum, uti diximus, pravas habeant inclinationes, non possunt

virtutem consequi, nisi vel *magnam violentiam* adhibeant, ut se emendent, id *quod raro evenit*, vel Deus ipsis concedat *magnam gratiam efficacem*, quam non dat nisi paucis: unde necessarium est, ut e Religione dimittantur. Nec audiendi sunt illi, qui dicunt, fortasse illos se esse emendaturos et in Religione sanctos evasuros esse; nam Deus nullo modo nos obligat, ut operemur mala sub spe futuri boni, neque ut res futuras cognoscamus, sed ut bene et recte de praesentibus judicemus . . . Uno verbo: si quis Religionem aliquam bene regulatam in decore suo conservare et ad perfectionis splendorem adducere desiderat, oportet ut sit difficilis ad recipiendum, facilis ad dimittendum [1] et summe sollicitus ad bene educandum ».

Hisce expositis de necessaria discretione in admittendis Novitiis ad Professionem, inquirendum restat, quid faciendum sit, si, adhibita diligentia, nihilominus dignitas vel indignitas Novitii dubia manet? « Juxta nonnullos », ait P. Albertus a Bulsano, « servanda est regula juris: *in dubio melior est conditio possidentis*, et ideo votum Novitii Professioni favens dandum est; nam ajunt, si agitur de recipiendo Candidato, in dubio possidet Religio, illeque dimitti potest; sed si quis jam habitu indutus est, atque annum probationis sustinet, possidet ipse, et dimitti nequit ob solum dubium, cum etiam reus in dubio absolvatur. — Alii vero dicunt, quod Novitius in dubio non sit admittendus ad Professionem, quia jus ad hanc solum possidet sub conditione, si se certe idoneum probaverit, et quia Fratres magis bonum Religionis quam Novitii promovere tenentur. Haec sententia proponitur etiam in libello circa hanc materiam exarato et a Capitulo generali (Capuccinorum) 1847 approbato ».

E nostris primam sententiam inter alios tenent P. Gaudentius Kerckhove et Sanctorus; cum autem secunda sententia

---

[1] Intellige, dummodo fundata adsit ratio; non enim ex solis suspicionibus aut inconsideratis delationibus ejici possunt Novitii.

nobis omnino certa et tenenda videatur, placuit hoc loco animadversiones transcribere, quibus P. Augustinus Maria Neapolitanus, Chronologus Generalis Ordinis, eam defendit et simul duos laudatos auctores refellit [1].

« Non possumus, ait, clarissimum utrumque Auctorem probare, dum docent ambo, debere Ministrum, quando, ob non relatas a Novitio plus quam duas ex tribus suffragiorum partibus, res ad ipsum devolvitur, in Professionem, *ordinarie* saltem propendere, *nisi evidenti ratione in oppositum trahatur*, ut ait Sanctorus (c. 2. Stat. 20. §. Resp. quoad 1), vel, ut ait Kerckhove, *si nihil notabile obstet*, seu *ceteris paribus* (c. 1. § 12. n. 30). Nam haec sane pugnant cum iis, quae Auctor uterque late persequitur de summo hujus rei pondere ac momento ».

« Affert P. Kerckhovius nescio quod *jus ad rem* a Novitio acquisitum: quando jus istud Novitio Leges Ordinis neutiquam tribuunt, nisi postquam ille plus quam duas tulerit ex tribus suffragiorum partibus (Vid. Sanctor. cit. Stat. 20. d. §. Resp. quoad 1). Affert quoque ipse et Sanctorus regulam juris, qua dicitur, *reo favendum esse potius quam actori*. At haec regula nihil pertinet ad rem praesentem. Etenim, ut hoc utamur exemplo, si quis nobilis quempiam in suas aedes reciperet, ut illum postea in ministrum suae domus adscisceret, annuo tamen praevio experimento; hujus autem decursu temporis non ea habuisset habilitatis et probitatis indicia, ut illum fidenter ac tuto posset perpetuo in domum suam admittere; is certe rideret, si quisquam sibi admissionem suaderet, allegans, debere ipsum in dubio reo potius quam sibi actori favere, non obstante periculo rerum suarum. Quodsi ille irrationabilem hujusmodi suasorem existimaret merito ac repelleret, uti loquitur res ipsa per sese, jure potiori illa lau-

---

[1] « *Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis* », tom. IV. Rom. p. 578.

datorum Actorum opinio tamquam ab ratione et veritate evidentissime aliena repudianda est ».

« Sane Regula eadem *reo* dicit *favendum essc potius quam actori, cum sunt partium jura obscura.* Ubi vero hic est illa *jurium obscuritas?* Jus Praelatorum, imo debitum et obligatio gravissima est ex Ecclesiae et Ordinis Legibus, quin etiam ex divino naturali jure, ut eos tantummodo ad Professionem admittant, quos ex praemisso experimento compererint re vera idoneos esse. Jus proinde Novitii hoc solum est, ut videlicet admittatur, si reipsa compertus fuerit idoneus. Haec ambarum partium jura certissima, indubitata, quam clarissima sunt. Ergo dum Novitius, experimento praehabito, non est reapse compertus idoneus, sed *dubium* ipse in Religiosorum mente creavit num idoneus sit, certissimum clarissimumque jus est, imo ineluctabilis obligatio Praelatorum, ut illum dimittant; Novitii autem certissime clarissimeque jus nullum est, ut admittatur ».

« Dein ea regula agit de casu proferendae sententiae, quae actori sit utilis, non autem reo. Hic vero res contra se habet. Sicut enim Novitii indigni admissione fit injuria non Religioni solum, verum etiam Novitio ipsi, ut scitissime observat Montalvus (tom. 1. c. 4. a. 5. n. 40), *dum admittitur* hic *ad statum, qui ei juxta sui mores non expedit,* ideoque cum discrimine salutis aeternae ac temporalium quoque malorum; ita etiam admissione Novitii, cum dubitatur sit necne idem indignus, tum Religioni, tum simul Novitio irrogatur injuria; quia cum de summo agatur negotio et Religionis et Novitii, — de illius videlicet bono publico, de istius aeterna praesertim salute — non debet res tanta periculo exponi, quando et mercatores, et satores frugum, et alii passim in privatis agendis longe minus gravibus negotiis suis moralem postulant certitudinem ».

« Atque ex his etiam intelligitur, subscribi nullo modo posse eidem P. Montalvo, dum *probabile* dicit, *quod Religiosus potest pro Novitio suffragari, si, adhibita diligentia,*

adhuc dubium expelli non valet (l. c. n. 14). Nititur ipse ea ratione, quia *praesumitur pro ejus idoneitate,* nisi contrarium sufficienter probetur. Verum praesumptiones et verisimilitudines non habent locum, *ubi clara probatio requiritur.* Clara autem probatio requiritur, ut ad Professionem Novitius admittatur, sicuti paulo ante animadvertebamus. ‚*Superiores*, inquit Concilium Tridentinum, *Novitios, quos* **habiles invenerint,** *ad profitendum admittant*' (Sess. 25. *de Regul. et Monial.* c. 16); non *quos conjecerint,* non *quos praesumpserint,* sed *quos* **invenerint** *habiles,* quos nempe cognoverint experimento annuo, re ipsa habiles esse, eos tantum Praelati possunt ac debent *ad Professionem admittere.* Tridentino concinunt omnia S. Sedis Decreta, omnes praesertim nostri Ordinis Constitutiones ».

Haec autem sententia P. Augustini Neapolitani maximum robur nuper accepit et extra omne dubium posita esse videtur per Decretum S. D. N. Pii PP. IX., quod incipit « *Regulari disciplinae* », in quo praecipitur: « *ut Provinciales et examinatores (praestito ab omnibus juramento) per suffragia secreta definiant, an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad Professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat* ».

PARS PRIMA.

De institutione Juventutis Seraphicae ad perfectionem religiosam.

TRACTATUS I.[1]

De perfectione christiana.

PRAEFATIO.

Cum saepius considerarem, bonas mentes et multam de se spem pro futura deinceps aetate praebentes, conceptae in negotio virtutis exspectationi haud respondere, variam hujus mali originem esse putabam maximeque dolebam, tot profi-

---

[1] Hic Tractatus a R. P. Herculano Oberrauch exaratus est. Piissimus aeque ac clarissimus iste confrater, Provinciae Tyrol. S. Leopoldi Alumnus (nat. in Valle serena [Sarnthal] 5. Dec. 1728, in fama sanctitatis obiit octogenarius in Conventu Suazensi 22. Oct. 1808), hunc tractatum asceticum pro Confratribus suis scripsit anno 1767, quo tempore publici SS. Theologiae Professoris munere in Universitate Oenipontana summa cum laude fungebatur. Ejus memoria in libro mortuorum Fratrum Minorum Prov. Tyrol. sequentibus epithetis celebratur: « Vir a consiliis omnium hominum generi, — pro Dei gloria et animarum lucro laboriosissimus, — omnibus omnia factus, — omnibus numeris absolutus, — gemma Provinciae et Sacerdotum, — cujus memoria in benedictione est » ; — et pro elogio tumuli Pater Provinciae Ex-provincialis Amandus Freysing sequentes versus inscribi fecit:

Justitiam coluit; quae dixit, scripsit, amorem
  Aeternae legis, justitiaeque sonant.
Hanc solam in tectis, cathedris adytoque sacrato
  Et docuit semper, fecit et ipse prior.

ciendi subsidia, et concepta generosi animi proposita magnam partem in vanum abire. Ut vero tantam ruinam utcunque fulcirem, et proprios defectus alienis progressibus compensarem, praesentem lucubrationem moliri placuit, non otioso, ut speraverim, conatu. In tanto quippe piorum librorum cumulo equidem abundant, quibus et copiosa Spiritus Sancti unctio est et solida doctrina; legitimo tamen ordine, quo et totius negotii finis, rationes motrices legitimae, et ea, quae ad finem faciunt, subsidia, et horum omnium mutua connexio clare describantur, pauci commendari merentur, et ex probatissimis plerique singulas partes, non item legitimum, ut ajunt, totum describere mihi videntur.

Unde contigit, ut aliqui totum negotium ad salutem aeternam, alii ad lucra animarum, et rursus alii ad decorem ecclesiae, seu privatae familiae, et quae sunt ejusmodi boni quidem, sed non ultimi fines, referant. Verum etiam in notione perfectionis non raro decipiuntur, et in selectu mediorum parum felices sunt, non raro medium quoddam pro fine, et finem pro medio statuentes. Sic eo quemque perfectiorem arbitrantur, quo diutius orat, vel graviora poenitentiae opera peragit: student itidem Deum plurimum diligere, ut certius et abundantius gloriam aeternam participent: et quae ejusmodi sunt innumera vitae perfectionis detrimenta. Utut enim ista omnia bona sunt, plurimumque suadenda, neutiquam tamen perfectionis negotium absolvunt.

Est autem Theologia Ascetica nullatenus, prout multi opinantur, piarum cogitationum, aut fortuito nascentium affectuum incerta quaedam congeries; sed solida scientia certis principiis et deductis inde ratiociniis subnixa, ita, ut neutiquam vagae ac indefinitae prudentiae nomine, sed sub talium disciplinarum sensu veniat, quae fixis et arbitrariis mutationibus haud obnoxiis regulis sui studiosos dirigunt atque constringunt. Quia vero ipsam perfectionem alibi definiemus, quod sit felicissima illa consuetudo seu habitus, quo Deus propter semetipsum sine intermissione ex toto corde diligitur, facile sequi-

tur, Theologiam Asceticam esse eam theologiae speciem, quae Deum sub descripta mox ratione diligere facit. Ut vero id assequatur, necesse habet, ut voluntatem propositis legitimis momentis ad aggrediendum tantum opus moveat, et intellectum recta via ac feliciter pergere doceat. Unde merito in *ascesim motricem ac directricem*, seu prout alias vocant, in *affectivam et directivam* dividitur. Ne vero a frigido ac parum fideli animo eam unctionem Sancti Spiritus, illos gratiae divinae ardores exspectes, quibus felicia magnorum virorum opera redolent et flagrant. Non ego sum talis, ut verba mea purissimus ille Spiritus sua reddat, aut ut per me loqui dignetur. Id solum mihi sumo, ut magnae artis justum systema tibi describam, finem et naturam tanti operis ab ejusdem subsidiis discernere, atque inter ipsa subsidia ordinem intelligere doceam. Pro meo qualicunque conatu aliud a te, divini amoris Tyro! non peto, quam ut meis, aliorumque tepidis exemplis a concepto per Dei gratiam generoso animi proposito revocari te haud patiaris. Atque ut meos defectus utcunque resarcias, ne desinas, obsecro, te in eos, quos tantum negotium requirit, id est, in extremos conatus urgere. Utique debebis te totum impendere, si ex omnibus viribus Deum diligere velis. Holocaustum divini amoris es: totum id ex praescripto legis debet concremari, nec licet quidquam ex eo reservare. Non potes duorum esse: Deus te totum petit, nulla tui pars tibi relinquitur: totus esto Dei.

Pars prior, seu ea, quae ad movendum voluntatem pertinent.

CAPUT I.

De iis diligendi rationibus Deum, quae in ipso Deo continentur.

§ 1.

Deum esse ens perfectissimum et fides infallibili authoritate docet, et ipsa ratio clara certitudine evincit. Entis per-

fectissimi jam agendi ratio alia rursus esse non potest, nisi itidem perfectissima. Porro ad nobilem adeo agendi rationem pertinet finis perfectissimus, qualis solus est Deus. Quapropter Deus perfectissime agere volens alium agendi finem adsumere haud potuit, nisi se ipsum, id est, Deum ter Optimum Maximum, scil.: « *Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum* » (Prov. 16, 4.).

§ 2.

Quapropter res corporeae et incorporeae, pariter terra, coelum, tota natura, imo ipsa et gratia, et gloria, et maxime angeli et homines, et inter hos utique etiam tu, divini amoris candidate! propter solum Deum existitis, ad solum ejus placitum ordinati estis: « *Non estis vestri* », prout rectissime Apostolus ait (I. Cor. 6, 19), sed toti quanti estis Dei. Utique furtum erit, si partem vestri, i. e. rei alienae vobis impendatis. — Ne tamen ex eo infelicem te, et spem tuam interire arbitreris, si te pro tempore, et tota aeternitate futura in alieno jure futurum, et aliena delectatione te consumendum esse audis. Nam omnes divinae perfectiones, et inter illas etiam profusissima, id est, divina liberalitas te sibi petit. Verae autem ac sincerae liberalitatis id est ingenium, ut maximum gaudium capiat, vereque satietur in aliena felicitate. Exulta et prae laetitia etiam rumpere; nam tu es illa felicissima materia, circa quam immensa et omnis divina beneficentia sese exercere, suoque infinito benefaciendi impetui satisfacere cogitat. Haec diva, si ita loqui licet, aliud sacrificium non petit, quam te beatissimum.

§ 3.

Deus autem justissimus et minime avarus in eo, quod nos totos praetendat, infinitum titulum habet. Neque illum creationis allegat, licet is solus sufficeret ad nos integros Deo vindicandos, qui rem totam condidit, utique totam habere debet. Omittit quasi hoc jus, longeque altius allegat, illudque sunt omnes perfectiones divinae, et quod dictu horrendum est,

totus Deus; nam ratio diligendi Deum alia non est, nisi Ipse Deus. O jus Dei in nos altissimum! sanctissimum, inviolabile, aeternum, immensum, et absolute infinitum! Annon putas, optime Tyro! infinito juri deesse injuriam esse infinitam? Omnem aequitatis, imo humanitatis sensum amisit, qui infinita ratione non movetur. Annon tibi animus exultat, et in hoc divinissimum jus totus transire gestit? — Projice te, o parva stipula! omnemque animi tui motum in hoc divinum incendium, ut te ex integro in se convertat.

§ 4.

Deus, quod quidem maxime dolendum, nobis parum est cognitus, et ideo etiam parum ad amandum nos movet. Diligunt quidem Deum super omnia piae animae, sed si coelum et aeternitas non foret, quot futuras esse putas, quae Deum diligerent, qui tamen propter se solum diligendus est? Annon putas, amore exiguo adeo, parumque puro, primo illi dilectionis praecepto aegre satisfieri? Et tamen, si Deum utcunque cognosceremus, in ejus amorem tanto impetu abriperemur, ut coeli et aeternitatis nullum desiderium sentire daretur; neque haec, utut maxima momenta, ullam vim sensibilem in mentem nostram exercere valerent.

§ 5.

Quapropter adesto, et quantum facultas feret, conatu quidem pene ridendo, necessario tamen depingam tibi Deum, id est, immensitatis in hac charta limites describam. Aspiret ille scintillam quandam, qui ad perfecte cognoscendum, et pro dignitate amandum solus sufficit Deus. Nonne, o bone! saepius poenas inferni horrendas plane, et his poenis majores coeli delicias attenta mente cogitasti? Obruebatur animus illarum horrore, et harum desiderio. Quando vero aeternitatem insuper expendisti, millia, et milliones postea, et insuper milliones millionum annorum sive ad perferendas poenas, sive ad gustanda gaudia adnumerasti, tunc sensus intensissimus te pervasit. Dum denique tantas milliones nullam adhuc aeter-

nitatis partem, imo relate ad eam adhuc nihil esse considerasti, tunc spem inter et timorem mens tua pene defecit, et exclamasti: et tantum abyssum, et immensum hoc chaos ego aliquando subire debebo?

§ 6.

Sed in longe majori nunc jam volveris; cum enim Deum super omnia diligendi ratio alia non sit, quam ipse Deus, toto pondere perfectionum suarum premit voluntatem tuam, eamque ad amorem sui vehementissime urget. Et vi tantae tune possis resistere? Aeternitas utcunque horrenda, et termino carens, cum sit affectio creaturae, longe est infra Deum, non possum dicere, quod se habeat ut unum ad millionem, sed cum sit successive, et syncategorematice infinita, ad Deum tamquam ad absolute et categorematice infinitum habet se ut nihil ad omnia. O quam magnus debet esse Deus, ut ad eum comparata etiam horrenda aeternitas sit nihil!

§ 7.

Sed quod consequitur, quam immensum pariter debet esse eundem diligendi momentum! Titulus, quo amorem exigit, primus et maximus est ipse Deus. Huic autem tanto titulo deesse injuria plane infinita esse videtur. O voluntas humana! an adeo tuimetipsius tenax, et plusquam sordide avara es, ut immensae praetensioni huic deesse possis? An immensum illud ens hoc probri genus a te sustinere debeat, ut se toto adpenso te, rem flocci, movere non queat? vel potius tu extremum illud dedecus in te cadere permittes, ut infinitae bonitati te nihil aut parum detulisse dici possit?

§ 8.

Atque hoc immensum divinitatis pondus, ad quod coelum et terra cum tempore et aeternitate nihil sunt, adeo piorum animos quandoque afficit, ut perennium gaudiorum vel poenarum nullum in iis sensum relinquat, et suimet oblitis (ad tempus saltem) nullum, nisi Deum diligendi desiderium. Post-

quam enim infinita ratio arctam et pusillam facultatem penitus occupavit, rapuit et exhausit, omnia illa etiam ab aeternitate petita momenta, utpote divinitate infinite minora, nihil amplius habent, quod in tali mente agant. Et sic facile capitur, quam verum illud: « *Perfecta charitas foras mittit timorem* » (I Joann. 4, 18).

§ 9.

Hi facillime capiunt, quod peccare, id est, tantum bonum offendere, neutiquam vero post peccatum damnari malum sit. His aliud in desideriis haud est, quam impendi, et superimpendi pro Deo. Et si in aliquo, quod Deo placeret, vincere se non possunt, vel omnino Deum aliquatenus offenderint, tanto dolore afficiuntur, ut acerbissimae morti aequiparari mereretur. Neque hoc mirum; nam infinita ratio infinitum, siquidem talem capere posset, in aequa mente sensum edere deberet.

§ 10.

Haec vero cum verissima sint, quaeritur jam, an tantum pondus nihil a te obtinere possit. Eja, totum te Deo consecra. Parum, imo prope nihil erit, si immensae bonitati pusillum pulveris, id est, te impenderis. Debes te eidem ex immenso debendi titulo; ipsemet Deus eundem remittere, et quod consequens est, infinitum jus relaxare non potest. Unde tanta verborum vi: ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus diligere praecipit (Matth. 22, 37).

CAPUT II.

De iis Deum diligendi rationibus, quibus per opera externa se in immensum amabilem praestitit.

§ 11.

Verum ad juvandam voluntatis nostrae infirmitatem expendere juvat ea, quibus se una alterave Dei perfectio ipso

opere signavit; non enim otiosae sunt divinae bonitatis vires immensae. Et quidem *incarnatio, passio, mors Salvatoris,* et *amabilissimum illud Eucharistiae* mysterium sunt dona et specimina, quae ex reliquis eminent, et quibus infinita bonitas sibimetipsi satisfecit nobisque suum erga nos amorem ostendit, ut nos ipsius amori responderemus. Perpendamus saltem ex parte haec infiniti erga nos amoris et bonitatis mysteria.

§ 12.

Quis satis obstupescat, ens illud supremum, immensum, purissimum, humanam animam, et quod in se prorsus incredibile, humanam carnem nexu perpetuo et in omnem aeternitatem duraturo sibi ita sociasse, ut cum eadem personam constituat, adorationem sibi soli debitam, totam gloriam, et omne divinitatis jus in aliquam humanam naturam transferat? Fuit, fuit ab omni aeternitate Deus, sed per futuram deinceps aeternitatem Deus etiam verissimus homo vocabitur, et erit. Quis unquam talia audivit, aut crederet tantam profusionem, nisi de sola Dei infinita bonitate.

§ 13.

Verum non stetit divina bonitas hoc termino. Mirabile hoc ex Deo et homine compositum, et ter adorandus ac Patri per omnia aequalis Theander iste totus quantus pro nobis impensus fuit: mero erga nos amore pro nobis in cruce mortuus est! — Quantus sit iste excessus charitatis, excepto Deo nemo novit, aut capit. Equidem ad delendos peccatorum nostrorum reatus, nobisque acquirendum jus aeternae haereditatis est mortuus. Verum est, ad haec omnia pro infinitis hominibus et angelis obtinenda etiam unicum Dei hominis suspirium superfluum fuisset; quorsum ergo tanta profusio, nisi ad satiandam immensam charitatem suam?

§ 14.

Hic rursus horrendae aeternitatis pondus ad aestimandam Dei charitatem in hoc opere relucentem appendere juvat. Finge,

Deum alicujus damnati, imo omnium damnatorum amore tui relaxare poenas aeternas, iisque excelsum gradum gloriae in felici aeternitate largiri: quantum hoc beneficium foret! Nonne excederet ipsam aeternitatem? Nunc autem moriendo pro te longe quid majus largitus est; pretium enim divini Sanguinis aeternam felicitatem omnium angelorum et hominum infinitis vicibus excedit, eo quod Deus nunquam tot homines et angelos creare queat, ut ad eos salvandos, et maxima gloria dotandos dominicae mortis valor non foret superabundans. Numquid demum iste excessus sufficiet, ad te tibimetipsi eripiendum totumque Deo asserendum? an adeo durus, imo inhumanus esse poteris, ut in conspectu Dei pro te morientis non totus in ejus amorem excedas, ut jam non tibi, sed, quod Apostolus vult, ei, qui pro te mortuus est, deinceps vivas?

§ 15.

Superest, ut tertio divinae suavitatis argumento te urgeam, quod quidem ex augustissimo illo Eucharistiae mysterio petitur, et in quo Dei charitas ingenium suum exhausisse videtur. Quis enim credidisset, immensum, nullis terminis aut cogitationibus comprehensibile, et insuper tremendae Majestatis numen, coram quo excelsi coeli principes velant facies suas et tota sua essentia contremiscunt, tantum, inquam, numen animali homini in cibum et potum parari posse, et nobiscum intime commisceri? Cumque in templis nostris innumeris vicibus praesens adsit, quis tantam Majestatis tantae familiaritatem aestimabit, qua singulorum locorum manceps, et multis familiis etiam contubernalis esse desiderat, seque ubique ingerit, suamque divinissimam personam multimodis non tantum donet, sed obtrudat etiam?

§ 16.

Scilicet, quod quidem intensissime amantium est, absentia nostra tormento est ipsi, vehementissimeque desiderat, nobiscum, imo quod omni exemplo caret, in nobis vivere, et cibi

ad instar in nos commutari, atque, ut id obtineat, non horret cibi conditionem, non tantum nauseae, sed extremae dejectioni obnoxium esse. Ab hac charitate eum nec haereticorum aliorumque a fide alienorum blasphemiae dirissimaeque persecutiones, nec fidelium innumera sacrilegia et injuriae innumerae absterrere potuerunt. Amore nostri ter sanctam divinamque personam suam in spurcissimos, neutiquam nominandos, extremae libidinis usus adhiberi permittit; et ut tuus esse possit, se etiam in magorum sagarumque manus tradit, ad ipsos daemonum conventus, et ad injurias omnium, quae fieri possunt, atrocissimas circumferendus. O quam verum est illud: « *Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: aquae multae non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* » (Cant. 8, 6).

§ 17.

Verum non tantum in cibum, sed etiam in quotidianum sacrificium se quotidie impendit, suamque quodammodo mortem toties repetit, quoties Sacrificium Altaris, seu, quod quoad substantiam idem est, Sacrificium Crucis super Altaria nostra iteratur. Quod excellentissimum, ipsaque communione sacramentali majus beneficium novo, eoque infinito, et, ut puto, extremo titulo nos stringit, ita, ut etiam dubitare, an demum nos totos Deo impendere velimus, extrema sordities sit. Amatori tuo se, totum Deum pro te impendere minus esse videbatur, et quia Deo majus nihil datur, totum hunc Deum pluribus vicibus, et sub diversissimis rationibus pro te impendit: et tu haerere audebis, an integrum hominem pro Deo toties impenso reddere velis? Omni lapide ac aere durior graviorque es, si his amandi rationibus non cedas.

§ 18.

Et o immensi doloris materiam! pauci sunt, qui hunc amorem amant! Et ut peccatores non commemorem, quot demum sunt, qui a levibus injuriis eidem inferendis sibi tempe-

rant? Et nonne etiam levem offensam infinito amori referre dedecus infinitum est? — O, inquam, vere immensi doloris materiam! dolendum, et supra omnem sensum dolendum est, tot animas in aeternum perire. Verum iste dolor, quantuscunque etiam, gaudium esse posset, si ad illum dolorem aestimetur, quem Dei offensio meretur. Nam quid est etiam omnium animarum aeterna salus aut jactura relate ad Deum? — Nihil est, prorsus nihil. Jam vero Dei amandi, et de Deo offenso dolendi eadem est ratio, scilicet totus Deus.

§ 19.

Et etiam ex iis, qui Deo servire eumque amare contendunt, quot sunt, qui, si merces et coelum non foret, eundem amarent, et quidem super omnia amarent? Eliciunt actum amoris Dei super omnia, et quidem propter Deum, sed ideo nimirum, quia actus iste est maxime meritorius, quia sine hoc salvari non possunt, quia certo in gratiam restituit. Horum vero studium minime vituperandum, imo et laudandum: magis tamen ad amorem proprium, quam Dei accedit: estque simile illi affectioni, qua quis officium sibi maxime placitum praestat, eo quod speret, te per illud permoveri posse ad majus reddendum, quo quidem is se non amicum, sed mercenarium tibi probaret.

§ 20.

Tu vero, Deo devote commilito! in magis generosos magisque puros ausus assurge, Deumque amore ardentissimo, et gratuito simul (si tamen gratuitus esse queat), qui ex immensis titulis debetur, super omnia dilige, et tui ipsius feliciter oblitus soli Deo vive. De te, tuique similibus longe verius, quam de ceteris legis sacerdotibus et ministris dicit Deus: « *Separabis Levitas de medio filiorum Israel, ut sint mei* » (IV. Mos. 8, 14); ut ex tanta hominum mole vel pauci me Deum pure et intense diligant. Quare ingenti animi proposito ingredere hanc viam, quam in parte II. lucubrationis tibi mon-

strabo; vitam et vires omnes eo impende, optime gnarus, quod in vita altera, imo aliquando in hac ipsa sine comparatione plus gavisurus sis, te tua contemptione, tuo hoc difficili agone dilexisse, quam aeternam salutem tibi comparasse: et tanta Deum pure propter se diligendi aequitas, tantum desiderium, tanta necessitas tibi apparebit, ut, si fieri posset, dispendio salutis tuae defectum amoris lubentissime resarcire velles, quia scilicet divina et absolute immensa amandi ratio nonnisi immensum, quantum in creatam facultatem cadere potest, amoris desiderium excitabit. Tunc plane capies illud Cantici (8, 7): « *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* ».

§ 21.

Hunc vero affectum nutries magisque semper inflammabis ex melioribus hujus magnae artis doctoribus. Et quidem, qui accendendo puriori affectui magis subserviunt, majoremque ignem prae reliquis spirant, sunt inter alios sequentes: *Sacra Scriptura*, utpote ab ipso charitatis auctore dictata, ex qua animae Deo devotae mirabiles ac vehementissimos sensus non raro percipiunt. Celeberrimus liber « *de imitatione Christi* »; « *Considerationes theologicae* » R. P. Francisci Lud. Argent.; Ven. P. Thomae a Jesu « *Aerumnae Christi* ». Varia opera *S. Bonaventurae* et *S. Bernardi*. Opera *Ven. Ludovici Blosii*, et *S. Francisci Salesii*, licet quatuor ultimorum libri etiam plurimum ad directionem, et non tantum ad motum animi serviant. Huc merito referenda *P. Nierembergii* priora duodecim capita in illo opere, quod « Vitam divinam » inscribit; licet momenta, quae ad explendam divinam voluntatem adfert, sint varia, tamen tu illa duntaxat adsume, quae ex ipso Deo, divinisque operibus Dei-hominis petuntur, seu quae possunt esse motiva charitatis theologicae; quae enim spe aut proprio periculo veniunt, bona, sed non perfecta sunt. Huc pertinent exempla et magnanimi Sanctorum actus; hos enim legere vehementer movet.

Pars posterior, seu ea, quae ad dirigendum intellectum pertinent.

CAPUT I.

De natura perfectionis, seu divini amoris.

§ 22.

Perfectum, numeris omnibus absolutum, omnique exceptione majus id demum est, quod ad omnes regulas suas exactum est, ita, ut in nullam peccet. Unde, quantum ad honestatem morum, ille demum actus, et si de tota vita agatur, ea vivendi ratio titulo perfectionis jure gloriatur, quae omnes morum leges observat. Quia vero charitas Dei omnes virtutes praecipit, et omnibus peccatis offenditur, et quia sine charitate reliquae omnes imperfectae sunt, facile sequitur, charitatem in se omnem perfectionem includere juxta illud Apostoli: « *Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* » (Coloss. 3, 14). Unde merito dicitur: **Perfectio est continua Dei charitas.**

§ 23.

Quod quidem probatur et simul explicatur. Amor neutiquam consistit in sensibili, ac dulci illa affectione cordis, sed in sicco ac serio illo decreto seu actu voluntatis, quo alteri bonum volo. Et quidem illa amoris in appreciativum et intensivum divisio non placet, eo quod sub amore intensivo sensibilem affectionem interioris sensus intelligant, neutiquam vero rationabilem voluntatis sensum, ita, ut ille amor deliciis potius, quam amori sit similior. Cum itaque amare et bonum velle idem sit, facile sequitur 1mo, quod ille Deum amet, qui ei bonum, seu quod idem est, qui ei placitum vult. 2do, quod ille Deum diligat super omnia, qui ei potius, quam cuicunque alteri bonum vult, et consequenter cuicunque potius molestiam et adversum, quam Deo fieri desiderat. Sequitur 3^tio^, quod ille di-

ligat, quantum ad unum actum, Deum perfecte, qui Deo omnia bona et placita vult. Sequitur 4to, quod ille demum Deum, quoad ipsum statum perfecte diligat, qui Deo omnia bona et placita continuo ac velut sine intermissione vult, ut adeo optimus ac velut nunquam interruptus amor Dei super omnia sit status perfectionis, prout priore paragrapho dictum.

§ 24.

Verum ista voluntas, qua Deo bonum volo, debet esse seria, seu talis, quae etiam in actum, quantum facultas fert, exeat. Non enim vere vult, qui, cum posset agere, tum non agit. Unde indispensabile amoris officium est bona dilectio. quae vult etiam, quantum potest, actu praestare, ejusque mala avertere; et quia omnes virtutum actus Deo bona et placita, e contra omnia etiam minima peccata Deo mala ac displicentia sunt, facile sequitur, sedulum virtutum exercitium, ac continuam peccatorum fugam a charitate necessario imperari. Unde multi perfectionem in perfecta voluntatis humanae ad voluntatem divinam conformatione, et recte quidem constituunt. Si enim nihil aliud velis et quaeras et perpetuo facias, nisi quae Deo bona et placita sunt, etiam continuo Deum amas. Et sic de se Christus dicit: « *Quia ego quae placita sunt ei* (aeterno Patri) *facio semper* » (Joann. 8, 29). Neque illi errant, qui perfectionem stare ajunt in exercitio omnium virtutum, dummodo eam virtutum exercitationem intelligant, quae ex solo ac puro studio Deo placendi proficiscitur, seu quod idem, quae a charitate imperetur.

§ 25.

Nam magnopere notandum, ad actum amoris non sufficere, ut fiant ea, quae Deo placent, sed insuper requiritur, ut ideo duntaxat fiant, quia Deo placent. Si amicus ex oblivione januam domus suae relinquat apertam, ego vero ex aliquo intervallo hostes meos fugiens in domum ejus hac occasione me recipiam: ille quidem januam apertam relinquendo placitum

mihi, non tamen actum amoris praestitit, eo quod per incuriam et non ut mihi fiat gratum, portam claudere omisit. Sic pariter actus Deo placere non potest, si ex alia ratione, quam ex studio placendi Deo fiat. Quare Deo placentia agere, et ideo agere, quia Deo placent, officium amoris est.

§ 26.

Et o quam arduum est hoc, et quam parum adeo a plerisque curatur! Etiam in exercitiis sanctissimis amor proprius latissime dominatur. « *Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi* » (Philipp. 2, 21). O quid sanctius, quam domum Dei custodire, in altari Altissimo suavem suffitum accendere! et tamen conqueritur Dominus (Malach. 1, 10): « Quis est in vobis, qui claudat ostia, et incendat altare meum gratuito »? — Si opera honorifica et facientia ad plausum et gustum nostrum, tunc fervet zelus: ad actus submissionis, patientiae, ad vitam obscuram, molestam etc., etiam gravissimis rationibus vix movebor, cum tamen sciamus, quod Deus ab humilibus honoretur. Quando gloriosum quid, et Ecclesiae utile a nobis vel a nostris peragitur, tunc Dei gloriam insonamus, de salute animarum laetamur; si vero alii id praestant, indifferentes, frigidi, taciti, nescio, quid acerbitatis sentimus. Exercitia proprii animi motu electa sapiunt, si vero ea ab alio imperarentur, insipida mox et exsucca viderentur, cum tamen ex hoc magis placita, ut Deo magis accepta, nobis esse deberent. Obsecro: si nil nisi limpidam aquam quaeras, perinde tibi esse debet, an in tuo aut alieno vase ea porrigatur; si in tuo magis velis eam ministrari tibi, jam ostendis, te non ad solam aquam, sed etiam ad vas adfectum esse. Si vero aquam nisi in tuo vase porrectam, nolis recipere, utique confiteris, te vas duntaxat, non aquam desiderasse.

§ 27.

Et hujus quidem negotii tanta est difficultas, ut ex purissimo Dei amore aeque facile, imo facilius sit, opera ardua,

et naturae incommoda, quam facilia et suavia exequi. Nam e. gr. durante fame sapidos cibos comedere volenti an sensus et natura dat aliquem impetum? Et actus non erit omnino purus: vel nullum dat impetum, sed suppresso appetitu solus agit amor et studium placendi Deo, et tunc non est ratio, cur comedere, quam jejunare magis delectet. Imo, facilius jejunabis, eo quod ex solo amore Dei comedere volens, in supprimendo naturae appetitu insignem molestiam tolerare debeas. Atque huc tendunt rerum omnium abdicatio, vota religiosa, atque omne institutum monasticum: quia facilius est, res, honores, voluptates, atque etiam libertatem ipsam abjicere, quam hisce omnibus ex nullius naturalis affectionis, sed solius divini amoris impulsu uti, ut bene advertit S. Bernardus (Serm. de bonis deserendis): « Et haec fugiendarum causa divitiarum praecipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri ».

§ 28.

Verum etiam in sacra Religione constitutis in usu rerum, officiorum, et in singulis actibus acriter pugnandum est, ut opus quodlibet ex vi charitatis procedat. Et oportet omnino, ut ad omnia indifferentes, ac, prout ajunt, insensibiles, propriaeque affectioni mortui nullum motum admittamus, nisi qui a divino amore veniat. Atque hic tristia quorundam Religiosorum exempla commemorare debeo, quae quidem perpetuo reticenda forent, nisi bonae quaedam iisdem seductae mentes sibi quoque justa fore arbitrarentur, quae in aliis palam advertunt.

§ 29.

Itaque dantur quidam vitae alias minime perversae filii, qui etiam in Religione unum prae alio diligunt, ducti nullo alio, quam naturali motivo; dantur, qui unum prae alio ad publica et magni momenti munera provehunt, aut provehere conantur, non quod eundem ad Dei gloriam ac publicam uti-

litatem prae reliquis idoneum arbitrentur, sed quia illorum consanguineus, municeps, aut alio profano titulo conjunctus est. Rursus alii officium quoddam ambiunt, honoris nempe sui, quam Dei cupidi magis; non sunt contenti, si ad illud non provehantur. Si quod habent, quod arrideat, superiores amovere illos non possunt sine offensione: idque rursus non ex ea ratione, quod Dei honorem ac voluntatem per se magis, quam per alios efficiendam fore credant, sed quod ipsi similibus delectentur. Unde non tantum apud saeculares, sed etiam inter Religiosos profana illa ratio obtinet, ut dignitatibus, muneribus, commodis etc. homines ad recte agendum beneque de republica merendum, ad subeundas molestias, et ejusmodi alliciantur; id enim vero curatur, ut demum in praecipuis negotiis seipsos quaerant, qui soli Deo ejusque beneplacito se victuros professi sunt.

§ 30.

Quam vero subtilis hic error lateat, et quam perniciosus sit iste, nemo facile dixerit. Haec agendi ratio sola sufficit ad totam hominis vitam profanandam, ita, ut extincto gratiae motu, sola natura integrum obtineat; nam ex ea ratione geruntur munera, ex qua petuntur et obtinentur; quod enim movet ad accipiendum, illud etiam movet ad retinendum et utendum. Jam suo munere fungi occupat maximam vitae partem, et si munus tuum ex profano fine geras, nonne consequenter maxima vitae portio profana est solique naturae obnoxia? Accedit, quod homo naturae suae indulgere assuetus in praecipuis, eidem etiam in levioribus et quidem longe facilius cedat: ut adeo omnes conatus atque totum velut hominem natura inficiat. Neque tales

§ 31.

Dicere poterunt, se omnibus operibus suis bonam atque ex mero Dei amore conceptam intentionem praemittere, ac identidem renovare. Nam si tuam intentionem valere velis,

debes actus tuos ex amore divino seu quod idem est, ex studio placendi Deo exercere, ita, ut iste amor impellat et moveat ad agendum. Quomodo vero iste amor movebit, si ex mera consolatione et delectatione tua agas? Qua ratione dicis, solo studio placendi Deo te agi ad gerendum munus tuum, si scias per alium hoc sanctissimum Dei placitum felicius efficiendum, fore? Scilicet ex studio placendi Deo facis id, quod Deo minus, vel omnino non placere nosti. Sacra obedientia est certa divinae voluntatis regula. Jam si superiores te loco aut officio movere non audeant absque insigni tua tristitia: cui persuadebis tuam, quam in functionibus tuis foves, et identidem elicis, intentionem nihil aliud, quam Dei voluntatem spectare? Scilicet nisi ad omnia munera actionesque, quantum ad proprium affectum ac delectationem, fueris prorsus indifferens, ac velut sensu destitutus, nulla intentio sufficiet ad opus tuum naturae eripiendum, et in potestatem divini amoris asserendum. Et in fine vitae tuae verum erit dicere: Tu quidem propter solum Deum fuisti conditus et ex infinitis titulis eidem obnoxius, teque solemni juramento totum eidem devovisti, sed propter te solum, et tuum placitum vitam tuam exegisti.

§ 32.

Dolenda conditio atque acerbis lacrimis deploranda! — Ut se Deo totos consecrarent, res et spes non modicas generose contempserunt, et ne rebus creatis quidquam affectus largirentur, pretiosa quaeque abjecerunt: nunc vero rebus longe inferioribus victi, juratum Deo affectum loco, officio, aliisque vilissimis causis impendunt; et qui adolescentes quondam idola aurea et argentea heroico ausu protriverunt, nunc viri ac senes ligneis ac luteis simulacris pudendo cultu advolvuntur!

§ 33.

Et quod modo de privatis commodis eorumque perverso desiderio dixi, eadem de nimio et publico religiosi coetus, cui quis adscriptus est, amore sentiendum. Quae bella, fraudes,

scandala, calumniae in propria hac causa a variis adhibitae sunt? Ad dejiciendum christiani nominis hostem non tot stratagematibus, nec tanta contentione pugnatum est, qua una Religio contra aliam, ac plerumque meliorem insurrexerit. Verum tantae iniquitates facile se sua enormitate signant, ut quemquam desuper monere minime sit opus. Sed ne per subsidia non adeo impia, contra divinum amorem nihilominus, suam aliquis Religionem attollere eique prodesse velit, sedulo cavendum.

§ 34.

Etiam religiosae societati cuicunque non plus addictum esse oportet, quam quousque Dei gloria id petat. Si alii ad Altissimi placitum efficacius laborent, non interturbandi, non impediendi, sed adjuvandi sunt, licet etiam publice pluris aestimentur, pluraque ad eos commoda redeant. Fidelis minister gaudet, dummodo plurimae pecuniae principis aerario per quascunque manus inferantur. Imo etsi aliorum in negotio divino intentio non satis pura foret, nihilominus negotium, non attenta operantium voluntate, promovendum foret, juxta purissimum S. Pauli spiritum, qui ad Philippenses (1, 15—18) ait: « *Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant... Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* », etc.: dein insigni hac moderatione ac continentia Deo opus acceptum omnino praestabis. Pretiosa in conspectu ejus rerum paupertas, sed illa honorum ac existimationis longe pretiosior. Et haec quidem non eo intelligenda sunt, ut in societatis tuae jura, quae in tua potestate non sunt, data opera quid pecces; justitiam enim laedere Deo non placet: sed et in privato negotio tuo superiori conditionem ac circumstantias tuas exponere omnino decet, prout etiam tua, quae tua opinione ad Dei honorem faciunt, suadere, dummodo haec omnia sicco ex corde nullaque

affectus proprii dulcedine inescato fiant, mensque tua in utramque partem aeque propendeat.

§ 35.

Itaque, ut ad caput redeam, prout supra dixi, qui semper agit, quae Deo placent, et ideo duntaxat egit, quia Deo placent, is demum officium divini amoris explevit, seu, quod idem est, perfectus est; hic Deum ex omnibus viribus diligit, eo quod nullam facultatem, nisi ad ejus placitum adhibeat; hic non sibi, sed Deo vivit, hic adsequitur finem ultimum, qui rebus creatis omnibus, maxime iis, quae ratione utuntur, inviolabili lege constitutus est, scilicet Dei placitum ejusque gloria. Felicem, et plusquam felicem animam, quae tota es Dei! scias enim, et certissime scias: quamdiu ita perduraveris (— et cur non perdures? —) etiam Deum totum fore tuum. Quidnam vero verba haec adeo sonantia velint dicere, spiritualis vitae magistri experiri nos jubent: verbis enim id explicari posse negant.

§ 36.

Postquam notionem perfectionis constituimus in perpetuo studio agendi ea, quae Deo placent, et quia Deo placent: scire desiderabis doctrinam, quae in singulis negotiis doceat, quidnam Deo placeat, prout et aliam, ex qua discere possis, te in praesenti negotio solo studio placendi Deo agi; eo quod nemo saepius, quam amor proprius sibimetipsi mentiatur, prout bonae intentiones (§ 31) descriptae abunde demonstrant. Quantum ad primam, varii varias regulas adsignant; late de hoc agit P. Eusebius Nieremberg in sua « Vita div. » c. 23; fors negotium in duas regulas sequentes cogi poterit.

§ 37.

Regula prima: ex duobus elige id, quod praeceptum est; sive dein tale praeceptum strictam obligationem, qualis est justitiae, sive in lato sensu acceptam, qualis est illa grati animi ob beneficia accepta inferat. Ratio hujus regulae est facilis:

Deus illa maxime vult, quae praecipit, et quorum neglectu offenditur. Sic varia debemus Deo ejusque cultui, varia nobis ipsis, tam ad excolendum animum, quam ad conservandum corpus, cujus vires pro Deo adhibendae, non frangendae sunt. Reliquis paribus Deo multum servit, qui diu servit; licet optima virium instauratio plerumque ea sit, quae moderata sit. Varia debemus proximo, seu homini cuicunque, idque ex diversis titulis. Demum totam hanc regulam explicat Theologia moralis aliaeque disciplinae, quae formandis ex regulis et legibus hominum moribus occupantur.

§ 38.

Regula secunda: si neutra electionis pars ex quacunque lege sit praecepta, tunc generose eligendum est id, quod affectui naturae magis adversatur. Ratio hujus regulae est sequens: reliquis paribus Deo quilibet actus eo magis placet, quo difficilior is fuerit. Praeterea sic a deceptione naturae, se ubique immiscentis, securior eris, et insuper ad teipsum vincendum assuefies. Et quidem desiderium ardua tolerandi, et ipsa tolerantia ex sincero amore Dei nunquam non nascitur. Hinc illae voces: « Aut pati, aut mori »; « non mori, sed pati »; « pati, Domine, et contemni pro te »! — « Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, totius corporis contritio, et tota tormenta diaboli in me veniant »! — Hinc illa SS. Martyrum desideria infinita, non ex cupiditate laureolae, sed plerumque ex amore Salvatoris nata. Hinc ille poenitentiarum rigor, illa ad acquirendos sibi contemptus contentio; prae nimio enim amore morienti Domino Deo in reddendo amore mens humana sibi nunquam poterit satisfacere. Integra flumina, imo maria sanguinis, pro amore Dei fusi, illi amori respondere non possunt, qui Deum in mortem adegit.

§ 39.

Ut autem in singulis eventibus noscas, an ex puro amore Dei opereris, *duae rursus regulae,* seu potius characteres

statuuntur. Et quidem si affectus proprius a tali actu abhorreat, res vix ullo examine indigebit: secus vero voluntas, quae rursus est altera regula, eousque in partem adversam inclinanda, donec se ad utrumque indifferentem sentiat; sic enim cessante proprio motu, facile amor divinus voluntatem quantum ex se quiescentem, et quidem solus amor Dei, seu studium placendi Deo ad talem actionem movebit, quae proin purissima erit. Sic si quis bona temporalia possidere velit absque omni voluntatis proprietate, debet aeque paratus esse ad illa dimittenda, quam retinenda, imo, quod quidem mirabile, verissimum tamen est, si ab affectu proprio securus esse velit, debet magis inclinari, si id fieri potest, ad talia bona abjicienda, quam habenda, ita, ut ea velut onera patiatur magis, quam tamquam emolumenta desideret. Idem in usu honorum, officiorum, et laborum actionumque nostrarum observandum. Vides, quam castus et severus ad res creatas esse debeas, ut soli Deo adhaereas, quam adeo tibi mortuus, ut ipsi duntaxat vivas.

§ 40.

En, Religiose viator, divini amoris, seu perfectionis typum! En nobilissimam vitae conditionem paucis velut lineis descriptam! Ad hanc vocatus es, huc contendere debes, hanc Deus a te praetendit, et quidem toto divinitatis suae titulo. Hoc est maximum, et revera unicum vitae tuae negotium; debellatum erit, quando huc evaseris. Quidquid molitus fueris, etsi humani generis admirationem excitaverit, et orbem terrarum commoverit, nihil id, et otiosum erit, utpote ad finem ultimum non comparatum. Ad hanc perfectionis descriptionem gravissima multorum hominum, integrarum nationum, et communitatum etiam sacrarum molimina expende, atque ex tot, et tantorum erroribus tibi amplius cavere disce. Ingenti dolore cogita: omnia propter Deum creata sunt, et vix non omnia in naturam desinunt! Totum universum videtur quoad maximam partem fine suo excidere! Tu parvulam ejus portio-

nem, id est, te ipsum Deo vindica. Equidem ardua res est, et lucta morte acerbior; sed nec a longe est tanta ejus facultas, quanta est aequitas et obligatio tantum opus aggrediendi, et quantus futurus erit aliquando dolor de neglecto infinito officio! Credas, et certissime credas, non adeo triste est aeternum damnari, quam Deum non amavisse. Prioris enim tristitiae causa est hominis aeterna damnatio, posterioris vero infinita excellentia, et Deus ipse, cum utique eadem sit ratio amandi Deum, quae est ratio dolendi, si eum non amaveris. Neque a capessenda hac pugna, ejus diuturnitate et atrocitate deterrearis, eo quod his major parata sit tibi gratia: qui dedit velle, dabit et perficere. Non cadit in Deum gravia exigere, et ad praestandum vires negare; fidelis enim est, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus, sed secundum multitudinem dolorum consolationes tuae laetificabunt animam tuam. Denique eousque confortabit te, ut calamitates et aerumnas velut optimam dotem expetas tibi, multumque gaudeas, si dignus habitus sis pro nomine Jesu contumeliam pati.

§ 41.

Superest modo, ut explicata natura perfectionis, etiam de subsidiis ad eam perveniendi agamus. Equidem cognitio finis in omni negotio praecipua est: sterilis nihilominus illa est, nisi subsidiorum ad illam perveniendi notitia accedat. Quapropter sit

CAPUT II.

De subsidiis perveniendi ad divinum amorem seu perfectionem.

§ 42.

Haec porro **subsidia** duplicis fere sunt generis, ex quibus aliquod, et quidem unicum est **proximum**, cetera **remota**, licet

et ista remota in ea, quae sunt necessaria, et in ea, quae sunt utilia, recte dividantur.

§ 43.

Jam auxilium ad statum divini amoris perveniendi proximum et immediatum, prout vocant, est **sedulum hujus amoris exercitium**; cum enim felicissimus iste status consistat in habitu, seu assuetudine: haec vero assuetudo per frequentes actus comparetur, facile sequitur, talibus actibus, hunc, de quo loquimur, statum comparari. Et quidem quo frequentiores hi fuerint, eo efficaciores erunt, licet ab initio exinde te parum proficere advertas, imo difficultas magis magisque accrescere videatur. Demum si semper pergas, et remissas forte vires continuo reassumas, ingenti aliquando gaudio etiam sentire incipies, te a priori conditione longe diversam tenere, partem viae non contemnendam confecisse, vel omnino a termino itineris tui non longe distare.

§ 44.

Et quod modo de frequentatione actuum dictum est, illud aeque, imo magis de difficultate eorundem tenendum. Unico actu multum arduo sancta haec consuetudo plus augetur, quam per multos alios, qui remissi duntaxat fuerunt. Paucis: assiduitas et asperitas in exercitatione divini amoris adhibita est illa vis, de qua loquitur lib. I. de imit. Christi (cap. ult.): « Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris ». Et rursus (lib. II. cap. ult.): « Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis Deo vivere incipit ». Et proximum proficiendi subsidium hoc est unicum. Modo jam de remotis agendum: et quidem primo de necessariis.

§ 45.

Inter haec facile eminet insuperabilis in Deum ejusque gratiam **fides et fiducia**. « *Si potes credere* », ait Salvator,

« *omnia possibilia sunt credenti* » (Marc. 9, 22), « *quia nullus speravit in Domino, et confusus est* » (Eccli. 2, 11). Et si totus oceanus cum omnibus fluctibus in te irruat, attamen tranquille super maris undas incedes, nisi cum Petro in fide titubans exprobrationem illam merearis: « Modicae fidei! quare dubitasti »? (Matth. 14, 31).

§ 46.

Et quidem hujus fiduciae est summa necessitas, ita, ut sine hac nihil exspectandum sit. Cum enim hoc negotium adeo sit arduum, ut vires humanae minime sufficiant: et quidem in tanto opere efficiendo gratia longe plus, quam libertas et facultas humana conferat, hujus gratiae auxilio vere totum innititur. Licet autem coeleste hoc praesidium petenti et oranti certo sit adpromissum, prout mox patebit, debet id nihilominus firma fiducia *peti et exspectari*, alias nihil obtinebitur juxta illud Jacobi (1, 6): « *Postulet autem in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino* ».

§ 47.

Est autem hujus fiduciae, siquidem firma sit, vis ingens, et certa semper, adeo, ut nullum peccatum contingeret, si nulla in Deum daretur diffidentia. Sola hac ingentes et summas difficultates superabis, illud Prophetae cum gaudio usurpans: « *In Deo meo transgrediar murum* » (Psalm. 17, 30); et illud: « *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum* » (Psalm. 26, 3). Cavendum tamen, ne, quod frequentissime, et nobis haud advertentibus contingit, fiduciae huic praesumptio in proprias vires se admisceat. Et fides haec in Deum, a propria fiducia immunis, ad heroicas virtutes sufficit, teste Apostolo ad Hebraeos (11, 33 sq.), ubi de veteris Testamenti heroibus ait: « *Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora*

leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, etc. ».

§ 48.

Sed firmiter adeo in Deo confidendi datur ingens ratio, seu magis gravissima obligatio. Praeter innumera Scripturae testimonia, quibus se petentes exauditurum promittit, et fidem suam arctissime, et sub juramento obligat, ut diffidentia species haeresis esse videatur; nam si dubitares, an detur aeternitas, teipsum pro haeretico haberes, eo quod Deus aeternitatem revelaverit. Apostolus vult, ut omnem curam in ipsum conjiciamus, et prorsus nihil solliciti simus. Verum annon ipse Salvator dixit: « *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* » (Joan. 16, 24). « *Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti: Tollere et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quaecunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* » (Marc. 11, 23. 24). « *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi* » (Luc. 1, 73. 74)? — et de tot assertis dubitare audes? Nec dicas: ad orationem plura requiruntur. Plura ad efficaciam orationis sunt utilia, hoc concedo: praeter firmam et nihil haesitantem fidem sunt quaedam necessaria, plane nego.

§ 49.

Hujus vero tantae fiduciae ratio potissima est immensa Dei in nos bonitas. Utique ab immenso bono nonnisi immensa bona exspectare debes. Dein adeo dilexit nos, « *ut Filium suum unigenitum daret, et quomodo non omnia cum illo donavit nobis* »? Gravissime in rem praesentem interrogat Apostolus ad Romanos (cap. VIII); insuper hunc ipsum « *Jesum Christum advocatum habemus apud Patrem* » (I. Joan. 2, 1),

« *qui etiam interpellat pro nobis* » (Rom. 8, 34); vel, si etiam iste tibi tuaeque diffidentiae non videtur sufficere, alium quoque Paraclitum, id est, advocatum misit, « *in quo clamamus: Abba, pater* » (Rom. 8, 15). Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: « *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* » (Rom. 8, 26): et sub tantis fidei jussoribus et patronis putas, quod titubare ac diffidere liceat?

§ 50.

Quia vero non sola gratia, sed comitante etiam nostro conatu res absolvitur, secundo loco summopere est necessarium, generosum animi decretum tantum opus aggrediendi, et in prosequendo hoc decreto perpetua contentio; agonem enim hunc difficillimum, ac magno labori obnoxium reddunt conditio facultatum nostrarum et aliorum exempla.

§ 51.

Et quidem quantum ad propriam conditionem, certum equidem est, nos propter solum Deum creatos esse, minime tamen generosa adeo ac justissima affectio nobis concreata est. Amor proprius nos velut prona in terram animalia a supernis ad haec infima inclinat; et quidem jam inde a nativitate degener adeo sensus nobis obtigit: ad ejus autem impetum per multos annos et omnem fere aetatem agere soliti, per millenos et millenos actus in eam consuetudinem evasit, quae a necessitate parum abest.

§ 52.

Huic vero gravitati sat magnae pondus insigne addunt aliorum exempla. Ad solum Dei amorem conari, reliqua omnia, nisi in quantum ad illum faciunt, negligere, vivendi ratio est nostra aetate peregrina et rara admodum. Plurimi equidem in statu gratiae se conservare satagunt, in reliquis naturae indulgent, aut certe ultra limites commoditatis parum constare volunt. Volunt quidem ex toto corde diligere, et simul ex in-

tegro fere sibi vivere. Tot igitur sublesta exempla penetrare grave est. Nimis pronum est, ut etiam bonae et egregiae mentes sibi honestum esse credant, quod aliis justum esse vident. Magna vis verborum est; sed illa exemplorum multo efficacior. Difficillimum est, contra torrentem niti, et improbi laboris cum propria natura, et cum tepidis aliorum exemplis, id est, secum, et cum plurimis aliis pugnare. Quare evertenda sunt falsa principia et praejudicia: solida vero pietatis principia contra sensum mundi usque ad exprobrationem pertinaciae retinenda sunt.

§ 53.

Ast quantum demum conatum impendere debeo, ut ad praestitutum finem perveniam? Facilis est responsio: *omnem*. Visne conatus hujus symbolum quoddam? Dabo illud aptissimum utpote a Spiritu Sancto dictatum (I. Cor. 9, 24. 25): « *Fratres, nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam* ». En conatus tui nobile paradigma! considera currentem illum: non tantum pedibus, sed brachiis, capite, et totius corporis dispositione cursum adjuvat: nihil cogitat, loquitur, aut intendit, nisi metam quam citissime attingendam; ab omnibus abstinet, quae cursum non adjuvant.

§ 54.

Et sane, si ita comparatus studium ingrediaris, si hoc unicum, et reliqua duntaxat, in quantum ad illud conducunt, tibi proposita habeas, tunc bene tecum agitur. Crede mihi, pervenies, quo tendis, eritque tibi aliquando, ut Deum ex toto corde et amore purissimo diligas. Imo vel sic incipiendo grande itineris tui spatium confecisti, etsi opera et passus tui satis hucusque infirmi sint. Desuper te certum facit S. Theresia,

magna illa, omnibusque probatissima divini amoris magistra. Et licet deinceps parum proficias (— cujus quidem profectus, etsi vix notabilis, infallibile signum est, in conatu persistere —) sensim tamen sine sensu multum promoveberis, prout rursus securum te faciunt viri in hac arte praecipui.

§ 55.

Superest tertium proficere volenti necessarium subsidium: estque **sacra et multiplex oratio.** Non vero accipio hic orationem in stricto sensu duntaxat, sed in latiori, in quantum omnem elevationem mentis in Deum sub se comprehendit. Haec autem sacra oratio est piorum, quae mox inter necessaria commemoravi, subsidiorum velut fulcrum; nam et gratiam obtinet, et libertatis tuae facultatem seu voluntatem ad generosos ausus accendit, id est, duas amoris divini causas agentes et efficaces reddit. Imo ipsum proximum proficiendi auxilium seu exercitationem (— de qua §§ 44 et 45 —) in se continet; nunquam enim aut frequentiores, aut magis intensos actus amoris, quam in oratione, elicimus.

§ 56.

Nullum officium Spiritus Sanctus adeo frequenter inculcat quam sanctam orationem. In solis libris novi testamenti oratio, et plerumque continua, plus quam trigesies praecipitur. Vitae spiritualis magistri in ea commendanda sunt toti. S. Theresia huic soli omnem progressum suum adscribit, et hac durante maximum hoc spiritualis profectus negotium nunquam in infelicem finem desinere posse arbitratur. Praecipue necessaria est ingravescente lucta, vel insigni aliqua tristitia, tentatione, derelictione, aut perturbatione prementibus; tunc enim ab oratione non erit surgendum, vel certe ea toties et tamdiu repetenda, donec mittatur nobis consolator angelus seu gratia confortans, non quidem ut deliciis recreet, sed ut ad patiendum et moriendum animet. Mirabiles, crede mihi, orationis in maxima praecipue necessitate effectus percipies, si in ea per-

stiteris. Quandoque uno alterove momento plus laetitiae percipies, quam acerbitatis integro mense hausisti: aliquando vero (quae gratia sine comparatione praestantior est), tantum robur ad patiendum tibi adspirabitur, ut angustias nequidem pro spiritualibus deliciis commutare velles. Scilicet: « *Clamabit ad me* », ait Dominus, « *et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum* » (Psalm. 90, 15). Lege cap. II. Eccli., et pro statu derelictionis plurimum confortaberis.

§ 57.

Maxime autem illud orationis genus commendant, quod per pias aspirationes et continuas mentis in Deum elevationes perficitur; hoc enim perpetuo et inter quaevis negotia potest exerceri, mentemque in continuo fervore servat, ac demum hominem eo perducit, ut inter innumeras externas occupationes a consideratione Dei nunquam avellatur. Facile eundem quis amat, de quo perpetuo cogitat: neque dignior quis est, in quem Deus respiciat, quam qui ab eodem oculos suos nunquam avertit.

§ 58.

Inter subsidia proficiendi necessaria vel maxime obtinet perpetua **laetitia spiritus et pax animi**, ut non tantum fortiter, sed etiam cum laetitia proeliemur proelia Domini. « Tristitia vix unquam, perturbatio vero nunquam ad amorem divinum conducunt », ait S. Franciscus Salesius. Et merito, nam, praeterquam quod aciei perturbatae nil nisi clades immineat, perturbatio et pusillanimitas a natura vel daemone, nunquam a Spiritu Sancto ortum trahit, eo quod minima perturbatio revera naevum contineat, cujus utique Spiritus Sanctus non potest auctor esse. Quapropter quodcunque pacem tollit, quodcunque animum fluctuantem reddit, tamquam certa tentatio repellendum est; et post varios lapsus tranquille surgendum, ac perpetuo pergendum est, etsi nihil de profectu, sed potius

vestigia defectus appareant. Etiam inter alia temporis hujus tristissima fata sine omni vacillatione aut dejectione perdurandum. Verbo uno: in perpetua pace et laetitia vivendum. — Verum quae de laetitia, pace et opposita perturbatione in praesenti § dicuntur, intelligenda sunt de laetitia, pace et perturbatione animi seu voluntatis, non sensus et cordis, seu, prout ajunt, inferioris hominis. Hi enim actus et motus in nostra potestate non sunt, debentque ad modum alterius passionis, e. gr. irae, patienter et sine consensu voluntatis tolerari, eo quod pro libitu nostro sopiri et extingui non possint, licet eousque acerbi sint, ut agoni mortis aequiparari mereantur. Dein id quoque notandum, hanc perennem spiritus exultationem, utut summe utilem, inter proficiendi auxilia vix specialem classem constituere, eo quod fiduciae in Deum supra descriptae certus effectus sit; si enim fide nihil haesitante in Deo confisus fueris, unde tristitia et animi dejectio? Si scias, infinitae potentiae, et infiniti pariter amoris amicum penes te stare, utique laetitiae et planae tranquillitatis rationem tenes, et quidem rationem infinitam.

§ 59.

Jam inter **remota proficiendi subsidia**, post ea, quae necessaria sunt, utilia recensebo. Atque inter haec facile primo loco se offert *silentium et solitudo*, antiquum illud sanctitatis robur et tutela, SS. Patrum et ipsius Salvatoris divino exemplo commendata, qui quidem triginta circiter annos delituit, ut a silente Patris Verbo silentii vim disceret loquax et sui incurius homo. In hac solitudine spiritus devotionis et fervoris custoditur, et quod oratio parit, silentium educat, ac ad justum robur perducit.

§ 60.

Econtra vero inter turbas et confabulationes divini amoris scintillae facile dissipantur. Et quod tot Sacramenta, meditationes, lectiones piae, aliaque exercitia vel nullum vel saltem

non diuturnum effectum in nobis exerceant, mea opinione alia non est ratio, quam perpetua linguae, et quae sequitur mentis evagatio ad profana negotia, quae pretiosa semina velut noxiae volucres comedunt, aut velut spinae suffocant. Dici non potest, quantas opes in incautis colloquiis disperdamus, et quam pretiosum longarum meditationum fructum brevi saepe garritu conculcemus. Profanas insuper affectiones nostras alter alteri velut insalubrem halitum afflamus, suoque quisque vitio alterum imbuit, cui proprii morbi aliunde sat negotii facessunt. — Hoc tamen solitudinis ac silentii studium saepe utique moderari necessum est. Charitas, obedientia, officium, imo justitia saepe longos cum hominibus tractatus imperant. Ne nimis multa inde tibi, tuoque maximo negotio dispendia nascantur, imprimis, quantum potes, a tractatibus cum saeculo tibi cave: in necessariis, quantum negotii ratio admittit, brevis esto: demum in omnibus congressibus et colloquiis tuis, prout res patitur, spiritualia, seria, utilia miscenda erunt mente, ut fieri poterit, continuo Deo affixa.

§ 61.

Secundo loco commemoranda est *eadem semper atque ex continuo usu firmata tendendi ratio.* Perfectio consistit in consuetudine, seu habitu. Jam huic conatus consimiles plurimum amici sunt, perpetua vero mutatio mentem nunquam figit. Tres viae e Germania Romam tendunt. Jam si e Bononiensi transilies ad Florentinam, et hac rursus relicta veharis per mare Adriaticum, vel demum ad Ligusticum remiges: quot ambages! quot ex hac perpetua mutatione inutiles labores! Dudum Romae fores, si eidem semper viae institisses. Ast idem tibi continget, si modo ductum S. Bonaventurae, nunc S. Francisci Salesii, nunc Blosii, nunc alterius, etsi insignis in hac arte Magistri sequaris. Meris scilicet mutationibus lassaberis. Omnes siquidem egregii sunt, ad eundem finem ducunt, sed non per eandem viam. Insiste eidem semper viae, et ad optatum terminum citatis passibus pervenies. — Id

autem intelligendum, quantum ad Ascetam dirigentem; nam pro conciliando motu voluntatis poteris plurimos eosque diversissimos adhibere. Directio determinat impetum, unde illa eadem debet esse: impetus vero unde natus ope consimilis directionis ad eundem semper finem faciet.

§ 62.

Plurimum autem juvat eligere egregium maximeque probatum. Ex optima forma optimus, ex bona bonus, ex mediocri mediocris formaberis. Neque dabitur in ectypo, quod in prototypo non dabatur. Aut quid disces ab infimae sortis magistro? aut quid non disces a praestante? — Quinam vero illi heroes sint, § 64 docebo.

§ 63.

Ad remota proficiendi auxilia varia possent referri, inter quae vel maxime obtinet, ut te nonnisi fervidis et progredi conantibus, quantum licet, associes. Alii enim suis praejudiciis pervertent intellectum, et fatali frigore suo voluntatem tuam gravem ac immobilem efficient. Dici non potest, quantum societas et exempla perfectorum conducant: pene dimidium laboris auferunt. Alacriter progredientes assectari, et licet per viam asperam currentes insequi, tolerabilis molestiae res est: itinere autem difficili gradi, et insuper velut per obnitentium turbam sese urgere, magnae virtutis, et obfirmati omnino animi negotium est. Verum hoc, aliaque non nimis longa oratione prosequi, sed potius praeterire juvat, ne multitudine regularum te obruam. Plura et propinque ad te facientia docebit Spiritus Sanctus, vel etiam vivus quidam director, cui te tuamque causam committes.

§ 64.

Quantum vero ad libros pro directione utiles, praecipuos commemorabo. Inter egregios itaque, et quos tuto sequi pos-

sis, sunt *P. Laurentii Scupuli:* viginti quinque memorialia *S. Bonaventurae:* compendium seu ars sanctitatis *P. Rogacii: P. Eusebii Nierembergii* « vita divina », incipiendo a capite XIV: varia opuscula *Ven. Blosii* (aliqua enim ad affectum pertinent); opera *S. Francisci Salesii;* directorium asceticum *P. Scaramelli; P. Alph. Rodriguez.* — *NB.* Certe Ven. Auctor (✝ 1808), si ipsi libri ascetici innotuissent coaevi *S. Alphonsi Liguorii,* Ecclesiae Doctoris, quocum in exponendo christianae perfectionis negotio mirum in modum consentit, etiam hunc sanctum asceseos Magistrum commendasset, quod nunc Auctoris loco factum sit.

§ 65.

En jam maximi negotii brevissimum compendium! cujus quidem finis, aggrediendi ratio, exequendi subsidium maximum, denique omnia Deus est, ita tamen, ut conatus noster, aliaque mox commemorata emolumenta utique a Deo concessa haud excludantnr. In unam pene periodum totum contrahes, si cogitaveris: Deum ex omnibus viribus sine intermissione diligere, seu in omni actione nihil aliud, quam ejus placitum et gloriam quaerere, beatissimus status perfectionis est. Hujus tanti negotii ratio movens summa et unica est ipse Deus, utpote omni amore hoc, et alio quovis immenso in immensum dignissimus. Ad hunc statum proxime conducit, hosce actus frequentes et arduos exercere. Tam grave exercitium necessario requirit invictam in Deum fiduciam, generosum animi decretum rem adeo arduam aggrediendi et prosequendi, ac demum multam et constantem orationem. Plurimum vero juvatur illud, quod mox dixi, amoris divini exercitium silentio et solitudine, simili per omnia ac constanti tendendi ratione, exemplo, ac societate ad hoc opus ferventium, aliisque variis adminiculis gratiae, ac propriae vel alienae prudentiae ope inveniendis. Hoc solum addo: reliqua molimina, contentiones ac opera, quae huc non conducunt, etsi excelsa et summa videantur, otiosa sunt, perdita, imo miseranda: nam infinitae

ac divinae rationi desunt, et ab ultimo fine exerrant, qui alius non est, quam ut

In omnibus glorificetur Deus!

De perfectione christiana Religiosorum.

CAPUT I.

De loco, quem inter subsidia ad perfectionem veniendi, status religiosus obtinet.

§ 1.

Cum in supraposita doctrina « De perfectione christiana » vitae vero piae typus ante oculos vestros positus sit et in eo de statu religioso, qui tamen ad perfectam caritatem propinque admodum facit, nihil occurrat, scire desideratis, Fratres in Christo carissimi, quo loco is habendus sit, aut quem locum in ipsa perfectione, aut inter subsidia ad eam perveniendi obtineat. Et quidem nosse plurimum interest, quo pretio res quaelibet aestimanda, vel quantum ab eadem emolumenti exspectandum sit. Hinc de Religione, cui vos, Fratres carissimi, addixistis, praecipua capita perscribenda esse arbitror. Licet enim hac de re vobis nec vivam institutionem nec selectum piorum librorum deesse autumem, juvat tamen eadem iterato et diversa ratione digesta percipere, ac insuper micas, ab aliis sparsim relictas, brevi industria colligere.

§ 2.

Scilicet est merus et perniciosus admodum error credentium, *solos Religiosos*, aut fors etiam *Sacerdotes* ad perfectionem esse vocatos, cum ad hanc et miles in castris, et serva ad molem alligata et rex, e throno populo jura dans, denique

omnes teneantur. Si enim DEUM ex toto corde atque omnibus viribus diligant, erunt perfecti; et ut faciant id, primo illo et maximo praecepto adstringuntur, quod omnibus omnino hominibus scriptum est, ut scilicet Deum ex toto corde, et tota anima, et tota mente propter Deum diligant.

§ 3.

Quapropter cogitare debetis, statum religiosum per vota aliaque praecepta novas obligationes inducere quidem, ipsum tamen et omnia ejus officia nec esse ipsam perfectionem, nec obligationem praecipuam ad eam contendendi continere. Religiosi equidem ad singularem vitae perfectionem teneri dicuntur, sed ista obligatio ab obligatione votorum et praeceptorum non distinguitur, ita, ut non ad ipsam perfectionem, sed nonnisi ad quaedam definita perfectionis subsidia speciatim teneantur. Quare praecipuum et primum perfectionis sectandae officium reapse cum reliquis commune habet, ad quam status Religionis est auxilium seu, ut rectius dicam, omnium auxiliorum insigne quoddam compendium.

§ 4.

Atque haec eo dicta sunt, ut in maximo vitae nostrae negotio, scilicet in intelligenda atque exercenda divina caritate, quam Apostolus « vinculum perfectionis » rectissime vocat, scire possitis, quo loco et pretio statum Religionis aestimare debeatis. Nimirum non est finis vitae nostrae (— hic enim sola et perfecta Dei caritate attingitur —), sed est subsidium et, prout ajunt, medium ad eam perveniendi, et quidem probatissimum et efficacissimum. Et licet Sacrae Religiones a primaevo spiritu multum remiserint, nihilominus, quantum nobis constat, ab ultimis quinque Ecclesiae saeculis ex centum, qui perfectionem adepti aut verae sanctitatis nota insignes fuerunt, *ad minus septuaginta Religiosi* erant, cum tamen reliquam hominum molem computando nec centesimus

illam consequatur. Insignis plane regula, et nunquam satis aestimanda, quae suae probitatis tot argumenta, quot viros perfectos dedit.

§ 5.

Nunc vero, carissimi Fratres, de praecipuo et maximo illo negotio sollicitos esse vos video, et vehementer quidem scire desideratis, quidnam nobilissima illa caritas sit, quae totius vitae apex, ipsa perfectio, et omnium actionum et officiorum augusta princeps, reliqua omnia infinitis spatiis post se relinquit, et cui universa, et inter illa etiam status religiosus famulatur. Et quidem de hoc rectissime interrogatis, utpote in quo reliquorum omnium cardo versatur et summa rerum continetur. Hujus ignoratio magnanimos conatus suo effectu destituit, cum utique merus error sit industria tendendi, si nesciatur, quorsum tendendum sit. Hanc ergo vestram interrogationem duobus pene verbis absolvo, quibus ajo, Deum perfecte diligere aliud non esse, quam perpetuo id agere, quod ei placet (— quod maxime arduum est —) excluso omni naturae aut consensus proprii impetu id eo solum modo agere, quia ei placet; quod est vitae genus unice rectum, exactissimum, maxime perfectum et plane divinum, utpote illius vitae, quam Christus confecit, aemulum, qui descendit de coelo, non ut suam, sed ut Patris voluntatem faceret. Plura de hoc momento, omnium maximo, cumulate vos edocebunt magistri meliores me, qui praesenti opere aliud mihi non sumo, quam ut ostendam, quid ad veram vitae perfectionem conferat Institutum Religiosum, illud maxime, cui vos mancipastis, et quod auctor ejusdem Religionem Fratrum Minorum vocari voluit.

§ 6.

Et quidem praecepta Religionis fere ad duplicem classem pertinent. Quaedam enim ad actus exteriores spectantia et corpus ad finem Religionis componentia sub nomine *disciplinae monasticae* veniunt; alia vero animam hominis per-

ficientia actionesque interiores ad normam caritatis instituentia spiritum Religionis constituunt; utraque simul totum denique hominem Deo sacrificant. Hinc primo loco tractandum esse opinor

CAPUT II.

De disciplinae religiosae utilitate, dignitate et suavitate.

§ 7.

Porro haec, quam vocamus, disciplina religiosa sub se continet varios ritus et exteriores apparatus, quibus mens humana propriis et naturalibus sensibus assueta, ab iisdem avellitur et altioribus purioribusque affectibus praeparatur. Inest nobis quippe genialis quaedam ad honorem et delicias tendens animi propensio, quae sub decoris et generosi specie nos decipiens veram animi humilitatem et exactae justitiae severitatem, i. e., spiritum Christi, oppugnat.

§ 8.

Nullum ista sui indicium in bonis praecipue mentibus edit, donec actibus sibi adversis laesa suo se doloris sensu prodit. Sic nimio affectu ad fortunas, et alias nescio quas minutias ferri mens recta ne suspicaretur quidem, sed afflictio et perturbatio, quam ex eorum jactura incurrit, manifesta argumenta sunt, tales iis ut cutem accrevisse, non ut vestes adaptatas tantum fuisse. Sic alia ad humilitatem aliasque virtutes pertinentia, non nisi cum labore aliquo ac molestia exsequimur, quo plane sensus iisdem adversans, hucusque tamen occultus et talium ope vulneratus proditur, sed tamen demum fatigatur, vel etiam feliciter enecatur.

§ 9.

Sic, ut singula quaedam percurram, nuditas pedum, caput servilem in modum detonsum, vestitus ad aliquem rigo-

rem, magis autem ad contemptum factus, calcei ex ligno compositi, flagella servis aut magis delinquentibus destinata, denique nonnullae ex verecundia molestiae eos sensus exprimunt, qui perfecte innocentibus, et ab omni vel levi noxa perpetuo immunibus inconvenientes forsan, pro nobis tamen peccatoribus justo generosiores sunt. Sic etiam accusationibus et poenis inde inflictis, et pene ad speciem solum comparatis saepe non solidas culpas luimus, ut veris delictis pudorem debitum et afflictionem utcunque gustemus.

§ 10.

Quid mendicitatem et omnium arbitrio obnoxiam conditionem itinerum insignes molestias, habitandi decumbendique paupertatem, suppellectilis librorum, quandoque victus et aliorum ad necessitatem spectantium penuria commemorem? Quid nocturnas vigilias, quid jejunia sat longa, quid, ne omnia recensendo molestus sim, quid praeter tria vota tot alia praecepta arcte obligantia, variasque constitutiones licet nullum conscientiae vinculum inducentes, observari tamen non raro solitas huc afferam? Illud solum monere necesse habeo, licet horum aliqua non adeo gravia sint, omnia tamen et simul sumpta insigne pondus conficiunt. *Ast quanta in his humilitatis subsidia! quanta contra sensum naturae ubique se ingerentis remedia! quam apta ad sanctius caritatis imperium admittendum praeparatio!* Hisce molestiis velut totidem ictibus percussi nobismetipsis facile emorimur. Cum inter blandas facilesque tractationes natura et sensus proprius copiosum semper cibum ac succum inveniat, nobisque invitis suffuretur, quibus se sustentet et a salutari morte tueatur.

§ 11.

Et haec de utilitate disciplinae monasticae, nunc de ejus dignitate et suavitate. Quis autem in abjectione excellentiam et quis in hac acerbitate delicias quaerat? Et tamen copiosissime ea omnia hic delitescunt. Scilicet

auctor naturae ordinem naturae mutavit, et « *quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi elegit Deus, et contemptibilia, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus* » (I. Cor. 1, 27—29). Scilicet omnia terrena indigna sunt, ut in iis gloriemur, et inde magnopere expedit, ut utili contemptu spuriae sensus gloriae extinguatur, et non in nobis ipsis laudem quaerentes jam in solo Domino gloriemur, et ut viritim dicamus: « *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo* » (Gal. 6, 14).

§ 12.

Et sane! cum Majestatem aeterni Verbi sputis foedatam, pedibus impiissimorum protritam, in luto volutatam et denique in patibulo crucis ad extremum dedecus expositam piis oculis conspexerit, fieri non potest, quin animus ad insignem amorem contemptus incitetur. Scilicet Domini nostri dejectionem parum honorabimus, si sputa et sordes patienter tractemus tantum, et non ut decora quaedam aestimemus etiam. Quem vero sensum de paupertate verba Apostoli injiciant nobis, quibus dicit: « *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives* » (II. Cor. 8, 9). Quid opprobria, quid animi angustias, in agonem et sanguineum sudorem demum desinentes; quid tot et tam alte hiantia vulnera, quid fusum omnem sanguinem, quid extremam illam in cruce derelictionem, mortemque ipsam; quid omnium denique dolorum congeriem otiose et sine desiderio patiendi expendemus? Annon optabimus, ut ex sensu aerumnarum nostrarum ortas, easque a peccato infectas lacrimas fluvio sanguinis, et quidem divini sanguinis reddere liceat? annon angustiae nostrae nobis pro laetitia sapiant? annon S. Ignatii sollicitudinem justissimam esse dicemus, qua timebat, ne feritas leonum christianorum precibus mitigata necis spem destituat? Intelligimus utique grandia herois verba,

quibus ajebat: « Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio et tota tormenta diaboli in me veniant etc. » Haec aliorumque innumera et ardentissima pro Christo patiendi desideria eum sensum, quem infinitus Dei pro nobis morientis amor meretur, excitare in nobis debent, ut leves vitae nostrae molestias, et eas, quas vita religiosa affert, exercitationes avide amplectamur, in illasque tamquam pugnam lubricam pene quidem, nostra tamen imbecillitati aptam laeti involemus, et id exinde assequamur, ut si in magnos dolores et calamitates non sufficiamus, omnem tamen honorem ac delicias, tamquam purissimo Christi spiritui adversas, quantum per prudentiae aliasque vitae nostrae rationes fieri potest, fugiamus vereque abominemur.

§ 13.

Et quidem nullius spiritum sat probatum esse docuerunt viri in pietate summi, *nisi is cruce signatus sit*, id est, nisi in illo nobile contemptus et aerumnarum desiderium se prodat eaque fuit Sanctorum conjurata opinio, ut cruces, derelictiones, dolores, contemptus, persecutiones et quaevis adversa prae omni coelesti consolatione, prae dono miraculorum et exstasis aestimaverint; imo certum est, has coelestes delicias *in id tantum concedi*, ut ad gravissimas calamitates et extremas acerbitates perferendas sufficiant iis, quos Deus ad singularem sui amorem vocavit. Unde illud, licet paucis cognitum, verissimum tamen in doctrina solidae pietatis principium: Tantum quisque Deum diligit, quantum ardua pro eo perficit aut tolerat. Et quantum ad ardorem et incrementum pertinet (— aliud de puritate —) amoris divini, eadem est mensura caritatis, quae est difficultatis. De quo infra.

§ 14.

Et quidem quanta dignitas, suavitas et solida utilitas in vita Fratrum Minorum lateat, abunde intelliget, qui intimiores ejus rationes perspiciet. *Nulla regula*, nulla in-

stitutio, nullum vitae genus tantum succi ex Evangelio et Cruce Domini bibit, quantum paucae illae pagellae. Id, ut alia omittam, copiose evincitur ex sensu et contentione summorum et sanctissimorum virorum, qui istam vitae rationem constituerunt. Quis recensebit Beatissimi Protoparentis nostri gemitus et lamenta, integros dies et noctes protracta? quis integra illa flumina lacrimarum nonnisi divinis promissionibus et solatiis sistenda, satis commemoret, quae idem Patriarcha Seraphicus fudit, dum latissimam vineam suam ad prodigium usque excultam devastari cerneret?

§ 15.

Summum dolorem inter et gaudium maximum medius esse debebit, qui cogitaverit, quod pro tuenda Regula nostra S. Antonius Patavinus tam strenue decertaverit, Fr. Leo, comes S. P. Francisci, jubente Fr. Elia, flagellis caesus et ab Assisio ejectus, P. Caesarius Spirensis in carcere mortuus, et alii similes aut etiam graviores aerumnas pertulerint. Agones, quibus pro eadem Paulutius a Trincis, Bernardinus Senensis, Joannes a Capistrano, Joannes a Guadalupe, Petrus de Alcantara, Stephanus a Molina, aliique plurimi ipsius Ordinis cum Principibus, Regibus, Summis Pontificibus decertarunt, tanti fuere, ut multi Martyres pro christiana fide faciliores sustinuerint. O quam pretiosum nobis esse debebit nobile illud institutum, quod tot lacrimis, sudoribus et tanto sanguine constitit! Quanto et nonne pari omnino studio disciplinae regularis capita a sanctissimis viris vel condita vel conservata vel instaurata colere debemus, quo sacras eorum reliquias veneramur? Sed et quanti detrimenti illorum ausus esse oportet, qui sub spuriae discretionis obtentu nobilissima disciplinae capita relaxant aut omnino aboleri faciunt?

§ 16.

Sane! insignem gratiam debemus majoribus nostris, quod non contemnendam pretiosi adeo patrimonii portionem ab avis

proavisque suis acceptam ad nos transmiserint. Sed etiam (— si de proxima abhinc aetate agatur —) *non leves nec iniquae querelae* in eosdem redundant, *quod multa et gravia monasticae vitae momenta perire sint passi.* Eat nunc aliquis, etiam generosus, eadem restituere conetur; et id quidem nullis rationibus, nullis lacrimis, nec ipso sanguine efficiet; etiam bonos habebit sibi obstrepentes, in rationibus adversis cogitandis sat Religiosi alias suum ingenium exercebunt. Denique omnes pro aris fere patriis decertabunt, ne suscitentur ea, quae a viris sanctissimis inventa, a ferventissimis usurpata, ad solidos progressus (— saltem in Regula et relate ad communitatem —) necessaria, denique ad publicam Religionis utilitatem summopere conducentia sunt. Nesciunt profecto improvidae mentes, quo spiritu agantur; ubi se putant officium Deo praestare, reapse virtutem persequuntur, publica proficiendi subsidia avertunt, et bonam melioris aetatis spem suffocantes, tenellos parvulos ad petram allidunt, utique in veros Israelitas evasuros, si persecutor defuisset [1].

---

[1] Cum (— prout ex supradictis patet et experientia docet —) « disciplina monastica seu religiosa » pro statu religioso ac praeprimis in educatione juventutis religiosae res sit tanti momenti et ex tempore auctoris († 1808) hujus « De perfectione christiana » opusculi certe non refloruerit, sed e contrario injuria temporis et sic dicto genio moderno non parum decreverit, insequentibus, praesertim in Tractatibus IV et V haec « disciplina religiosa » respiciebatur; et quidem non disciplina religiosa e x t e r n a tantum, sed intime conjuncta cum « s p i r i t u r e l i g i o s o », sine quo disciplina monastica, tamquam corpus sine anima, parum aut nihil valeret in negotio perfectionis religiosae. Ex dictis autem etiam liquet, quantopere errarent, si invenirentur Superiores ac Novitiorum Clericorumve Magistri opinantes, « disciplinam religiosam rem esse obsoletam nostrumque ad aevum minus aptam ideoque in educatione juventutis religiosae non adeo urgendam, sed magis genio moderno accommodandam ». Quam perversa opinio! Profecto, qui neglecta « disciplina religiosa » Novitios aut Clericos educare voluerint, Provinciae suae et toti Ordini vulnera infligunt, non raro post decennia vix sananda. Juvat hic (— ad ea, quae jam in Prooemio de educatione juventutis Seraphicae dicta sunt —) Rmi P. Ministri Generalis, Bernardini a Portu Romatino, adducere verba

§ 17.

Equidem citra propriae partis studium ausim asserere, eam, qua nos utimur, Regulam reliquis, quae aetatis et patriae nostrae vicinae sunt, nihil deteriorem, imo aliquam ex optimis esse; quia vero res non comparatione cum aliis, sed propria

---

ex epistola encyclica, quam de hoc ad quandam Ordinis Provinciam in visitatione canonica (1872) dedit. Ait Rmus Pater de Novitiis et Clericis recte in disciplina monastica educandis: « Recta et sapiens juvenum institutio eorumque in disciplina regulari accuratissima exercitatio, quam maxime mihi cordi est, et vobis omnibus, Patres carissimi, esse debet; exinde enim Provinciarum et totius Ordinis futurae sortes dependent. Quare enixissime rogo omnes Superiores et praesertim Magistros tum Novitiorum tum Clericorum, ut in re tanti momenti supremam diligentiam et continuam vigilantiam adhibeant. Cum eis utique agant cum omni caritate, benignitate, suavitate; sint illis loco patris et matris; sed ita tamen, ut nihil praetermittant, nihil in terram cadere sinant, quin instructionem, admonitionem, correctionem, humiliationem et punitionem opportune tribuant. Licet enim saecularia tempora mutata sint, et juvenes, qui Ordinem ingrediuntur, quasdam e saeculo libertatis, independentiae, suique commodi ideas deferant, attamen semper idem est Christus, heri et hodie et in saecula, semper eadem est meta, quam sibi proponere debent illi, qui in sortem Domini vocantur, semper ad perfectionem tendere debent, qui religiosi fieri volunt: et idcirco semper illis Christi verba repetenda sunt: *,Potestisne bibere calicem'?* — *,Qui non odit patrem suum et matrem suam, adhuc autem et animam suam et sequitur me, non est me dignus'.* — *,Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem quotidie, et sequatur me'.* — Atque ut haec facilius percipere et libentius amplecti valeant, Magistri vitam Domini nostri Jesu Christi per lectiones et meditationes illis explanent, christianae ac religiosae vitae et perfectionis praecepta illis tradant; S. Regulam nostram crebrius et fusius exponant, eosque exemplis Sanctorum, praesertim Ordinis nostri ad talia sectanda vestigia inflamment. Simul autem exigant ab ipsis perfectam disciplinarium legum observantiam, praesertim silentium, extra tempus recreationis, ubique etiam in schola strictissime servandum, religiosam omnium sensuum mortificationem, compositionem et modestiam qualibet occasione habendam, caritatem, comitatem, mansuetudinem cum confratribus custodiendam. Praeterea, post prudentem praeparationem, non abstineant eos in actibus difficilioribus paupertatis, obedientiae, mortifica-

et absoluta bonitate constant, gravis illa et severa disputatione dignissima *controversia superest*, an ex primorum parentum nostrorum observantia plus hucusque perierit, vel supersit, et an dimidium Religionis nostrae teneamus? — Cumque religiosae, sicut aliae quaevis communitates modo efflorescere, nunc autem minui, aut decrescere, aut etiam perire soleant, altera non minus gravis, imo longe gravior quaestio enascitur, an spectatis rebus et affectibus nostris disciplinae monasticae incrementis vel detrimentis appropinquemus? an perdere vel lucrari videamus? aut spes timorem, vel iste illam superet? — Cui demum accedit tertia omnium gravissima, quae rebus nostris vel cadentibus remedia, vel accrescentibus subsidia inveniri queant, et ea quidem subsidia, quae solidum insuper effectum editura sint?

§ 18.

Quas quidem quaestiones ego non decidere, sed potius ex eo commemorare tantum velim, ut nonnihil intelligere possitis, quantum momentum rebus nostris disciplina monastica afferat, quodque eadem res nostras sacras ac publicas conservet, maximam dignitatem, parem spiritus suavitatem, et ad progressus sacros insignem utilitatem conciliet; econtra vero destructa disciplina illa omnia pariter sacra corruant. Nimirum non nostra tantum emolumenta curabitis, sed totam etiam Religionem; neque solum pro moderna, sed pro futura quoque aetate; et sic ipsam posteritatem insigniter devincietis, *si exactissimam disciplinam tenentes eandem in vo-*

---

tionis, et exterioris humiliationis (— quos doleo in hac Provincia fere in desuetudinem abiisse —) exercere: hujusmodi enim actus ad retundendam superbiam, ad humilitatem comparandam, et ad habitus aliarum virtutum acquirendos mirifice inservire, omnes spiritualis vitae Magistri profitentur. Exinde etiam argumentum habebunt Magistri, quo de divina ad regularem vitam et ad Sacerdotium juvenum vocatione certiores fiant, et judicium moraliter certum pronuntiare valeant etc. etc. » (Encycl. Rmi P. Min. Generalis supr. cit.).

bis et moribus vestris reviviscere et perennare faciatis. Exactissimae leges atque optima institutio solis verbis descripta elegans quidem est, sed recti hominis imago sola est vita eidem conformis, ut adeo ad publicam utilitatem multum conferunt ii, qui optimas leges condunt, ast omni comparatione plus ii addunt, qui easdem exacte observant, tantumque inter utrumque conatum interest, quanto melius est optima facere, quam cogitare.

CAPUT III.

De spiritu religioso.

§ 19.

Utut autem hucusque commemorata plurimum commendanda sint, ea tamen summam rei minime absolvunt, suisque alienisque rebus parum consulunt, qui in hisce haerentes disciplinam monasticam pene solam alios docent vel ipsimet exercent; scilicet hi corticem sine nucleo, et florem sine fructu, id est, sine effectu, et egregia subsidia absque fine tenent, strepitum, non impetum edentes. Altius igitur enitendum, et sensibus ope disciplinae illius recte praeparatis, seu potius mitigatis mens demum maxime excolenda est, quae sola verae honestatis sedes, nobilis illa rerum omnium princeps, et ea, quam Deus ambit, felicissima sponsa est; scilicet « *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* » (Joan. 4, 24).

§ 20.

Cum itaque animo proficiendo omnia, et inter haec etiam disciplina monastica destinentur, jam quaeretis, qua ratione is exinde sit excolendus? vel quidnam sit ille, de quo modo agitur, spiritus Religionis? Quia vero didicistis, perfectionem seu plenam spiritus caritatem in felicissima illa consuetudine seu habitu, hoc est, in ipso usu, ac vetustate

quadam corroborata voluntatis nostrae bonitate consistere, qua ista id plerumque, ac velut perpetuo eligit, desiderat et exequitur, quod Deo maxime placere novit, et quidem omni alia ratione exclusa, ideo tantum illud agit, quia Deo prae reliquis placere arbitratur, ideo facile intelligatis, omnibus actibus, quibus iste habitus generatur, animum maxime excoli, et quod idem est, actibus caritatis caritatem constantem ac perseverantem parari proxime, cum utique virtus aut vitium frequenti sui exercitatione firmetur ac induresœat.

§ 21.

Atque puris adeo ac nobilibus actionibus spiritus Religionis constat, quae hisce actibus vivit, út adeo earum exercitio totos nos impendentes spiritum Religionis assequi recte dicamur. Et utique spiritus Religionis ab ipsa perfectione non aliter distinguitur, quam prout actus ab habitu et exercitatio a consuetudine differt. Estque iste spiritus Religionis nihil aliud, quam proximum proficiendi subsidium (de quo supra). Porro duas dotes requirit generosus adeo ac nobilis actus, puritatem scilicet et ardorem, quarum prior omnino est necessaria, altera summe utilis; de utraque speciatim agendum.

§ 22.

Diligere quempiam est velle et facere id, quod ei bonum et placitum est, atque ideo, quia ei bonum et placitum est. Neque enim veri amoris natura in dubiis et sensibus obnoxia affectione, sed in excelso voluntatis rationalis decreto consistit; id propterea exigit princeps ille affectuum, ut in bono et felicitate dilecti sistat, neque ulterius tendens in propriam fors utilitatem desinat, ut generosa liberalitate se ab ignobilis mercenarii amoris conditione secernat; qui enim alteri placitum praestat, ut exin sibi aut aliis bene sit, is plane non amat, sed servit, velut famulus, non autem veri nominis amicus.

§ 23.

Porro semper eligere ea, quae Deo placere magis videntur, arduum sane officium; sed magis grave est, ex ea tantum causa ea eligere, quod Deo placere existimatur; et quidem in rebus obviis ac quotidie occurrentibus insignis se offert molestia, si impetu sensus excluso solum placendi studium pro ratione motrice admittere velimus; in gravioribus autem et magni momenti id difficillimum, et, quod dolendum admodum est, etiam inter viros alias religiosos rarum. Age jam, et nostram aream purgemus.

§ 24.

Quis jam, quotusquisque inter nos datur, qui in usu cibi, potus, sermonis, somni etc. severus adeo honestatis exactor est, qui nulla naturae illecebra ductus, soli caritati cedat? et tamen naturae sensui indulgere profanum et impium est, cum ex voluntate, aut quocunque animali impetu agere (— Ecclesia summa id definiente —) minus rectum sit. Quam profundas vero hoc malum radices etiam in sacris communitatibus egerit, maximo argumento est, quod hac doctrina multi ex viris religiosis offenderentur, si ea publice edicatur. O quanta temporis spatia soli Deo debita etiam ab hominibus Deo ex asse dicatis furto fere sacrilego natura sibi rapit! Quam turpiter et mentes religiosae in eo decipiuntur, et fors etiam decipiunt! —

§ 25.

Verum *in rebus majoris momenti* id propriae voluntatis malum longe acerbius grassatur, in eligendo loco et munere, in affectu ad honores et commoda, in amore patriae, consanguineorum et popularium suorum etc., multum incaute admodum ac liberaliter sibi indulgent, parum advertentes, in publicis et gravibus negotiis se non Deo, sed sibi proprioque affectui servire, neque eligentes id, quod Deo placet, sed quod

sibi magis arridet. Et exinde primum artificiose rationes excogitant, quibus sibi persuadeant aut potius se decipiant, illud Deo placere, quod proprio arbitrio eligere statuunt, ut nimirum ita conscientiae adversantis stimulos sedent.

§ 26.

Finge tibi concionatorem, lectorem, alios, qui regendi, confessiones excipiendi, eleemosynas colligendi, parochiis inserviendi munus gerant, quosque hoc munus suum delectat, idque propterea quaesierint et obtinuerint: cui jam militant conciones ceteraque omnia? Sed scilicet vir devotus summo mane et per diem saepius bonam intentionem sedulo elicit, labores suos cum meritis Christi atque omnium Sanctorum unitos et commixtos esse desiderat; nilque nisi merissimum Dei amorem cogitat, loquitur et vult etiam, ast meris velleitatibus, uti vocant, id est, inefficacibus desideriis, *quibus princeps ille propriae delectationis affectus perpetuo superior est, et totum conatum eripit.* Idem in quibusvis religiosae vitae functionibus non raro contingit. Dei gloriam, obedientiam, salutem animarum, juxta religiosae vitae emolumenta ubique praetendimus, et nostro sensui indulgentes purissimos fines assimilamus, profanos affectus nostros haud enecantes, ac aliorum, imo etiam nostrae intellectioni infelicissime subducimus, sensum et speciem morbi, neutiquam vero ipsum morbum depellimus.

§ 27.

Ad pascendos affectus istos, vel alios ad id, quod desideratur, provehere volentes, labores suos, artes, parentelas, hisce deteriora adhibent, utique ex mero amore Dei, et nitidissima Deo placendi voluntate? O insignem pietatem, et mentis affectionisque puritatem singularem! — ast, risum teneatis, amici, potius larvam emortuae religionis! O sub innocente caritatis veste latens sacrilegium! « *Quis capiet nobis vulpeculas has parvas, quae demoliuntur optimas vineas* »? « *Quis*

fermentum hoc expurgabit, quod totam massam brevi tempore corrumpit » ?

§ 28.

Scio, quantopere hoc impietatis genus detestemini, imo tale quid in religiosis communitatibus dari nec divinabitis; et votis quidem omnibus optandum, ne lues ista vel unicum inficiat: *praemonendi tamen ac obfirmandi estis,* ne et vos ad venenatum hoc poculum labia admoveatis aliquando, ex quo a tot ac tantis intrepide potari non raro vobis suspicio erit. O si eousque vobis deficere contingeret, quantum id vobis malum foret! Ex eo mox instanti omnis in pietate progressus sisteretur, cum maxima vitae et conatuum vestrorum portio in naturam desineret; imo magis ac tot passibus regredi inciperetis, quot tales deliberatos affectus admitteretis.

§ 29.

Profecto, quicunque ita affecti sunt, longe minus peccaturi fuissent, si neglecta Religione profanum aliquod vitae genus optassent. Licet enim caducis inhaerere, semper et ubique certum sit vitium, in hominibus tamen *Deo per sacra vota consecratis* vehementem tamen solidi sacrilegii odorem efflat. Ac tales insuper conditionem suam etiam naturalem multo deteriorem reddiderunt; sat pingues rationes plerisque mundus obtulisset, munera publica, opulenta sacerdotia, spes patrimonii, honores et gradus exspectassent eos; nunc in sacra servitute spuriam libertatem, et in sordibus mendicitatis aemulandi materiam pari infelicitate et impudentia nituntur quaerere. O, quicunque animo sic comparati estis, exite hac domo, non est aptum vobis domicilium istud; mitiorem damnationem foris viventes, quam in domo Dei profanis hisce et impiis indulgentes affectibus incurretis. Nolite perversis istis exemplis pretiosa divinae gratiae semina et egregia perfectioris vitae initia etiam in aliis extinguere.

§ 30.

Atque haec de puritate spiritus religiosi. Nunc de ejus ardore pauca dicamus. Quicunque jam ea, quae Deo placent, et ideo tantum, quia Deo placent, semper agit, hic portum, hic hoste devicto pugnae campum jam tenet. Non tamen, qui improbo labore, et insuperabili mentis contentione huc tandem eluctati sunt, per omnia aequales sunt. Quibusdam enim major vis et in actus difficillimos sufficiens ardor est; et tanto inter profectos et proficientes quisque major est, quo graviora pro Deo vel agit vel patitur. Non id, quod efficitur, *sed qua intentionis puritate et quanto labore id perficiatur*, est attendendum. Age jam, et rem in exemplo expendamus.

§ 31.

Viri duo ex purissima in Deum caritate difficillimam missionem, id est, munus, a Religione nostra alienos Barbaros christianis sacris initiandi assumunt. Gravissima fuerunt, quae toleraverunt, ita tamen, ut prior ille plus aerumnarum prae altero tulerit, nec tamen unicum hominem Christo lucratus est. Alter vero mitiora perpessus, integram Ecclesiae provinciam, unacum rege et optimatibus conciliavit. Jam, si hi duo per reliqua omnia aequales exstiterint, quem, putas, majorem esse? a quo Deus perfectiori affectu dilectus fuit? — Sane, prior ille alterum superavit pro habita majori molestiae ratione. Scilicet conari affligi, laborare, seu, ut verbis Apostoli loquar: *« rigare et plantare nostrum, gloriosa incrementa efficere, solius Dei opus est »* (I. Cor. 3, 6. 7). Quare imperitus fraterculus, per pavimentum sordes verrens, aut colonus agrum excolens plus ad Dei gloriam confert, quam vir summa Ecclesiae negotia felicissime tractans, etsi par sit in utroque intentionis puritas, dummodo prior ille prae hoc difficilius laboret; non quod excelsa munia caritati sint adversa, sed quod sola difficultas, in ejus exercitiis exantlata, caritatis ardorem legitime metiatur. *O mysterium caritatis? o pretium insigne*

caritatis! o ligones et scopae haud raro prae pedo pastoricio pretiosae! O quantopere decipitur sensus humanus, vera rerum pretia ignorans! Quam recte S. Patriarcha noster pronuntiavit: «Simplicem fratrem non raro cum majori animarum numero, quam famosum concionatorem coelos subiturum».

§ 32.

His jam alteram religiosi spiritus dotem, id est, caritatis ardorem explicasse sufficiat. Id tamen monitos vos esse velim, ut ad initium cursus vestri eam, quam supra (— de perfectionis natura § 21 et et seq. —) descripsi, spiritus puritatem vobis maxime et unice commendatam habeatis. Res ista sane ardua est adeo, ut ad vos egregie exercendos, ac pene fatigandos abunde suffectura sit. Felicissime pugnabitis, si grandem illam dotem vobis evincatis. Alteri illi amoris praerogativae nonnisi *specialis gratiae intuitu* operam dabitis, quae, si super pauca fueritis fideles, supra multa vos constituet.

§ 33.

Sic jam status religiosi corpus et animam, id est, disciplinam et spiritum Religionis in curtis hisce pagellis imperite depictam, aut adumbratam potius, cernitis, facileque admittitis, insigne proficiendi subsidium in hoc vitae genere contineri. Quare aliud non superest, quam ut gravissimo monitu epistolam concludam; scilicet omnibus curis, colloquiis, amicitiis, societatibus, etiam cum fratribus exercendis declinate, perpetuo orationi (— quantumcunque per alia virtutum exercitia licebit —) vos addicite. O! negotium et nimis grave; totum hominem petit. Credite, alias parum aut nihil efficietis. Non mentitus est, neque ultra veritatis leges rem exaggeravit, qui dixit: « *Videte, vigilate et orate . . . Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate* »! (Marc. 13, 33. 37); quod quidem tristissima aeque ac frequentissima experientia demonstrat. Nonne abundant Religiosi,

imo innatant meris proficiendi subsidiis, et in omnibus Religionibus quot demum progrediuntur? — Major, et longe major pars talium Religiosorum est, qui e. gr. ab integro septennio nequidem parum profecti in eodem statu persistunt ceu arbores autumnales: imo fors omnino mortuae, quae frondes, ac fructus nullos proferunt? Quid? quod magnus eorum numerus insuper deficiat, atque ex pretioso religiosi status talento non tantum nulla lucra, sed insuper detrimenta sibi acquirat? O doloris acerbissimi materia! o damnum! o ruina nullis lacrimis sat deploranda! « *O quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* »*!* (Jer. Thren. 4, 1). Nimirum etiam in sacris Religionibus non est moris, acriter contendere et toto conatu ad coelestia ferri; talia ad excessum, ad singularitates, uti ajunt, ad proprii sensus abundantiam, ac pene ad infimae mentis vitium pertinere a plerisque existimatur. Heu! perversa praejudicia sensus optimos suffocarunt, et sacratas Deo familias profani affectus magna ex parte ceu lues perniciosissima infecerunt. *Vos*, nisi omnis profectus spe abjecta in summo mentis frigore mortem aliquando subire velitis, *longe aliam et relate ad nostram aetatem singularem vitae rationem teneatis*, necesse est, et, ut inter tot proficiendi obstacula perseverare possitis, d u o p r a e c e p t a p e n e s o l a, praeter quae, ut puto, nulla alia sufficient, nisu ac conatu, nulla ratione aut infringendo aut vincendo, tenete; scilicet, quantumcunque licebit:

Delitescite, et orate!

TRACTATUS II.

De fundamentis vitae claustralis.

In doctrina « de perfectione christiana et religiosa » finem tibi propositum conspexisti, ad quem, dilecte Frater, in statu religioso tibi semper est contendendum, ac intellexisti, illum alium non esse, quam idem, quem S. P. N. Franciscus nobis filiis suis in vita sua demonstravit nosque docuit tessera sua vere Seraphica: « Deus meus et omnia ». Ast nimis ardua fors tibi videtur haec pugna, nimis arcta atque spinosa haec via; « *spiritus quidem promptus, caro autem infirma* » (Matth. 26, 44): attamen ad te quoque spectant illa Sanctissimi Salvatoris Nostri verba: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis* » (Joan. 14, 27); « *pacem Dei, quae* », teste Apostolo, « *exsuperat omnem sensum* » et « *custodiet corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* » (Philipp. 4. 7). « *Tollite* » ergo « *jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve* » (Matth. 11, 29. 30). Hanc pacem, hanc requiem invenies in vita monastica, quae contra omnes animae tuae adversarios firmissimo munimento circumdabit te, « *ne unquam praevaleat inimicus super te* ». Jam considera hujus munimenti firmissimi fundamenta [1] in statu religioso in genere; etenim sequentia non Franciscanos tantum, sed omnes vere monachos respiciunt.

---

[1] Confer praeclarissimum opus: « Praecipua Ordinis monastici elementa » etc. Exposuit D. Maurus Wolter, Abbas S. Martini de Beuron et B. V. M. de Monteserrato-Emmaus, Pragae, Superior gener. Congr. Beuronensis O. S. B. Brugis 1880.

I. FUNDAMENTUM.

Vitae claustralis et communis orationis praestantia.

1. Ecce, res tuae, in Christo dilectissime Frater, ante tuam monasticam conversionem in praecipiti stabant et in lubrico. Salus tua in gravi misere periculo haerebat. Innumeris undique cinctus oppugnatusque mundi illecebris, insidiis, tentationibus, dolis, quasi caecus in formidolosa atque asperrima ruebas certamina, imo in certum prope animae naufragium. « *Omne* enim, *quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae* » (I. Joan. 2, 16). Sed inter tot ac tantas perditionis minas, ecce insignem Dei gratiam, cujus te lumen vocavit, virtus eduxit de saeculo. « *Dominus misit de summo et accepit* » te « *et assumpsit* te *de aquis multis* » (Ps. 17, 17). « *Eripuit animam* tuam *de morte et pedes* tuos *de lapsu* » (Ps. 55, 13). — Ingressus es monasterium, gravissimum effugisti salutis discrimen. Etsi nondum in litore tutus es, certe in portu navigas, in tranquillum placidumque invectus claustri refugium, ubi tot desunt scopuli, turbines, procellae. « *Dominus regit* te et *in loco* uberrimae *pascuae collocavit* te » (Ps. 22). Ipse naviculae clavum tenet, vitam tuam gubernat, *pedes* tuos *dirigit in viam* sanctitatis et *pacis*. Dilectus tuus tibi et tu Illi. Claustrum tibi castellum munitum, arx sacra, civitas et regnum Dei, amoenus inter solitudines locus, arca in diluvio, specula in campo, gratiarum thesaurus, coeleste armentarium. Profecto reliquisti omnia, omnia ut deprehenderes. O te plus millies fortunatum, quem sine ullo tuo merito Deus tam amanter « *eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum dilectionis suae* » (Col. 1, 13), quem tam suaviter « *abscondit in tabernaculo suo in die malorum* »*!* (Ps. 26, 5). « *Quid ultra debuit facere* tibi *et non fecit* »*?* (Isaï 5. 4). Innumerabilia Ejus in te exstant beneficia, post Creationis

Redemptionisque donum amplissima atque cumulata. Quorum certo dulcissimam recordationem nulla tibi dies eripiet; contra, solemne tibi erit, maxime ea ducere atque immortali memoria retinere. Nullum praetermittas gratissimi animi indicium ac pignus, et, quidquid potes, id in pii officii loco deferas, in perpetuum laudans Deum, qui *ab aeternitate dilexit* te atque in oculis tulit.

Quapropter diligentissime stude, *mundum*, cui terga vertisti, *fugere* ejusque noxium devitare usum. Itaque sacrosancta sit tibi atque inviolata **clausura** monastica, religiosae vitae praesidium atque ornamentum, in cujus custodiam non solum Sancti Ordinum Fundatores et omnes Superiores zelantes, sed etiam Apostolica Sedes semper et ubique omni solertia ac justo summoque rigore vigiles fuerunt. « *Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* » (Rom. 12, 2). « *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit* » (II. Tim. 2, 4). « *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo* » (I. Joan. 2, 15). « *Ecce ego ducam eam* (animam) *in solitudinem, et loquar ad cor ejus* » (Osee 2, 14).

Ast mundum fugiens et monasterium intrans non in eremum secessisti, sed junxisti te **monasticae familiae**, pro certo habens, « non esse bonum, esse *hominem solum* » (Gen. 2, 18). Ecce, sanctum Ordinis tui Fundatorem *protoparentis*, Superiorem *patris*, monachos *fratrum*, et innumeros Ordinis Sanctos in coelo *cognatorum* loco habes, et sancto quidem, supernaturali, coelesti ordine. Monachorum familia mirifice illam exprimit atque clarissimo in lumine collocat, cujus pater familias auctorque Ipse est tam in terris quam in coelis amantissimus Deus. Verissimam porro effingit similitudinem familiae, quam Salvator cum discipulis suis condidit.

Hinc, quid tibi, Ordini Seraphico mancipato, de beatissimo tuo *Sancto Patre Francisco* sentiendum sit, facile col-

ligas. Prae ceteris tuum est, nullum animi piissimi ac gratissimi officium omittere, tam praeclarum, dulcem sacrisque Christi vulneribus insignitum Parentem maximis laudibus celebrare, insigni, qua par est, observatione colere, sancta reverentia ac fiducia tam per vitam quam in morte invocare, ex intimo corde diligere ejusque memoriam, imaginem, gloriam caram atque in deliciis habere. « *Honora patrem tuum* », quoniam « *benedictio patris firmat domos filiorum* » (Eccli. 3, 11). Summa reverentia et observantia venerare ac tene S. Regulam, quam ipse Optimus Deus revelavit S. Patri Francisco et de qua quadam ratione dicere fas est: « *Jota unum aut unus apex non praeteribit, donec omnia fiant* » (Matth. 5, 18). « *Quicunque enim hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia* » (Gal. 6, 16), et gaudium Spiritus Sancti. E regulari observantia pendet salus Religiosi, firmitas monasterii, status honosque totius Ordinis. — Foveas in corde tuo *amorem erga Ordinem Seraphicum* adeo, ut quin velis Ordinem tuum super ceteros extollere, prae ceteris tamen diligas, atque ob ejus etiam amorem tum ipse caveas, ne quid detrimenti Ordo patiatur, tum Ordinis damna vel incrementa sicuti tua sentias.

Proinde in coenobitica familia jure optimo Superior Christi gerere vices creditur juxta illud Salvatoris verbum: « *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit* » (Luc. 10, 16) et juxta Apostolum: « *Obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri, sicut Christo . . . facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus* » (Ephes. 6, 5. 6. 7). Superiorem igitur, ut tuum in Christo pium patrem ac ducem, omni prosequi par est honore, observantia, studio. Vix quidquam tibi eo sit carius post Christum vel in majori pretio! Ut officiosus patri filius, sic tu illi sincerum, humilem gratumque praestes amorem! Pro te tuaque vice excubat animo nec quietis ullam partem admittit, die noctuque providens tuae saluti, paci ac prosperitati. Recordare hic verbi

S. P. N. Francisci in suo Testamento: « Firmiter volo obedire Ministro Generali hujus fraternitatis et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare; et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere contra voluntatem suam, quia Dominus meus est ».

Post Superiorem tuum cunctos *fratres* in sinu et oculis gesta. Omnia cum eis tibi sint arctissime consociata atque communia, gaudium, luctus, spes tota et felicitas; unus omnibus sit spiritus, « cor unum et anima una ». Fratrum concordia ac salus tuae sint deliciae, tua precatio, tua vita. Animi in medullis tibi haereant, donec in aeternum illis conjunctus sis beatifico Divinitatis amplexu. Audi quoad hoc verbum S. P. N. Francisci: « Et ubicunque sunt, et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire Fratrem suum spiritualem? » (S. Regula, cap. VI). Castum autem, qui in tuo residet animo, amorem fraternum non verbis modo referas, sed factis illustres atque confirmes, ita ut nova in diem incrementa capiat. Quem sensum propensius contestare tempore recreationis, quae, ut releventur suaviterque sibi jungantur animi, inde ab incunabilis monachatus more recepta est. Hoc enim orationis laborisque intervallum peraeque Deo dicatum scias, ut studio humilitatis caritatisque certes cum fratribus mutuusque ille ex animis amor effluat, qui, ad omnem modestiam compositus, sui despiciens est, benignus, mitis, patiens, simplex, hilaris, officiosus atque « *omnibus omnia factus* », et qui, tamquam sacrum signum decusque familiae, Ejus plausum et gratiam meretur, cujus « *deliciae sunt, esse cum filiis hominum* ». « *Ecce quam bonum et quam jucundum* », utile ac dulce, « *habitare fratres in unum* » *!* (Ps. 132, 1). « *In hoc cognoscent omnes, quia* » ut Christi, sic amantissimi ac sancti Patris ac Patriarchae Francisci « *discipuli estis* » (Joan. 13, 35), suavissimum revera spectaculum Angelis et hominibus.

Restat, ut, quorsum spectet claustralis vita, breviter dicatur. Ratio ejus ac finis est conversio morum. Est illud « unum necessarium » divinitus laudatum (Luc. 10, 42) impletumque eloquium: « *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus* » (Matth. 6, 33). Etenim, quicunque vere monachus est, « *vere Deum quaerit* », ut ad eum redeat, a quo discesserit. Avertit se a malo et *convertit se* et omnem cogitatum, omne desiderium *ad Dominum Deum* suum, totis viribus unice ejus supremam auctoritatem, voluntatem, gloriam, praecipue in semetipso, in dies magis augens atque confirmans. Bono repletus zelo sanctitatem sine intermissione sectatur. « *Ibit de virtute in virtutem*, semper *ascensiones in corde suo disponens* » (Ps. 83, 6. 8), ut divinam vitam eamque abundantius habeat. *Quis* igitur tibi *dabit pennas ut columbae* et volabis, quis pedes alatos, ut tamquam gigas viam curras perfectionis? Eja, esto constans ac *fidelis usque ad mortem*, et dabit tibi coelestis Sponsus *coronam vitae!* (Apoc. 2, 10.)

2. In supra dictis quaedam vitae claustralis momenta tibi proposita habes; jam considera: Nonne inaestimabile bonum praestat haec vita, hominem quasi ex hujus saeculi diluvio in arcam securissimam Deique familiam recipiens, in familiam, in qua Dei voluntas summa lex sanctusque amor filialis atque fraternus omnes cohabitantes intime conjungit? Ast, quodvis monasterium ante omnia « *domus orationis* » esse debet, et reapse est exercitio **communis orationis**, quae est « officium divinum », quod ad mentem S. Ecclesiae Ordinis Statuta non solum omnibus confratribus commendant, sed summo rigore Religiosis jure praecipiunt. Haec communis oratio cuivis vere monacho maximum est solatium et gaudium in Deo omnique monasterio gratiarum fons indeficiens. Considera in sequentibus rationem, aetatem, dignitatem, excellentiam et fructus orationis communis et videbis, quam firmum sit ea vitae monasticae fundamentum.

Coenobium familia Dei est ac Religiosus adoptionis filius; « *nonne in his* » **praecipue**, « *quae Patris* » **ejus** « sunt,

oportet eum esse » (Luc. 2, 49), h. e. in oratorio, in choro? Quodsi reliqua omnia in monasterio communiter fiunt, numquid dignum est ac justum, principale opus seorsum privatimque persolvi? Imo vero ad hoc ipsum, sicut decet, perficiendum Religiosi a saeculo recedentes in unum sese corpus mysticum congregarunt.

Huic orationi qui se sociat, tam corpore quam animo Deum colit. Est adorator Altissimi non « *in spiritu* » modo, sed plena « *in veritate* », quippe qui vere cunctis viribus ei serviat, totum hominem in debitum tradat Creatoris Redemptorisque servitium, ita ut *spiritus* carnem elevet, nobilitet, transfiguret, caro *spiritum* amplius incitet atque inflammet, et ut simul caro ac spiritus incarnatum glorificent Patris Verbum. *Divinum* deinde *officium* sive *cultus Dei publicus* et communis vere catholicus est, catholicae Ecclesiae proprius. Luculentissime enim ante oculos ponit Sanctorum, quam credimus, communionem, suavem referens imaginem mystici corporis Christi. Jam, siquidem claustrum coeli instar est civitas ac familia Dei, monachi « *erunt sicut Angeli in coelis* » (Marc. 12, 25), qui « Patris majestatem socia exultatione concelebrant, nec cessant clamare, una voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* » ! Sunt quippe « *almae Sionis aemuli* », augustissimum gloriaeque plenum in terris sortiti coelicolarum ministerium. Quin etiam, quicunque in coelis terrisque Deum colunt, unius ejusdemque proprie familiae sunt filii, in divina laude perpetuo juncti atque consociati. Idcirco Angeli coram Bethlehemiticis pastoribus nocturnas Christo cantarunt vigilias, nec dubium est, quin Salvatori concinerint, quum *in Coenaculo* primam cum Apostolis Missam conventualem (cf. « Hymno dicto » : Matth. 26, 30; Marc. 14, 26) et *in Cruce* cum beatissima Matre sua, Joanne piisque mulieribus celebraret cruentum illud ac summe adorandum Pontificale Sacrificium. Quibus considerationibus impulsa communem orationis cultusque modum S. Ecclesia et ab initio instituit et summo semper favore prosecuta est. Primitiae

enim ipsius « *erant perseverantes in communicatione fractionis* panis et orationibus, quotidie in templo unanimiter perdurantes » (Act. 2, 42 et 46; cf. 12, 5).

Idem spectaverunt omnes SS. antiquiorum Ordinum Fundatores, « officium divinum » omnibus aliis officiis anteponentes suosque ad ejus diligentissimam persolutionem severe monentes ac verbum exemplo suo confirmantes. Narrat *S. Bonaventura de S. N. P. Francisco:* « Solitus erat vir sanctus Horas canonicas non minus timorate Deo persolvere quam devote. Nam licet... fere continua aegritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhaerere, dum psalleret, sed Horas semper erectus et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat... Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum praesentem haberet; et cum nomen Domini in eis occurreret, prae suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur » (Leg. S. Franc. c. X, n. 6) [1]. — Maximi igitur facias vehementerque diligas hoc

---

[1] In opusculo suo: « De sex alis Seraphim » (c. VII, n. 4-9) S. Doctor Seraphicus de oratione communi in divino officio ait: « Circa officia divina [Religiosus] triplicem debet habere diligentiam devotionis, scilicet ut omnia fiant ordinate et non confuse et sine erroris haesitatione, ut quisque deputatum ministerium congrue exequatur... — Item, ut strenue et non pigre seu desidiose opus Domini, scilicet divini cultus officium, peragatur; Jeremiae quadragesimo octavo (v. 10): « *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* ». — Item, ut devote et reverenter, sine aliqua dissolutione et strepitu, distincte et attente divina officia persolvantur, sicut in conspectu Angelorum et in praesentia Dei; Ecclesiastici trigesimo nono (v. 41): « *In omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini* ».

« Officium enim divinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinavit fieri quinque de causis: primo, propter imitationem coelestis concentus, quo Sancti et Angeli in coelo assidue in praesentia Dei ejus laudibus sunt intenti... ut ei, etsi non continue, sicut illi coeli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo alacriter assistamus, imitantes « *illam quae sursum est, Jerusalem matrem nostram* », ad Galatas quarto (v. 26). — Secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias pro his laudando et orando ei jugiter referamus... — Tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad devotionem excitemus et ignem amoris Dei per hoc nobis,

sacrum tuum ac peculiare munus. Etiam atque etiam cogita, quanta sit ejus excellentia. Ipse est Deus, qui sua vel Sanctorum *eloquia, cantica, hymnos* tuo imponit ori. Quid dicamus de *psalmis,* immortalibus illis ac suavissimis canticis, quae Spiritus S. e pectore « *viri secundum cor Dei* » elicuit, ut omnium exin saeculorum pia vota, suspiria, preces ac laudes ad coelos deportent reportentque divina lumina, solatia, gratiarum subsidia? Studiose porro expende, quam vere sit divinitus dictum: « *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei* » (Ps. 49, 23).

In primis tibimetipsi mirum est, quot et quanta ex divino officio animae bona fluant. Salutaris enim haec precum conjunctio animum tuum suavi perfundit tranquillitate, solatio ac gaudio S. Spiritus. Eadem insigniter animam tuam *purgat, illuminat unitque* Deo. Aperit quodammodo coelos ita, ut *manna* inde pluat, omne in se habens delectamentum, *epulum vere coeleste,* quod et cor pascat et mentem transformet

---

ne per desidiam seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus... Ignis est devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos devotus semper subjiciendo ligna divinae laudis debet nutrire, ne quando extinguatur; Psalmus (33, 2): « *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* ». — Quarto, ut simplices fideles, qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut saltem tunc ad ecclesiam oraturi conveniant, quando ibidem divinae laudis officia persolvuntur, et ut minus afficiantur taedio ibi persistendi, quamdiu coram se vident clericos celebrare divina... — Quinto, propter decorem religionis christianae, quia decens est et congruum, ut... qui vera et sacrosancta habent Sacramentorum mysteria ad ea celebranda et veneranda saepe conveniant et debita Conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus et gratiam Dei ampliorem merentur et vitam aeternam, et quibus alliciantur simplices ad religionis sanctae reverentiam et amorem... ».

« Inter omnes ergo exteriores observantias major debet diligentia divino officio adhiberi, ut, sicut dictum est, ordinate fiat, strenue et devote. Alio enim tempore facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo et intendimus Deo et alloquimur eum, et nos Ipse, simul et pro nostris necessitatibus ejus auxilium postulamus » (*S. Bonaventura* l. c.).

a claritate in claritatem (II. Cor. 3, 18). Est eadem orationis communio Jordanis instar sacrum balneum, in quo *septies* per diem mersus maculas abluas renovesque ut aquilae juventutem animae. Egregium profecto est *pietatis adjumentum, pignus virtutis, fortissimum adversus spiritum saeculi praesidium,* piissimum obedientiae erga S. Ecclesiam exercitium, atque divinae contemplationis fons abundans. O quam « *bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime* » ! (Ps. 91, 1.).

Praeterea, in fideles, quae inde vis exaedificans redundet, mente revolve ac pondera. Publicus enim Dei cultus nonne *cor perarat, convertit,* leniter *mulcet,* simulque divinum invitat seminatorem, ut semen suum coeleste spargat? Idem uberrimis animas *irrorat gratiis* summamque parat laudem ac commendationem *sacrae liturgiae,* utpote quae vere sit « *fons aquae salientis in vitam aeternam* » (Joan. 4, 14) seu « *lignum vitae, per menses singulos reddens fructum suum* » in paradiso Ecclesiae (Apoc. 22, 2). Cujus utinam omnes scirent donum, reputantes secum, in s. liturgia habitare in nobis Verbum caro factum, veritatis plenum et gratiae, ac membra suae vitae spiritu perfundens! Accedit speciale, quo communis oratio ornata est, exauditionis promissum. Ipse enim Dominus dicit: « *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* », quapropter « *de omni re,* quamcunque petierint, *fiet illis a Patre meo, qui in coelis est* » (Matth. 18, 19 sq.). Jesus Christus igitur orantium in choro, ut caput, ita etiam dux et mediator est, pro eis interpellans, ejusque *Spiritus ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26). Hinc illa, quam et S. Ecclesia, populus Christianus et benefactores nostri in canonica potissimum oratione reponunt, *spes* ac *fiducia,* adeo certa, ut eos, qui divino vacant officio, aciem nuncupent in antiquum hostem ordinatam, *propugnaculum pacis ac salutis,* alterum *Moysen,* qui in monte sancto manus levans victoriam conciliat populo Israel (Exod. 17, 11).

Et haec quidem communis oratio tuum in vita claustrali singulare est munus, felix tua sors, tuum peculiare officium. « *Monachi propter chorum fundati sunt* », ut eorum voce tamquam sua ipsius utatur Sponsa Christi, ideoque velut tubicines sunt creationis, fidelium interpretes, patroni ac procuratores apud Altissimum. Ergo tu quoque, dilecte Frater, in electorum numerum adscriptus es, de quibus Dominus loquitur: « *Populum istum formavi mihi: laudem meam narrabit* » (Is. 43, 21). Ac S. Ecclesia ministerium angelicum ac vere principale assignavit, die noctuque in summi Regis palatio praecipuum tenendi locum ac laudis sacrificium offerendi. Nihil tibi profecto tam officium quam divinum. Caput et arx est vitae claustralis, Religionis medulla, caementum Religiosorum, omnium occupationum corona. Hinc monitum illud S. P. N. Francisci: « *Fratres orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* » (Regul. c. V).

II. FUNDAMENTUM.

Vita communis seu paupertas Religiosi.

Quum Coenobitarum coetus sit *familia Dei*, Ipsemet Deus, ut paterfamilias, ita patrimonii dominus est et possessor. *Monachi*, familiae filii, usum quidem, sed possidendi jus nullum habent. Omnia eis, utpote **vitam communem** degentibus, absolute sunt communia. *Vere pauperes*, effigiem gerunt Jesu Christi, cujus se membra ac prolem esse praedicant. Incarnatus enim aeterni Patris Filius, clarissimum sese praebet *sanctae paupertatis speculum*. Natus ex Maria, pauperrima virgine, et in misero specu pannis involutus, collocatur in praesepio. Post, una cum egenis parentibus in sudore vultus sui manibus laborat, ut tenuissimum quaerat victum. Jam praedicans, pauperibus sociatus, victitat eleemosynis, neque habet, ubi caput reclinet. Tandem spoliatus vestibus omni-

busque cumulatus aerumnis, in patibulo moritur atque in alieno conditur sepulchro. Ita adorandus Dei Filius in terra quam maxime pauper esse voluit, ut homines in coelis ditaret; vehementerque te, mi frater, invitat: « *Sequere me* », pauper pauperrimum! Magno animo amplectere paupertatem, a me mirifice ornatam, nobilitatam, consecratam; quae tamquam aurea patet reparationis ac meritorum via! Cui divinae obtemperans voci claustrum ingressus es, *evangelicae paupertatis sanctuarium*. Instar hominis, qui *thesaurum* invenit in agro absconditum, prae gaudio vendidisti universa, quae habebas, et emisti agrum. Seu negotiatori similis, inventa una *pretiosa margarita*, abiisti et, omnibus venditis, emisti eam (Matth. 13, 44 sqq.). Revera enim s. paupertas coelestis est thesaurus, a *saeculi filiis* contemptus, et margarita a porcis conculcata. Quamobrem divini memor eloquii: « *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* » (Luc. 14, 33), post aurum non abiisti nec sperasti in pecunia et thesauris terrae; quin potius illos *thesaurizare* aggressus es *thesauros*, quos neque aerugo neque tinea demolitur, neque fures effodiunt et furantur (Matth. 6, 20).

Agedum, dilecte frater, audi, *ad quaenam sacris te votis advinxeris voto paupertatis*. In perpetuum ejurasti omne dominium ideoque jure cessisti proprii quidquam in mundo possidendi vel acquirendi. Pars tua et haereditas tua solus est Dominus. Tamquam « *per foramen acus* » intrasti in monasterium, omnem destringens quantulamcunque possessionem. Profecto, sicut fidelium primitiae pretia possessionum suarum « *ponebant ante pedes Apostolorum* » (Act. 4, 35), ita tu « *terrae bona pedibus calcasti* », ut de nulla omnino re dicere tibi liceat: « Meum est ». Missam fecisti proprietatem; renuntiasti « *mammonae iniquitatis* »; privatam in perpetuum dimisisti possessionem *pecuniae*, execrandae istius escae, qua animae capiuntur, ut hamo pisces, quamque princeps hujus mundi suis dispensat tamquam infernale sacramentum et viaticum.

Ergo, nequissimum « proprietatis vitium radicitus amputans », detestare qualecunque, quod dicunt, **peculium.** Nam ostiolum est, quo, quae per votorum portam ejecta fuit, rursus subintrare solet proprietas, pestis ista coenobiorum, sacrilegium nefandum ac manifestum perjurium, quod s. concilia tot perculerunt anathematibus. Ecquid infelicius perfidiusque Religioso, qui, Spiritui S. mentitus, *Achan, Giezi, Ananiam* et *Saphiram,* ipsum *Judam* sequitur ac « privata » possidens, sese *Deo* « privat » et coelo? Jam vero, paupertatem professus, non modo proprium nihil te possessurum, sed ne ullius quidem rei liberam te habiturum potestatem vovisti. Nihil omnino integrum tibi, vel sic tua in manu est, illud ut tibi liceat in quemlibet convertere usum, tuo ipsius arbitratu usurpare, alteri utendum tradere vel commodare. Solus, qui Supremi Domini vice fungitur, Superior tuus, juxta S. Ecclesiae et S. Regulae tuae praecepta, potestatem habet colligatas solvendi manus tuas. Porro, quum res qualiscunque sit tuo usui tantum permissa, tamquam res aliena apud te deposita ac tuae custodiae fideique concredita, tuum est, religiose ei parcere eaque cautissime uti, nec quidquam laedere, perdere aut frangere. Omnes enim monasterii res quasi sacra censentur vasa, Domino dicata. Denique, quidquid praeter necessitatem est, ut vanum ac superfluum debet amputari. « *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* » (I. Tim. 6, 8). Simplicitatis amicus, parce vitam ages et de qualibet desistes affluentia.

Itaque victus ratio, quoad licet, cum pauperum victu congruet, ut, quidquid apponitur tibi, caput pie inclinans, tamquam mendicans de mensa et manu coelestis familiae Patris accipias. Sicut parcus cibi et potus, ita in vestitu cultuque corporis perpauperem sequeris Jesum. Etenim benedictum quem geris habitum millies purpureo regum pallio antepones nec paupere cingulo erubesces, neque caputio, glorioso sacrae militiae insigni, quod summo potius honori duces nec temere depones. Domesticus Dei es et unus ex ejus familia,

quin etiam contubernalis ac sponsa Christi. Unde, quanto paupertatis triumpho honestanda sit cella, facile conjicies. Arrideat pauperrimo sponso suo eumque alliciat pauper humilisque thalami supellex. Lectulus, mensula, unum alterumve sedile, modicum scrinium, librorum paulum ac piarum imaginum; denique praeter piscinulum aquae benedictae simulacrum Crucifixi, haec sunt, quae te in cella et viventem honorant et morientem consolantur. Ecce, mi frater, paupertatis praecepta, quorum partes suscepisti.

Atqui plus in tuam recepisti fidem. Paupertatis te voto immolans gladium strinxisti bipennem, cujus duplici acie possidendi non facultas tantum, sed etiam voluntas confoderetur. Nimirum ut proprietatem, sic omne **habendi desiderium** sacrificasti, et hoc quidem est, quod sanctam reddit paupertatem eique virtutis pretium tribuit. Postulat enim Pater coelestis exinanitum cor, non manum duntaxat inanem, filiosque amplecti vult, non mercenarios. Ista desiderii abdicatio, qua una cum proprietate teipsum abnegas, quasi forma est, quae externam paupertatem divinitus animat sensimque in interioris ac perfectae renuntiationis apicem te ducit. Quo ut pervenias, care frater, exsolve te vel subtilissimo avaritiae cupidinisque vinculo. In aeternum tuo interdic animo inordinatam omnem propensionem in rem qualemcunque quamvis minutam, sive sit vestis, cella, liber sive quidquid aliud. Si forte in aliqua te inclinatione deprehenderis, illico ab re illam excitante te aliena; quumque Superior, ut mos est in regulari monasterio, tuam inspicit cellam, cave, ne quid fingas ejusque dolose oculis subtrahas. Dentes, quam altis defixi sint radicibus, non sentis, nisi quum evelluntur. Noli igitur tibi parcere, sed toto pectore ad sanctam illam connitere *indolentiam libertatemque animi,* quae nullius omnino rei neque jacturam aegre fert, neque appetentiam admittit. Sic *speciem praebe statuae,* cui non est curae, qua ratione vestiatur. Terrena fortiter negligas, ut ad coelestia liberius anheles. Vetus est et Regula sancitum, ut frigidum «Meum» et «Tuum»

omnisque possessionis designatio e monachorum colloquiis sit expulsa; verum multo plus in eo momenti est, ut nullus plane cogitatus proprietatem redoleat. Quisquis enim sancte est pauper, Deum non fallit, cui votis adstrictus tenetur, seque revera et mendicum ducit et felicem judicat, quod s. paupertatem familiarissime sibi junxit. Cum Apostolo exultans: « *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam* » (Phil. 3, 8) et « *bonus Christi odor* » evadam, mutat apud se terrenarum rerum aestimationem, ita ut divitiae sint nullius, paupertas vero summi pretii.

Ergo tu quoque, mi frater, plurimum huic et *dignitatis et honoris* tribue. Praeclara semper de ea sentias. Ex hoc judicio oritur amantissimum s. paupertatis studium, mirifice accensum incomparabili Salvatoris exemplo, qui « *propter nos egenus factus* » (II. Cor. 8, 9) est, summis conflictatus angustiis. Quemadmodum filius matrem, sic amabis paupertatem, dulci illam hilarique vultu, ubicunque occurrit, aspiciens, amplexans, imo quaerens, ut nonnisi cum illa vivere velis et scias. Ex intimo sensu *contentus* eris *omni vilitate et extremitate,* certans etiam, ut vilioribus rebus primas partes deferas et carum judices, quidquid pauperrimi Sponsi tui imaginem luculentius in te effingit. Quodsi hunc in modum diligis paupertatem in eaque gloriaris, fieri non potest, quin cum gaudio spirituali excipias comitatum ejus, hoc est, quin patienter libenterque perferas omnes, quae illi associatae sunt, *incommoditates et molestias.* Ignaviae arguitur miles, qui gladium stringere veretur proeliumque fugit. Similiter inane gerit monachi nomen, quicunque, paupertatem professus, pauper esse recusat. Imo potius, qui vere monachus est, in gloria ducit, monachi munus exequi, et, si qua re angustius utendum vel etiam omnino carendum sit, benedicit Dominum et non murmurat. Ac si forte, Deo sic disponente, ad extremum inopiae, asperitatis ac despectionis deductus fuerit, spe non concussus suspiciensque in coelum dicet: « *Sit Nomen*

Domini benedictum »! Quam quidem magni atque excelsi animi virtutem ad cumulum auget, qui, in *morbum* injectus, de victu et curatione non queritur, neque ullo se animi angore atque aegritudine affici sinit, omnia curae permittens divinae. En, mi frater, s. paupertatis specimen, ad exemplum ejus obumbratum, qui solus paupertatis spiritum quum in Sua Ipsius vita imitabili modo expressit, tum ejusdem amatoribus divinitus inspirat.

Cujus quidem virtutis et **praestantiam** eloqui et dulcissimos **fructus** enumerare, vix ulla potest humana oratio. Principium enim est perfectae seu religiosae vitae (cf. Matth. 19, 24: « *Si vis perfectus esse* » etc.), quoniam primum inimico laqueum injicit, et fomentum peccati, concupiscentiam nempe oculorum, extinguit, primoque quasi clavo veterem hominem cruci suffigit. Unde haud immerito nuncupatus claustri porta, qua religiose custodita, disciplina viget: vel aereus Religionis murus, a mundo separans diligenterque contra hostem defendens; vel denique Ordinis fundamentum ac praesidium, quo illaeso omnia sperare licet, quum e contrario religiosae domui, paupertatis honorem exercitiumque repudianti, certa impendeat ruina. Eadem virtus « *sustollit te super altitudines terrae* » (Isai. 58, 14), elevans quasi in coelum. Soli enim Deo innixus spernis fucosam mundi pompam, nihilque habens possides omnia, omnium rerum tamquam dominus et princeps. Atque cum Psalmista jubilas: « *Dominus regit me et nihil mihi deerit* » (Ps. 22, 1), et: « *Tibi, Deus, derelictus est pauper* » (Ps. 10, 14). Jure quidem optimo. Nam sanctae filius paupertatis, qui propter Deum omnibus renuntiat, in singularem suscipitur aeterni Patris tutelam atque custodiam. « *Factus est Dominus refugium pauperi* » (Ps. 9. 10). Quia reliquisti omnia, *centuplum accipis* » (Matth. 19, 20). Nimirum Dominus omnipotens, qui omnia summo gubernat imperio, paternam de te, filio suo, curam gerit, res tuas benignissime temperans. Ipse te enutrit, fovet, sustinet tuisque necessitatibus pie prospicit. Vere tuarum est procu-

rator rerum, baculus tuus et columna, horreum et thesaurus. Nonne tot saeculorum experientia docet, spiritu pauperes prae *omnibus dilectos esse divinae providentiae filios eosque interrogatos*: « *Numquid aliquid defuit vobis* » ? cum Apostolis non posse non exclamare: « *Nihil* » ! (Luc. 22, 35 sq.). Itaque sunt dupliciter benedicti, quoniam, quum « *primum regnum Dei* » quaerant et justitiam ejus, reliqua eis « *adjicientur* » (Matth. 6, 33). Dominus enim nec filios suos victu nec milites stipendio nec fideles operarios mercede potest ullo fraudare modo. Sancta vero paupertas, ut certissimum praestat reditum, ita etiam fons est, a quo beneficia manant *in terrae divites atque egenos*. Nam exemplo suo illos quidem avocat a terrenis, horum autem et animos erigit et egestatem subsidiis consolatur, ita ut in mutuam utrosque caritatem gratiamque adducat et animos tam vehementer alienatos, pulso odio, reconciliet. Qua ratione mirum est, quantum *prosit*, ut disjuncta hominum societas in pace componatur.

Jam vero spiritualia adeamus s. paupertatis emolumenta. Eum, qui ipsi adhaeret, *in viam diriget iustitiae et sanctitatis*. Multorum radices vitiorum abscindens, omne genus virtutum florescere facit. Haec causa est, cur a SS. Doctoribus virtutum semen et origo, mater et nutrix, custos et socia egregie appellata sit. Virtutis enim et gustum excitat et studium auget, corque mundans Deo arctius conjungit, concordiam alit et ad sanctam elevat *libertatem filiorum Dei*. Quam qui exercet, iter aggreditur sine sarcina, ac sine vestibus luctationem. Unde eidem expeditissima est via concinnata, qua ad aeternam patriam tendat. Coelestibus ditatus donis atque illa animi tranquillitate paceque gaudens, « *quae exsuperat omnem sensum* », cumulum sibi parat meritorum ac securus in coelum aspirat. Etenim ejusdem magna est haereditas Christi, cujus eloquium stat: « *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum* » (Matth. 5, 3). Sanctam igitur paupertatem veras reputa divitias, inaestimabile bonum lucrumque eminens, quum coeli sit pretium. « Ego », ait Dominus, « *ero*

merces tua magna nimis » (Gen. 15, 1). Tu, qui reliquisti omnia, « *sedebis super thronum* » gloriae; centuplum accipies « *et vitam aeternam* ». Profecto, « *parasti in dulcedine tua pauperi, Deus* » ! (Ps. 67, 11.). Ergo deificae beatitudinis rosa inter vepres paupertatis nascitur. Verum, ut efflorescat, prospero eget humilitatis solo. Proinde tam admirabilia S. P. N. Franciscus de sancta humilitate et instituit et praecepit. Est enim, ut paupertas proprietatis, ita sui ipsius quaedam exinanitio, neque aliud vita religiosa spectat, nisi ut humilitas, altissime fundata ac stabilita, nunquam ex animo dimoveatur, sive ut « *non glorietur omnis caro in conspectu* » Domini (I. Cor. 1, 29), sed ut in omnibus glorificetur Deus.

Itaque aurea est, quae ad Deum ducit summamque perfectionem, scala, omnium virtutum radix, fulcrum ac sedes. Nullius videlicet pretii est cuncta nostra oratio et operatio sine humilitate, qua sola aestimatur omnis progressio ac sanctitatis integritas. Quisquis igitur sui ipsius vilitatem abjectionemque et solertissime perspicit et libenter agnoscit, coram Deo, semetipso atque hominibus submississime se gerit, seque solum contemnit, adeo nihil sibi deferens vel de se praedicans, ut infra omnium sese pedes demissum continuo existimet, hic vere humilis est « *et gratia proficiet apud Deum et homines* » (Luc. 2, 52). Contra, qui, sui ipsius ignarus, se unum magni aestimat, reliquos autem omnes infra se ac despicatui ducit, cum Pharisaeo jactans: « *Quia non sum, sicut ceteri hominum* » (Luc. 18, 11); qui porro inanis gloriae honorumque avidus, ventosus, inflatus, admiratione sui tollitur, cunctis difficilis, asper ac fastidiosus, is *superbus* est et « *odibilis coram Deo et hominibus* » (Eccli. 10, 7). Exsecrare hoc diaboli vitium! Quidquid in te tumoris superest, ex animo ejice et hunc sub jugum mitte perfectae tui ipsius despicientiae. Disce a Sponso tuo, qui « *humilis* » est « *corde* », et imitare Beatissimam Dei Genitricem, Immaculatam Virginem Mariam, cujus summe mirandam Deus « *respexit humilitatem* ». Cum S. Augustino ora: « *Domine Jesu, noverim me,*

noverim Te » et crescet in te sancta infantia ac simplicitas, et fundaberis in pace, et delicias gustabis vitae in Deo absconditae. « *Qui* enim *ambulat simpliciter, ambulat confidenter* » (Prov. 10, 9). En duplex paupertatis humilitatisque symbolum, quo exhibito coeli portae tibi patebunt. Nam, « *Beatus populus* pauperum, *cujus Dominus Deus est* » (Ps. 143, 15), et « *populum humilem salvum faciet* » Dominus (Ps. 17, 28).

Ex dictis perspicis, dilecte frater, quanti momenti pro vita monastica sit s. paupertatis votum et virtus. Merito monasteriorum ac Ordinis cujuscunque fundamentum nominatur, quo laeso eisdem imminet disciplinae religiosae ruina. Et quod de singulis claustris dicendum, idem etiam quoad singulos Religiosos hoc votum parvipendentes aut ejusdem oblitos, quia « *qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus* » (Luc. 14, 33). Intellexísti porro intimam conjunctionem paupertatis votum inter et vitam communem. Unum sine altero nec constare potest nec cogitari. Monasterio vita communi destituto deerit quoque s. paupertatis observantia cum virtutibus fructibusque hoc ex voto redundantibus: « *dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas* » (Jerem. 2, 13). — Et hucusque dicta ad omnes spectant Religiosos, quicunque s. paupertatem sunt professi.

Ast singulari ac prorsus admirabili modo Optimus Deus Ipse per S. P. N. Franciscum s. paupertatem proclamavit eamque a Patriarcha Seraphico ejusque discipulis « secundum formam Evangelii » observatam voluit. Hanc « altissimam paupertatem » evangelicam suis filiis observandam praescripsit S. P. N. Franciscus, sicut « ipse Altissimus revelaverat » ipsi, in S. Regula dicens: « *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter; nec*

oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, charissimos Fratres meos, haeredes et reges Regni Coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium: cui, dilectissimi Fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis » (S. Reg. cap. VI). — Summi Pontifices (ante omnes Nicolaus III. et Clemens V.) declarationibus et constitutionibus suis, ac Ordinis nostri Summi Rectores et capitula generalia jam ultra sexcentos annos Statutis et decretis generalibus hanc « altissimam paupertatem » simulque « vitam communem » in Ordine Seraphico conservaverunt, sicut novissimae Constitutiones Generales (an. 1897) legenti demonstrant. Haec sunt earundem verba de paupertate et vita communi:

« Ordo noster neque in particulari, neque in communi, ullam proprietatem habere potest; quapropter mendicitas nobis imposita est, et actus juridici quoad proprietatem rerum terrenarum nobis sunt prohibiti ».

« Vita communis ubique et ab omnibus observanda est. Hinc, ubi viget, sartam tectamque tueri diligenter curent Superiores. Ubi vero desideratur, Provincialibus ac Guardianis mandamus, ut amotis offendiculis ad excusandas excusationes in peccatis, omnibusque adhibitis prudentiae et religiosae fortitudinis mediis, eam introducere satagant in omnibus et per omnia perfectam; secus facientes severe puniantur ».

« Praeterea sciant Ministri Provinciales, quod si intra annum a promulgatione praesentis Codicis decurrendum vitam perfecte communem in propria Provincia non introduxerint, se omni facultate recipiendi ad habitum et ad professionem eo ipso exspoliatos fore et esse ».

« Omnes, tum subditi, tum Superiores, quorum exemplo maxime regitur atque stat regularis observantia, in victu, vestitu, ac ceteris ad vitae usum pertinentibus, communiter vi-

vant, nec quidquam inter Fratres differat, vel unus aliis praeferatur, nisi prout probatae necessitatis fraternaeque caritatis ratio suaserit. Qui in choro, mensa, vestibus aliisque communem vivendi rationem non servaverit, vel servare nequiverit, ad Ordinis officia et dignitates non promoveatur ».

« Meminerint Regulae nostrae professores, de rebus sibi ad usum necessariis non per alios, quam per Superiores providendum esse; ipsis enim de hujusmodi necessitatibus, pro locorum, temporum et personarum conditionibus, judicium est commissum. Itaque, dum opus fuerit, eisdem ultro aperiant necessitates suas, et per modos Regulae consentaneos congruam provisionem humiliter et patienter exspectent ».

« Superiores autem in hujusmodi ferendo judicio Regulae studiosi sint, et paupertatis, quam profitemur, statum expendant, ac de communibus eleemosynis quantum per facultates licuerit, ita omnibus provideri curent, ut neque superflua permittantur, neque necessaria denegentur ».

« Ut nulla proprietas unquam in Ordinem introducatur, in singulis domibus sint communes officinae, ut ex iis tam aestate quam hyeme Fratribus ad sufficientiam provideatur de habitibus, tunicis, femoralibus aliisque pannis, eoque communi loco vestes omnes cujusvis generis serventur, deputatis, qui eas purgent, resarciant, diligenter custodiant, singulisque, prout unicuique opus fuerit, opportune distribuant. — Eorum vero, quae ad necessitatem concessa sunt, nullus quidpiam ut proprium possideat vel adhibeat ».

« Omnes locorum proventus, quaestus, eleemosynae, omnia item a Fratribus justo labore, et quovis nomine acquisita, tametsi subsidia consanguineorum, et piorum largitiones sint, quaeque alia causa obveniant, quae tamen Instituto nostro non repugnent, omnia in communem usum et utilitatem conferri debeant. Dona, si cuiquam mitti contigerit, ad Superiores afferantur; nec quisquam recipiat, nisi sciente et consentiente Superiore ipso, qui omni studio in id maxime incumbere debet, ut Conventum a proprietatis vitio omnino immunem servet ».

« Supervacaneus inanisque rerum usus prorsus eliminetur, et Fratres omnes, praesertim majores, quorum exemplo alii ducuntur, paucis humilibusque sint contenti, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores » (Constitutiones Generales, an. 1897, cap. VI, n. 255, nn. 261-276).

En igitur, mi frater, pretiosum altissimae paupertatis vexillum, sub quo te militaturum solemniter promittes aut jam promisisti. Tene **s. paupertatem seraphicam**, « hanc portionem tuam, quae perducit in terram viventium »; tene **« vitam communem »**, « *ne* » — ab ea recedens — « *incidas in laqueum diaboli* » (I. Tim. 6, 9), et recordare Ecclesiae primaevae, vitae monasticae prototypi, de qua narrat Lucas Evangelista: « *Omnes, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia* » (Act. 2, 44).

III. FUNDAMENTUM.

Castitas vitae monasticae disciplina religiosa et mortificatione servata.

« *Non estis vestri* », ante omnes ad nos Religiosos rectissime ait Apostolus (I. Cor. 6, 19), sed toti quanti sumus Dei, qui nos « *eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum dilectionis suae* » (Col. 1, 3) et nos « *abscondit in tabernaculo suo in die malorum* » (Ps. 26, 5). « *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* » (Gal. 5, 24). « *Virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu* » . . . « *et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi* » (I. Cor. 7, 34. 35); « *nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* » (Rom. 8, 29).

Ecce, Religiosi, quoniam Dei familia sunt, e multitudine fidelium selecta, prae hisce debent sanctissimi purissimique Dei speciem prae se ferre. Quamobrem, sicut « *Deus spiritus*

est », ita monachum virum plane spiritualem esse decet « *corpore et spiritu sanctum* », atque virginalem amplecti **castitatem**, ut quam maxime « *conformis fiat imaginis Filii* », qui omnium filiorum Patris primogenitus est et caput. Proinde et tu, Frater, cum S. Petro dicis : « *Reliqui omnia* », spiritu pauper, « *et* », sanctam colens virginitatem, « *sequor Te* », Agnum immaculatum. Ipse enim Jesus Christus te Sibi sponsavit in sempiternum (Os. 2, 19 sq.), ut integerrimam servans castimoniam, « *facultatem* » habeas « *sine impedimento Dominum obsecrandi* ».

O te fortunatum ! Minuit te Dominus « *paulo minus ab Angelis* » (Ps. 8, 6), imo coelestibus te aequavit principibus, quia, ut in carne coeli ratione vivas, amantissime te et elegit et gratiis auxit. Tua igitur vita, in angelicae puritatis claritatem transfigurata, suavissimum exstat aeternae vitae praeludium, referens praedestinationis signum. Etenim Dei Verbum quum carnem assumeret, paupertatem a terra accepit eique pro compensatione coelestem dedit virginitatem. « *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est et apud homines* »*!* (Sap. 4, 1). Instaurat quodammodo paradisum, hominem in pristinum restituens honoris ac dignitatis locum ; porro Ecclesiam splendida exornat corona, fulgentibus gemmis mirifice illuminat; totam denique terram dulcissimo quodam replet suavitatis odore in conspectu Domini; quum econtra *impuritas* corpus animamque perdat, foedet, depravet, funditus divinum evertat ordinem, ac Dei imaginem turpissime deformet, hominem ornamentis honoribusque omnibus spolians atque in aeternam detrudens et ignominiam et poenam. Jam vero inclyta castitatis virtus in anima tamquam in suo sedet solio, ex quo suaviter fortiterque omnibus animi motibus, cupiditatibus, desideriis imperat sancteque regit corpus, ita ut rationi ac divinae voluntati obtemperet. In sacro animae recessu omnibus horis coelestem Sponsum pretioso ungit nardo, « *et domus* », **i. e. corpus**, « *impleta est ex odore unguenti* »

(Joan. 12, 3). Apostolicum enim in memoria nostra haeret eloquium: « *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro* » (I. Cor. 6, 19 sq.).

Unde, quantus castitati honos tribuendus sit, plane apparet. Ipsa dirum abs te removet jugum amplissimaque tibi affert gratiarum dona, unacum sapientia et sanctitate. Nam innumeris, quibus jactantur homines, curis te liberans, non modo expeditam tibi illustremque ad perfectionem viam sternit, verum etiam animum purissimis ac paene coelestibus perfundit gaudiis. Quid vero de aeterna, qua tandem cumulatur, mercede dicam? Cor mundum optimus ille ager est, qui centesimum reddit fructum. « *Virgines enim* », ad sublimem evecti coelestis gloriae gradum, « *sequuntur Agnum, quocunque ierit* », et cantant « *canticum* » quod « *nemo potest dicere, nisi* » ipsi. « *Sine macula enim sunt ante thronum Dei* » (Apoc. 14, 3 sq.). Monachus igitur castus et virgo, inter angelicos summi Regis milites aulicosque in terra adscitus, aliquando in aeternum triumphabit proximus immortali Duci candidumque sequens vexillum praeclarissimae virginum Reginae.

Agedum, Frater, quam tutissima custodia ac fide serva, tuere, propugna gloriosam s. castitatis praerogativam, summo praecavens studio, ne quam, licet tenuissimam, jacturam subeat ullumve incurrat discrimen. Summa cautione devita, quaecunque amabilissimam delicatamque hanc virtutem in periculum possint adducere, causas atque occasiones. Nam « *qui amat periculum, in illo peribit* » (Eccli. 3, 27). Virgini tota spes salutis in secessu, sola victoria in fuga est collocanda atque in humillima sui ipsius diffidentia. « *Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, et liberavit me* » (Ps. 114, 6). Carnis enim stimulus appellatur « a n g e l u s s a t a n a e », spiritus istius, quem de coelo superbia praecipitavit. Ideo saeculum fuge maximeque mulierem, saeculi quasi summum atque

insidiosissimum pudicitiae scopulum. « *Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricae in deserto* (Jer. 48, 6). Homo sis continuati laboris, « mittens servum tuum malevolum in operationem, ne vacet » (Eccli. 33, 28).

Ita extrinsecus vigilans atque intrinsecus (« *de corde enim exeunt cogitationes malae* », Matth. 15, 19), ora assidue, pro certo habens, « *quoniam aliter non possis esse continens, nisi Deus det* » (Sap. 8, 21). Praecipue omnia de praesidio spera *Eucharistici Sponsi*, sanctae et *immaculatae Virginis* ejusque sponsi *S. Josephi* et beatissimi nostri *Patris S. Francisci*. Constanti dextera *tene virginitatis lampadem*, aeternas exspectans nuptias, ac die noctuque tamquam eleemosynam petens coelestem gratiam, qua, velut oleo, pura castitatis flamma nutritur.

Ast haec omnia nondum sufficiunt ad custodiendum pretiosissimum hunc thesaurum conservandumque splendidissimum hoc animae ornamentum. Etenim Christus ipse discipulis suis non tantum dixit: « *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* » (Matth. 26, 41), sed et specialiter de « *spiritu immundo* » « *dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio* » (Marc. 9, 28). Sub « j e j u n i o » autem juxta SS. Patres non solum abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, sed c o r p o r i s m o r t i f i c a t i o in genere est intelligenda juxta monitum illud Apostoli: « *Mortificate ergo membra vestra* » (Col. 3, 5); « *qui* enim *Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* » (Gal. 5, 24). Et quod verbis docuit, etiam factis se comprobasse ostendit inquiens: « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* » (II. Cor. 9, 27). — Profecto, mortificatio quasi universa lex est, qua vita constituitur christiana. Nam quamdiu in hac viatoris conditione versamur, « *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* » (Matth. 26, 41), quoniam homo, ex quo summum Dei imperium impie detrectavit, sui ipsius imperium amisit. Est igitur « *militia vita hominis super terram* » (Job 7, 1)

et, si effugere peccatum vult homo, sine intermissione pugnandum est ei contra perniciosas carnis cupiditates. « *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* » (Matth. 11, 12).

Quae quidem se mortificandi lex quum cunctos complectatur Evae filios, tamen praecipue pertinet ad monachum. **Mortificatione** enim ac poenitentia omnis nititur vita monastica. Universum sacrae cujuscunque Ordinis religiosi Regulae opus super castitatem sic constructum videtur, ut huic aeque nitatur ac tutamento sit. Nam ad puritatem potissimum corporis et animi juvandam tuendamque institutam esse religiosam seu monasticam mortificationis disciplinam, quis est, qui non videat? Nimirum omnia disciplinae monasticae praecepta id fere spectant, ut pura cordis et corporis castimonia incolumis servetur ejusque studium ad altiorem in dies ascendat caritatis et contemplationis gradum. Ecce, tam manifeste sanctae puritatis « *lilium inter spinas* » (Cant. 2, 2) solummodo mortificationis floret, ut, quo quis castigatior, eo sit castior, et quo sanctior est coenobii disciplina, eo illustrior appareat puritas monachorum. Corporis enim afflictatio et sapiens quaedam vitae asperitas, sicuti via sunt ad castitatem, ita sepes, qua tuto cincta custoditur.

Unde singulari et existimatione et amore sequere **monasticam** seu **religiosam disciplinam**, quae mortificationis exercitia non solum sancta dirigit norma, verum etiam eo, quod communiter fiunt, faciliora reddit sanctaeque obedientiae meritis mirifice auget. Ipsa operatur conversionem morum seu sanctam illam animi puritatem, quae arctissime cum Deo jungit. Cui quidem disciplinae, qui totum se exhibens sedulo inservit, vere *martyrium* subit *charitatis*, quoniam omni hora veterem in se hominem mortis supplicio tradit judicans: « *Tolle eum, crucifigatur* » *!* Contra, Religiosus non mortificatus merito nihil nisi dealbatum censetur sepulchrum. — Apprehende itaque, dilecte Frater, ex amore Dei confirmato magnoque

animo in Ordine tuo praescriptam religiosam chori, refectorii, cellae, silentii, conversationis, jejunii atque abstinentiae, vestitus, culparum etc., totius corporis animique habitus, totiusque vitae disciplinam. Haec ad servandum castitatis thesaurum tibi erit « *urbs fortitudinis* » et tibi « *ponetur in ea murus et antemurale* » (Isai. 26, 1) ad repellendos inimicorum (mundi, carnis ac satanae) impetus atque insidias. Eo, quod disciplinae religiosae sedula observantia et mortificatio corpus ejusque cupidines in regalem spiritus dominationem redigit, peccato mortem, animae autem veram affert divinamque vitam. Deinde futuram corporis redemptionem gloriamque inchoat quodammodo et informat, quia caro sub victricis gratiae imperium nutumque subjecta, in altiorem ascendit ordinem. Omni porro appetitu cum ratione composito fieri nequit, quin placidissima quaedam in anima pax dominetur et floreat. E concupiscentiis enim oriuntur prope omnes perturbationes, aegritudines, angustiae, lites, ita ut, cohibitis illis ac sedatis, gratissima constituatur cum semetipso ac proximo concordia. Revera igitur mortificatio te reddit placatum, pacificum, amabilem ac gratiosum, teque a saeculi desideriis abstractum in perfectiorem semper libertatem filiorum Dei attollit et tanta complet spirituali unctione, gaudio, consolatione totque coelestibus perfundit fidei ac sanctae contemplationis luminibus, ut intelligas, quam vera sit vox illa divina: « *Beati, qui lugent* » (Matth. 5, 5). « *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* » (II. Cor. 1, 5).

Haec de mortificatione et disciplina religiosa ad servandam castitatem dicta hic sufficiant, cum de disciplinae religiosae utilitate, dignitate et suavitate in tractatu praecedenti jam fuit sermo, et de mortificatione externa infra fusius tractabitur. Restat hic solummodo, ut ad haec de castitate et mortificatione dicta recorderis exempli S. P. N. Francisci. S. Bonaventura in « Legenda S. Francisci » (cap. V, n. 1 sq.) ad hoc sequentia scripsit:

« Cum igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad crucem Christi bajulandam ferventi spiritu plurimos animari; animabatur et ipse tamquam bonus dux exercitus Christi, ad palmam victoriae per culmen invictae pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis;* ut crucis armaturam suo ferret in corpore, tanta disciplinae rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturae. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, et pronitati sensuum non parere. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat et raro, admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquae ut plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam, cum et de aqua, dum sitis aestuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinveniebat abstinentiae potioris et quotidie exercitatione crescebat; licetque jam perfectionis culmen attingeret, tamquam semper incipiens, aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. — Egrediens autem exterius propter verbum Evangelii, conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum, cum tamen, ad interiora regressus, districte servaret rigidam abstinentiae parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subjectum Evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verum etiam manducando praebebat aedificationis exemplum. Nuda humus ut frequentius lectus erat lassato corpusculo, et saepius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino serviebat, et frigore ».

« Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: ‚Si supernae patriae flamma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus ‘. Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, asserens, propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, cordulis eam con-

texebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in palatiis principum juxta Veritatis verbum vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, daemones asperitate terreri, deliciosis autem et mollibus ad tentandum fortius animari. . . »

« Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda; quapropter circa conversionis suae primordia tempore hiemali in foveam glacie plenam se ipsum plerumque mergebat, ut et domesticum sibi hostem perfecte subigeret et candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio praeservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente ».

« Cum autem apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: ‚Francisce, Francisce, Francisce'. Cui cum, quid quaereret, respondisset; fallaciter ille subjunxit: ‚Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicunque semetipsum poenitentia dura necaverit misericordiam non inveniet in aeternum'. Statim vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nisus fuerit eum ad tepida revocare. Nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, cujus halitus prunas ardere facit, gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut praesensit castitatis amator, deposita veste, corda coepit se verberare fortissime: ‚Eja, inquiens, frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deservit, sanctitatis signaculum praefert, furari eam libidinoso non licet; si quo vis pergere, perge. Insuper et mirando fervore spiritus animatus, aperta cella, foras exivit in hortum, et in magnam demergens nivem corpusculum jam nudatum, septem ex ea plenis manibus coepit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: ‚Ecce, inquit, haec major uxor tua est, quatuor istae duo filii et duae filiae, reliquae duae servus et

ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni domino sollicite servi'. Illico tentator victus abscessit, et vir sanctus in cellam cum victoria rediit, quia, dum bene poenaliter alsit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, haec omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto vir Dei, quod haec ille nocte vidisset, reserans ei tentationis processum, praecepit, ut, quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret».

« Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis et ejus incentiva frenari, verum etiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia et aspectus, quae multis occasio sunt ruinae, sollicitius evitari jubebat, asserens, per hujusmodi debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta Scripturam in igne ambulare et non comburere plantas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quae possunt aut edomitae carnis resuscitare igniculum, aut pudicae mentis maculare nitorem. Asserebat etiam, frivolum esse mulieris colloquium excepta sola confessione vel instructione brevissima, juxta quod et saluti expedit et congruit honestati. ,Quae sunt, inquit, Religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem' » (S. Bonavent. l. c.).

Hujus Beatissimi nostri Patriarchae moniti atque exempli, dilecte Frater, semper memor sis in vita tua, juxta illud:

« *Audi, fili mi, disciplinam patris tui . . . ne dimittas eam, et custodiet te: dilige eam, et conservabit te* » (Proverb. 1, 8—4, 6). Recordare cujusdam Ecclesiae Doctoris effati: « Sacerdotium ex virginum ordine praecipue constat; si innocentes non invenit (Ecclesia), castos poenitentes requirit » ; ac verbi S. Thomae de Villanova: « Sit humilis sacerdos — Religiosus —, sit devotus, — si non est castus, nihil est ». Ergo « *teipsum castum custodi* » (I. Tim. 5, 22), ut possis aliquando animam castam commendare Deo, et corpus castum relinquere sepulchro.

IV. FUNDAMENTUM.

Spiritus orationis et s. obedientia.

« Homo nascitur ad **laborem** » sicuti « *avis ad volatum* » (Job 5, 7); et: « *tulit Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur illum* » (Gen. 2, 15). Ergo operandi lex divinitus est in eum sancita finem, ut laborans homo tum corporis animique vires exerceat, confirmet, adaugeat, tum ipsum Creatorem, cujus imaginem exprimit (— vita divina purus actus est —), imitetur Eique creaturae quasi tributa solvat. Quod quidem laborandi munus, jucundum primitus atque honorificum, per peccatum in poenam sic conversum est, ut « *in sudore vultus sui* » homo deinceps vesceretur pane suo. Unde jugum evasit atque onus cunctis impositum, quod, quamquam Salvator noster suave reddidit ac leve, honore ejus non solum restituto, sed etiam aucto, auferre tamen non voluit. Hinc monet S. Apostolus: « *Si quis non vult operari, nec manducet* » (II. Thess. 3, 10); quamobrem « *neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* » (v. 8).

Rectissime quidem. Nam otiosus quilibet, quum ab officio decedat quotidianum victum comparandi, gravius tamen delinquit, si Religiosus est, quoniam toti, in quam receptus

est, familiae monasticae et ignominiam inurit et onus molestiamque addit, vere fur et parasitus, culex fratrum dorsis insidens eorumque vivens sudore, vel cadaveris denique instar ad nihil aptus, nisi ut defodiatur. Istius speciem reddit « *ficus* », cui, quum nihil haberet praeter folia, Dominus maledixit, ut « *arida fieret a radicibus* » (Marc. 11, 13—21). Hinc S. P. N. Franciscus, « si quem cernebat otiosum et vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat, eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem et abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: ‚Volo, Fratres meos laborare et exercitari, ne otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur' » (S. Bonav. Legenda S. Franc. cap. V. n. 6).

1. Ast labor solus non sufficit; si intentione bona caret, coram Deo pretium non habet. « *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite* » (I. Cor. 10, 31); et hoc mandatum ad omnes spectat homines christianos. Religiosus autem sanctioribus adhuc vinculis ad illud tenetur, qui singulari prorsus ratione in Domini servitutem sese mancipavit, et quanto plus talentorum accepit, tanto plus fenoris debet lucrari. Hinc vetus clarissimaque illa monachorum tessera: « **Ora et labora** »! Opus Dei atque opus laboris, en duplex Dominici servitii ratio, in Maria ac Martha adumbrata, sive alae duae, quae ad altissimam attollunt perfectionem. Hanc intimam laboris cum oratione conjunctionem ac **spiritum orationis** vix ullus ex Ordinum Fundatoribus sodalibus suis tantopere commendavit sicuti S. P. Franciscus verbo atque exemplo « super omnia » ad hoc filios suos etiam atque etiam admonuit. En ipsius verba in S. Regula (cap. 10): Fratres « *attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum...* ». Et cap. 5: « *Fratres... laborent fideliter et devote, ita quod... sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* ».

Profecto, spiritus orationis est fulcimentum regularis observantiae et veri Fratris Minoris virtus praecipua. « Nihil », inquit Gaudentius Kerckhove (in comment. in Gen. Stat. cap. 2, § 4), « magis necessarium est pro conservatione nostri Ordinis quam juge sanctae orationis exercitium; quo deficiente, omnia corruant necesse est. Quod sane multiplex Ss. Patrum comprobat auctoritas, quos vide apud Lezana » *(De reformatione Regularium, tom. I. c. 3. et 4)*. Quibus consentit *S. Bonaventura*, qui *(De perfectione vitae, cap. 5, n. 1)* ait: « revera Religiosus... orationem non frequentans assidue, non solum est miser et inutilis, quinimo coram Deo mortuam fert animam in vivo corpore ». — David etiam de Augusta *(De progress. relig. lib. 7. c. 11)* sic loquitur: « Vita Religiosi sine studio devotionis internae est sicut favus sine melle, sicut murus absque temperamento, est sicut cibus absque condimento ». Hinc iterum S. Bonaventura *(De sex alis Seraphim, cap. 2, n. 10)* ait: « Cavenda est perturbatio studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis Religio, quae non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quae devotae orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine caemento. In omni Religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere et propinquare ruinae ». Ideo Ordinis Minister Generalis effectus, in Epistola ad quendam Provincialem directa, hunc per aspersionem Sanguinis Christi et per B. Francisci stigmata rogat, ut ad orationis studium Fratres suae curae commissos efficaciter incitet, sentiens sane sanctus et religiosus praesul, religiosae Regulae observantiam statumque religiosum ex assidua oratione necessario pendere. Si igitur forte Ordinem aliquem deformatum, dyscolis, vagis ac inhonestis Fratribus respersum conspexeris, propter orationis egestatem vel penuriam hoc illi malum evenisse credas. At ubi Religiosos humiles, pauperes, pudicos, observantes, obedientes, temperatos, quietis amatores, fructum animarum zelantes, vir-

tutibus plenos inveneris, hos ex eo tales putes, quod orationi mentali sedulo incumbant. « Quemadmodum » (ait S. Chrysost. « *De orando Deum* » lib. 2.) « ubi regina quaepiam ingreditur civitatem, necesse est ut omnis opulentia pariter consequatur; sic videlicet postquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur ».

Sit igitur nobis, maxime S. Francisci filiis, cura praecipua sanctae orationis frequentia. Ex mente enim S. Patris nostri debemus internae orationi specialiter studere; nam sic nos monet: « *Attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde;* et ita suadet laborem manualem fidelem et devotum, *ut* tamen *sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* ». Igitur oratio spiritualis debet Fratri Minori adeo esse propria, ut illam, juxta S. Patris mentem, primo intendere, illique cetera omnia postponere debeat. Voluit seraphicus Pater, ut Fratres sui prae ceteris internum foverent spiritum, neque ita externis actionibus detinerentur, ut meditationi coelestium vacandi tempus necessarium deesset, quod non tantum de manualibus operibus, verum etiam de externis exercitiis, quae *spiritualia* vocantur, duxit monendum. Quid enim magis spirituale dici potest, quam sacrarum Scripturarum studio vacare, aut in salutem animarum sacro se impendere ministerio? Et tamen hujusmodi munia vana esse et periculis plena asseruit S. Franciscus, nisi iis addicti plus temporis orationi quam studio aut praedicationi concedant. Audiamus hac de re ipsum S. Patriarcham Fratres suos monentem. Quaerentibus aliquando Fratribus, utrum sibi placeret, ut litterati jam ad Ordinem recepti intenderent studio sacrae Scripturae, respondit S. Pater: « Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, orationis studium non omittant ». De iis autem, qui, studio orationis relicto, sola scientiae curiositate ducuntur, ut docti fiant, aliquando dicebat: « In die tribulationis invenient manus suas

vacuas. Ideo vellem eos magis roborari virtutibus, ut, cum tempus tribulationis venerit, secum haberent Dominum in angustia » ... « Multi Fratres, occasione aedificandi alios, dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem et devotionem, atque dominam nostram paupertatem. Et continget illis quod, unde putabant magis imbui devotione et accendi amore et illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturae, inde occasionaliter remanebunt intus frigidi et vacui, et sic ad pristinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi secundum suam vocationem in vano et falso studio amiserunt ».

Quia tamen S. Franciscus scientiam Fratribus suis necessariam esse sciebat, utpote quibus incumbit sanam Ecclesiae doctrinam atque S. Scripturae arcana populis praedicare: hinc studium *Ss. Litterarum* non modo eis permisit, sed ad illud promovendum cathedras erexit, hac tamen sub cautela, ut curioso, vano et nimis avido studio spiritus devotionis non extingueretur; ut patet ex epistola quam S. Antonio Paduano scripsit, dum eum S. Scripturae Lectorem instituit: « Placet mihi », ait, « quod sanctae Theologiae litteras Fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te neque in ceteris (quod vehementer cupio) extinguatur sanctae orationis spiritus, juxta Regulam quam profitemur ». — Studium orationis et sanctae recollectionis eadem sollicitudine commendabat praedicatoribus verbi Dei, dicens: « Prius praedicator haurire debet secretis orationibus, quod postea sacris ostendat sermonibus; prius intus calescere, quam extra verba proferre. Laudandi sunt praedicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt sibique gustant; illi vero male sciunt dividere, qui praedicationi totum, devotioni vero nihil impendunt ».

Hujusmodi imprudentibus praedicatoribus ex mente S. Francisci aequiparari debent confessarii illi, qui praetextu salutis aliorum propriae perfectionis obliviscuntur, ipsamque propriam salutem in discrimen adducunt, *orationis exercitium et communia officia negligendo.* De his enim recte dicit S.

Thomas a Villanova: « Videas Monachos aliorum negotiis non sine gravissimo lampadis propriae detrimento libenter implicari et indiscrete incumbere, suamque dispersionem caritatis zelo palliare. Non est haec caritas, sed grandis stoliditas: propriae vocationis terminos transgredi, propriam lampadem extinguere, ut alienas accendant; seipsos damnationi exponere, ut alios salvos faciant ».

Haec prae oculis habuerunt regularis observantiae promotores saeculo XV. (SS. Bernardinus Senensis, Joannes a Capistrano, Jacobus a Marchia, Marcus a Bononia etc.), dum orationis juge exercitium atque recollectionis spiritum, tamquam reformationis initium et necessarium sustentaculum, omni modo promovere atque conservare studuerunt. — Huic diligenti orationis exercitio atque devotionis studio tribuenda est mirabilis vitae sanctitas, quae inter zelantes hujus temporis Fratres Minores fulgebat. Haec fuit causa praecipua, cur aureo illo saeculo tot ex eis Beatorum atque Sanctorum catalogo fuerint adscripti; recollectionis spiritus atque vita cum Christo in Deo abscondita tantam eis populorum et principum existimationem et venerationem conciliarunt; huic demum imprimis tribuenda sunt egregia opera, quae saeculo XV. pro Ecclesiae splendore animarumque salute ab eis fuerunt exantlata. — Idem de devotionis spiritu judicium tulerunt quotquot posterioribus temporibus Ordinis gubernacula tenuerunt, ut manifestum est tum ex litteris eorum encyclicis, tum ex Statutis nostris Generalibus.

Quum ergo nihil magis conservando Religionis fervori conferat, nihilque magis seraphici Patris filiis desiderandum, quam spiritus orationis, ultro sequitur, nil magis esse praecavendum, quam omne illud, quo devotionis spiritus extingui aut remitti contingit. Merito proinde S. Bonaventura de zelo Praelatorum loquens *(De sex alis Seraphim, cap. 2, n. 10)*, speciatim eis commendat, ut praecaveant perturbationem studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, et omne virtutis exercitium impinguatur. Quemadmodum au-

tem praecipua orationis fomenta et custodes sunt sacra solitudo, silentium, terrenorum contemptus et perfecta animae quies, sic e contrario **praecipua orationis spiritus impedimenta** sunt: inutilis et frequens egressus, cum saecularibus conversatio, multiloquium, amor creaturarum et immoderata in agendis sollicitudo.

Quantum Religiosorum bonos mores corrumpere et fervorem extinguere soleat nimia, superflua, prorsus impertinens et *vana extra monasteria vagatio*, et per vicos et plateas civitatum inquieta circuitio, docent unanimiter SS. Patres, docet experientia. Sicut pisces, si tardaverint in sicco, moriuntur, sic et Religiosi tardantes extra cellam, aut cum saecularibus immorantes, a quietis proposito et orationis fervore resolvuntur. Oportet ergo sicut piscem in mare, ita et nos ad cellam recurrere, ne forte foris tardantes obliviscamur interioris custodiae et devotionis spiritum amittamus.

Nec sola frequens et inutilis conversatio cum saecularibus studium devotionis perturbat, verum etiam *multiloquii inquietudo* in ipso conventu. « In nullo enim statu ‚et Ordine', ait devotus Thomas a Kempis *(Serm. 4. ad Novitios)*, stabit pax et disciplina, si non adsit censura silentii, quietis amica, quae est devotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga ». Et S. Bonaventura *(De perfectione vitae ad Sorores, cap. 4, n. 1)*: « Certe », ait, « audeo dicere: frustra ille Religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii... ». Et teste S. Jacobo (1, 26): « *Si quis putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam..., hujus vana est religio* ». Quae autem bona et utilitates pariat silentium, accipe ex eodem S. Bonaventura *(loc. cit.)*, et quae de hoc puncto Constitutiones Ordinis et Ordinationes provinciales habeant ex his tibi innotescunt. — Itaque, dilecte Frater, excepta legitima loquendi facultate, studiosissime sanctum serva silentium, quippe quod spiritualis vitae doctores appellent firmamentum Ordinis, obrussam disciplinae, clavem conversionis, fundamentum pietatis, adjumen-

tum virtutum atque custodiam devotionis spiritus, sigillum coelestis Sponsi animae impressum.

Tertium impedimentum spiritus orationis est *quaevis erga res creatas inordinata affectio.* « Nisi enim quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus », ait Thomas a Kempis, « non poterit libere intendere divinis. Ideo pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrari ». Et S. Bonaventura *(De puritate conscientiae, cap. 14)* ait: « Quia multi afficiuntur nimis ad seipsos, quidam ad alias personas, quidam ad honores, quidam ad divitias temporales, et quia haec sunt sicut murus inter Deum et animum, ideo nullus hominum habens aliquid de praedictis, potest in via Dei proficere, nec habere puram orationem, et maxime quando est carnalis affectio ad personam . . . . etc. etc. » Gravia sunt verba, quibus S. Bonaventura loco citato ostendit, inordinatas ad res creatas, praesertim ad personas affectiones, maximas animae clades afferre et orationis spiritum penitus extinguere, cum instar muri liberum ad Deum accessum impediant. Haec sedulo recogitemus, qui, secundum S. Regulam, quam professi sumus, « *super omnia desiderare debemus habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde* »; non enim possumus Deo vacare et in transitoriis pariter delectari, juxta illud Thomae a Kempis effatum: « *Quamdiu res aliqua me retinet, non possum libere ad te volare* ».

Verum orationis spiritus non modo illicitis actionibus et affectibus praepeditur, sed etiam honestis occupationibus extingui contingit, si nempe tam immoderatae sint, ut animae quietem perturbent, aut interioris vitae exercitia impediant. De hoc devotionis obstaculo saepius Fratres suos monuit Seraphicus Pater, ut supra dictum est, et in ipsa Regula (cap. V) disertis verbis praecavendum illud esse docuit. — Immoderatas actiones externas propriae perfectioni et praecipue orationis studio detrimentum afferre, aperte declarat S. Bonaventura in opusculo « *Quaestiones super Regulam* », *q. 19*,

ubi inter causas, ob quas Ordines religiosi a fervore deficiunt, hanc inter alias memorat dicens: « Occupatio negotiorum frequenter emergentium ...corda distrahit, affectum devotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, et, ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper nova impedimenta Religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, et obscurato conscientiae oculo, etiam cum desunt, occupationum causas imprudenter quaerere, sicut Samson caecatus in carcere molam traxit ».

Quis iis verbis vitam illorum inquietorum Religiosorum descriptam non videt, quibus solae externae occupationes placent, quibus cella taedium parit, et orationis chorique exercitia nauseae sunt atque supplicio, quique propterea non raro eo tempore occupationes impudenter quaerunt, quo interiori animae refectioni esset incumbendum. Eos propterea graviter monet idem seraphicus Doctor, ne sub praetextu procurandae aliorum propriae perfectionis obliviscantur, ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant. « Sic », ait *(Stimulus amoris, part. 2. cap. 11)*, « debet esse modus et forma praeparandi et disponendi se, ut possit quis fructificare in proximo sine sui detrimento; quia contingit et aliquando contingere potest, quod in procuranda aliorum salute propria negligitur, imo propria suffocatur ». (Conf. « *Ordinationes* », quas S. Joannes a Capistrano ad conservandum orationis spiritum pro religiosa sua familia in Monte Alvernae decrevit, et quae de eodem argumento egregie conscripsit Ven. Alvarez « *De vita spirituali ejusque perfectione* », lib. V. part. 3 cap. 38, cui titulus est: « *Religiosus nimias occupationes timeat* »*)*.

Itaque, dilecte Frater, a juventute tua labori assuescere simulque monasticae tesserae « Ora et labora » et S. Patris tui de orationis ac devotionis spiritu conservando admonitionis semper recordare, spiritusque orationis impedimenta devita! Ac tandem studiis diligentissime absolutis et bene praeparatus vitae apostolicae curriculum ingressus, cave, ne nimia

occupatione, etsi sancta caritatis opera exerceas, orationis ac devotionis spiritus in te extinguatur. Memento: una omnibus operibus tuis communis est eaque indispensabilis conditio, ut omni ex parte cum minoritica vocatione tua congruant neu sanctae orationis ac devotionis spiritum in te extinguant. Hic quoque divina valent eloquia: « *Quid prodest homini, si mundum universum* (pro Christo) *lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* »? (Matth. 16, 26). « *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam Ejus, et haec omnia adjicientur vobis* » (Matth. 6, 33). « *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit* »? (Eccli. 14, 5).

2. Ast non sufficit, dilecte Frater, ut assiduus sit labor tuus bonaque intentione ac oratione non careat: **s. obedientia** omnes Religiosi labores coronare debet; sancta enim obedientia Religiosi operibus coram Deo verum tribuit pretium, virtutem ac dignitatem. « *Sanctam* » dico obedientiam, cujus S. Patriarcha noster perfectum exstitit exemplum sapientissimusque Magister; adeo enim s. obedientia proprium est ac peculiare Religiosi insigne, ut labor eo destitutus damnationi deputetur, non mercedi. Nimirum inter acta Religionis s. obedientia palmam tenet, quoniam, quum paupertas proprietati, castitas carni nuntium remittat, illa ipsam potius ejurat animam, et quidquid haec in se possidet. Revera igitur s. obedientia optimam eligit Deoque dicat partem, propriam nempe sui ipsius libertatem, licentiam ac dispositionem. Religiosa obedientia concludit coronatque monasticam professionem, medium ei imponens saxum, egregiumque holocaustum ita perficit, ut, una illa negata, totum invertatur sacrificium Religioque ex Ordine commutetur in sacrilegum Ordinis exitium.

Porro obedientia, ceterorum scopus votorum, cum Deo sancte et arctissime jungit Monachum, voluntatem ejus vitamque cum divina consocians, unde perfectus Dei filius evadit, amantissimis summeque obsequiosis studiis addictus coelesti Patri. Sancta igitur obedientia norma est, qua haud ambigue aestimatur conversio morum, sanctitas omniumque virtutum

progressus. Ideo symbolum praedicatur Religionis, ignea columna, qua se Dei dominatio ac paterna providentia manifestat, Monachi salus, unicum decus ac ministerium, totius denique vitae Religiosae fundamentum, anima, Alpha et Omega. Profecto « *vir obediens loquetur victoriam* » *(Prov. 21, 28)*. Salvus quippe est ab omnibus propemodum peccatis. Nemo id quidem miretur, quoniam, ubi propria cessat voluntas, culpa tollitur et infernus. Humana enim voluntas donum est aeque timendum ac pretiosum, et mortis et vitae radix, mater tam amoris quam odii in Deum. Abyssum eadem aperit et coelum, hominem aut in Angelum aut in diabolum convertens. Atqui cessat bona esse voluntas, quando incipit esse propria. Quid igitur sapientius quidque securius, quam hujusmodi fatale instrumentum manibus committere Dei, qui sapientissime eo ac sanctissime utatur, avertens voluntatem a simulatis falsisque bonis? Qua quidem sui ipsius renuntiatione claustrum tamquam arca est, secure transferens ad coeleste litus, via quaedam triumphalis insidiis vacua, pretiosa Sponsi arrha confirmans, rem tuam in tuto esse collocatam. Nimirum divinae intime devinctus copulatusque voluntati, inexpugnabilis es, et impeccabilem fere te dicere ausim.

Hinc jam sequitur, s. obedientiam, quum peccata avertat armaque fortissima, imo ipsum Dei brachium praebeat ad hostes animae debellandos, etiam originem esse, custodem thesaurumque virtutum. Firmissimum efficitur quasi solum, quo ad perfectam caritatem proceditur, quum e contrario, qui obedientiam negligit, ipse se subtrahat gratiae. Eadem animo, dum vel occultissimas inde fibras superbiae evellit, exquisitam inserit humilitatem, seminarium illud omnis sanctitatis. Unde in dies magis filius ovisque efficeris divini Pastoris, qui sancte te per sanctam obedientiam dirigit, pascit atque gubernat. S. Obedientia filialem tibi inspirabit fiduciam ineffabilemque animi tranquillitatem ac laetitiam. Nimirum vestis est nuptialis, qua indutus ad convivium intromitteris dulcissimae illius lucis internae, pacis ac securitatis, quae propriae sunt perfe-

ctae libertatis filiorum Dei. Divina duce sapientia, sine metu ambulas, Deo acceptabilis ac dulcis hominibus, mirificeque munitus contra dolosas propriae mentis et cordis fallacias. Ac profecto in mysticum te obedientia paradisum reducit, unde inobedientia misere hominem depulit. Qua quidem palmari ornatus virtute solamen eris tui Superioris, juxta illud Apostoli (Hebr. 13, 17): « *Obedite praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes* »; eris praesidium Fratrum, honor thesaurusque monasterii, omnium deliciae et gaudium. Accedit, quod obedientia, quaecunque agis, reddit meliora. Omnia reddit meritoria, perfecta, Deo accepta, uberrimeque tibi virtutes conciliat, perficit ac fecundat. Ita plane omnium bonorum ac meritorum est auctrix. Nam quidquid regio consignat sigillo suo, id quasi divinum obtinet pretium, ut etiam levissimum servitiunculum semen sit aeternae gloriae et quilibet gressus in coelum directus. Itaque aurea Monachi est patena, in qua, si quid offert orationis, laboris, studii aut mortificationis, statim atque sine dubio summo Regi maxime jucundum acceptumque appareat. Porro, sanctae obedientiae si adhaeres, Deum semper praesentem conspicis, unde tanta perfunderis serenitate, ut ne mors quidem ullo pacto perturbare illam queat: quoniam vitae ratio minime tibi, sed illi potius reddenda erit, in cujus manu voluntas tua, Deo abs te dicata, divinitus reposita fuerit.

Ut autem ad hanc sanctam perfectamque obedientiam progrediaris et fructibus ejus gaudere possis, ante omnia necesse est, ut obedientia tua *in fide firmiter sit radicata.* « Qui vos audit, me audit » (Luc. 10, 16), dicit Dominus in Apostolis etiam ad omnes, qui in terra sicut illi ipsius vice funguntur; et cum « *omnis potestas* », quam in ordine sociali unus super alterum habet, « *a Deo* » sit (Rom. 13, 1), Apostolus fideles suos admonere potuit, « *ut cum bona voluntate* » servirent, « *sicut Domino, et non hominibus* » (Ephes. 6, 7). « *Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et*

non hominibus » (Coloss. 3, 23). Itaque quoad obedientiam religiosam principalis atque universalis et in omnibus necessaria praxis esse debet, ut Superiorem non tamquam purum hominem, sed ut Dei Vicarium ejusque vices gerentem, proin Dei loco praecipientem et disponentem respiciamus, indeque illius, etiam simplicia mandata, statuta, dispositionem et ordinationem, quasi ea immediate a Deo provenirent, et tamquam certam voluntatem divinam attendamus, universaliter ideo duntaxat agentes et agere intendentes, « *quia Deus vult, quia Deo placet* » etc., sicque semper ex perfectissima intentione procedamus; siquidem indubitanter inter omnes intentiones bonas incomparabiliter optima ac perfectissima est, agere, quia Deus vult, quia Deo placet, quae perfectissima intentio in nullo tam faciliter, secure et consolatorie haberi potest, quam in praestanda propter Deum Superiori obedientia, ei obediendo, quia loco Dei est. Hanc sanctam praxin S. Paulus (Ephes. 6, 5. 6 et 7) etiam carnalium dominorum servis, consequenter multo magis subditis Superiorum spiritualium merito commendat atque inculcat dicens: « *Servi, obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri sicut Christo* »; quia Superiores loco Christi sunt, indeque eorum jussis, sicut Christo jubenti obediendum est: « *non ad oculum servientes* », pergit Paulus, *quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi* », quia subditi Superiorum locum Christi tenentium, vere servi Christi sunt « facientes voluntatem Dei ex animo », quia voluntas Superioris certa voluntas Dei est. Concludit Apostolus: « *cum bona voluntate, servientes sicut Domino, et non hominibus* », quia Superior vere loco Domini est eique uti Domino, non homini, obediendum.

Hoc viva fide in corde tuo conserva, et obedientia etiam in difficillimis rebus facillima tibi erit. Propter Deum debemus obedire et hominem considerare noli: tunc obedientia nostra « *Deo placens* », meritoria et « *rationabile obsequium* » (Rom. 12, 1) erit.

In obedientissimum igitur suspice Jesum; Jesu Christi

enim spiritus obedientiae est spiritus, quoniam ipse Salvator noster non desiit asseverare: « *Descendi de coelo, non ut facerem voluntatem meam* ». — « *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem Ejus, qui misit Me* ». — « *Sicut mandatum dedit Mihi Pater, sic facio* ». — « *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus Ejus* ». — « *Non sicut ego volo, sed sicut Tu, Pater* » (Joan. 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34; Matth. 26, 39). Quae quidem verba vere adorandis ornavit atque confirmavit factis. « Subditus enim erat » non parentibus tantum, sed « *omni humanae creaturae* » (I. Petr. 2, 13). Nihil s. obedientia Ipsi carius, exoptatius, dulcius, donec cruci affixus, inter atrocissima mortis tormenta divinum caput in obsequii signum inclinavit, spiritum tradens in manus Patris. Quin etiam obediendi munus ne moriens quidem absolvit, quoniam continenter sub s. hostiae velamine omnino idem tibi exhibet obsequium, quod quondam purissimae maximeque benedictae Matri suae exultans praestitit. En, Frater, incomparabile ac gloriosum s. obedientiae exemplum, quod in Bethlehem ac Nazareth, praecipue vero in monte Calvariae atque Altaris tibi monstratum et ad imitandum propositum tibi effulget. Noli illud omittere, imo constanter contemplare et tua exprime vita.

Tandem semper memor esto *formalis praecepti s. Regulae* atque *exempli S. Patris tui Francisci*. Perfectam obedientiam, nempe cum plena indifferentia et universalitate ad omnia, ut omnes sui Ordinis Alumni habeant et jugiter in ea se exerceant, absolute et firmiter praecipit S. Franciscus in sua Regula (c. 10) his verbis: « ... *subditi recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et Regulae nostrae* ». Notentur verba: « *in omnibus* », sine ulla exceptione. Hinc ait S. Pater in testamento suo: « *Firmiter volo obedire Ministro Generali hujus*

Fraternitatis, et illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare; et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est ».

Audi jam ex S. Bonaventura *(Legenda S. Francisci, c. VI, n. 4)* exemplum et effata S. P. N. Francisci: « Ut autem », ait seraphicus Doctor, « pluribus modis negotiator hic evangelicus lucraretur ac totum praesens tempus conflaret in meritum, non tam praeesse voluit quam subesse, nec tam praecipere quam parere. Idcirco generali cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctae obedientiae fructum, ut eis qui jugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transiret; unde et Fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat et servare. Dixit aliquando sociis: ‚Inter alia, quae dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo Fratri. Subditus, inquit, praelatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet'. — Cum vero vice quadam quaereretur ab eo, quis esset vere obediens judicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit. ‚Tolle, inquit, corpus exanime, et ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui, cur moveatur, non dijudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur, non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum' ».

Sit ergo sancta, i. e. fide animata obedientia tua, sit simplex et humilis, prompta et expedita, perfecta et universalis, ad exemplum Jesu Christi et S. P. Francisci, et in te

quoque implebitur Spiritus sancti verbum: « *Vir obediens loquetur victoriam* » (Prov. 21, 28).

Ecce, haec sunt vitae claustralis fundamenta: Clausura, opus Dei in choro, vita communis seu s. paupertas, castitas disciplina religiosa et mortificatione servata, labor et opera charitatis cum spiritu orationis conjuncta et s. obedientia. Haec si fundamenta in juventute tua jeceris ac magis magisque firmaveris, vita tua monastica erit « *turris fortitudinis a facie inimici* » (Ps. 60, 3), et « *vocaberis civitas justi* » (Isai. 1, 26) et « *perfecti decoris* » (Thren. 2, 15). Eja, dilecte Frater, fiat, fiat, et claustrum tibi erit « *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo . . . mons pinguis, mons coagulatus . . . etenim Dominus habitabit in finem* » (Psalm. 67, 16. 17). Atque in eodem « *dies pleni invenientur* » tibi (Ps. 72, 10), donec adveniat regnum Christi gloriosum, cujus non erit finis in saecula.

TRACTATUS III.

De Ordine Fratrum Minorum S. P. Francisci.

§ 1.

Ad historiam Ordinis Fratrum Minorum.

1. Fundator ac legislator Ordinis Fratrum Minorum exstitit gloriosus Christi Confessor **S. Seraphicus P. Franciscus.** Natus erat Assisii in Umbria, anno 1182 circa festum S. Joannis Baptistae, ideoque a matre prius « Joannes » vocatus, dehinc vero « Franciscus » a patre, ob innatum amorem erga Francos, quorum rex Philippus Augustus tunc ubique celeberrimus versabatur. Dum 24 esset annorum coepit ea, quae mundi sunt, spernere, solique Deo placere studens, ad supernae vocationis bravium sese ex animo accinxit, anno 1206. Verum majores futurae sanctitatis progressus in dies emittendo coelesti edoctus lumine, calceis protinus detractis, baculo, pera, pecunia, cunctisque pristini status exuviis depositis, apostolicae perfectionis viam aggreditur et ad apicem usque auspicatur, solis tunica, caputio, femoralibus contentus et chorda, anno 1208. Quod vitae genus paulo post, anno 1210, Innocentius III. vivae vocis oraculo approbavit, et demum Honorius III. diplomate suo dato Lateranensi III. Kalendas Decembris Pontificatus sui anno 8. confirmavit, anno 1223, qui Institutum Fratrum Minorum, jam a se antecedenter approbatum, publicaverat in Generali concilio Lateranensi, anno 1215. Postquam igitur Seraphicus Fratrum Minorum Patriarcha, apostolicae perfectionis norma et exactum redivivi Christi Salvatoris exemplar, per 20 annos in admiranda vitae rigiditate, incomparabili poenitudine et sublimi sanctitate jugiter perseveraverat, postquam tres religiosos suos et vere apostolicos Ordines in Europa, Asia et Africa fundatos, dilatatos

et gloriose solidatos vidit, postquam doctrinis et exemplis unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam reparavit et aedificavit; postquam multiplices diabolorum insidias et insultus gloriose vicit, elusit, excussit: postquam sacris Stigmatibus, retroacto cuipiam saeculo haud concessis, insignitus effulsit et eminuit; postquam suscitavit mortuos, curavit infirmos et innumera praestitit miracula; postquam coelestibus apparitionibus, exstaticis raptibus et supernis meritis abundans, heroicarum virtutum actibus excelluit speciosissimus: — tandem sanctissime exspiravit, integerrimum lilium castitatis, Doctorum ornatissima corona in devota psallentium Fratrum praesentia expalluit, Alvernaea Martyrum rosa decidit: « *Patriae lux, forma Minorum, virtutis speculum, recti via, regula morum* » *Seraphicus Pater Franciscus* inter coelites translatus est, inter quos altero post obitum anno Gregorius IX. Summus Pontifex solemnissime ipsum annumeratum publicavit. Magna profecto hujusce viri apud Altissimum esse debuit, et quidem ex speciali divinae praedestinationis abundantia derivata sanctitas, utpote cujus odorem unguentorum totus mundus prosequitur, et tota Ecclesia venerabunda suspicit decorem apostolicae perfectionis ipsius.

2. Pauperrimus a S. pauperum Patriarcha Francisco fundatus Ordo Fratrum Minorum mirabiliter accrevit. In Capitulo Generali an. 1219 Assisii celebrato Seraphicus Pater jam vidit 5000 Fratres apud se congregatos et 500 Ordinis Candidatos receptionem postulantes; et tempore obitus S. Patris (an. 1226) duodecim Ordinis Provinciae jam erant fundatae. Tempore S. Ministri Generalis Bonaventurae, 38 annis post obitum S. Fundatoris, juxta catalogum S. Praesulis jussu an. 1264 exaratum 33 magnae Ordinis Provinciae et plures Ordinis Vicariatus cum 230 Custodiis et 1400 Conventibus numerabantur: et iste numerus praesertim saeculo XV. et XVI. novis Ordinis Seraphici ramis seu familiis enascentibus mirum in modum ita quidem est auctus, ut post horribilem illam a Protestantismo saeculo XVI. et XVII. contra Ordinem Sera-

phicum excitatam tempestatem, in qua multae Ordinis Provinciae et innumeri Conventus interierunt, in Capitulo Generali Mantuano (1762) Ordo Seraphicus adhuc habuit 167 Provincias cum 1277 Conventibus et 67 879 Confratribus. Ast hic numerus valde diminutus est per revolutionem Gallicam et subsequentem sic dictam bonorum ecclesiasticorum saecularizationem et suppressionem Ordinis in Germania, Hispania, Portugallia, Italia, in America media ac meridionali. Sed et istae quamvis continuae tempestates Ordinem Seraphicum deprimere quidem, non autem destruere potuerunt; nam in Capitulo Generali 1862 numeravit adhuc 91 Provincias, 1266 Conventus et 226 Residentias seu Hospitia cum 20 859 Confratribus.

3. Mirandum non est, quod Ordo Seraphicus in tanta Fratrum numerositate et tanta per totam Europam, per Asiam et Africam dilatatione primis tribus existentiae suae saeculis in his aut illis mundi regionibus (— totum enim Ordinis corpus disciplinae relaxatio nunquam infecit —) quoad observantiam et disciplinam aliquam jacturam passus et splendor Ordinis primaevus nonnihil obscuratus fuerit. Ast Optimus Deus S. Francisco in monte Alverniae promisit, Ordinem Fratrum Minorum usque ad finem mundi esse duraturum et nunquam esse defuturos Fratres, qui vitam juxta evangelicam paupertatem ducant, quique Regulam a se editam inviolate servent et collapsam observantiam in Ordine restaurent. Hujus divinae promissionis veritatem contestantur variae in Ordine Seraphico exortae *reformatae Congregationes* seu *Familiae*, quae labentem disciplinam et illibatam Regulae observantiam in Provinciis aut nationibus suis iterum restituerunt. Tales Reformationes erant: *Caesarini*, qui antesignanis S. Antonio Patavino et B. Caesario Spirensi contra relaxationes Fr. Eliae regularem observantiam conservarunt. *Coelestini* seu Eremitae Domini Coelestini, qui an. 1294 ortum trahentes, paulo post suppressi, per B. Angelum de Cingulo, alias Clareno, an. 1302 surgentes, sub nomine *Clarenorum* pia priorum vestigia pres-

serunt. Accedunt ad hos *Colctani* (an. 1406 radices agentes), *Amadaeitae* (an. 1460 exorti), *Villocretiani* etc., qui omnes pro puritate Regulae ac disciplinae decertarunt. Cunctis his Reformationibus palmam praeripuit *Renovatio Observantina* [1], cui B. Joannes de vallibus 1334 praelusit et B. Paulus, seu Paulutius de Trincis, Fulginas, an. 1368 proprium initium dedit. Haec Reformatio intra Ordinem secunde incepta, felicius propagata, breve intra tempus, praesertim a SS. Bernardino Senensi, Joanne a Capistrano, Jacobo de Marchia, B. Marco a Bononia etc. miro modo ampliata fuit. Sectatores ejus *Fratres de Observantia* ob exactam S. Regulae observantiam (nomine hoc a Concilio Constantiensi an. 1415 stabilito) nuncupari soliti, Ministrum Generalem, immediatum S. P. Francisci Successorem, ceu Superiorem suum venerati sunt, et subin ad Capitula Generalissima, a Conventualibus et Observantibus celebrata, convocati. Anno 1517 in Capitulo Generalissimo Romae in Aracoeli habito Leo X. Ministrum Generalem ex Observantibus eligi jussit eumque immediatum S. P. Francisci Successorem declaravit ac Sigillo Generali et Primatu totius Ordinis Fratrum Minorum insignivit. Dein Summus Pontifex *Clarenos, Coletanos, Amadaeitas* et *Discalceatos* Observantibus adjunxit, liberum Conventualibus ad eos accessum indulgens.

Postremo autem etiam inter Observantes exortae sunt Reformationes ex eo, quod non pauci Fratres piissimi S. Francisci spiritum atque primaevum Ordinis splendorem, quem nonnihil obscuratum existimabant, strictiore observantia renovare conati sunt. Hinc Observantes secernebantur in *Observantes Regulares* et *Strictiores*, ea inter ambos differentia, quod hi sub rigidioribus, ac illi, Statutis militarent et proprias Provincias inter Observantes tenerent. Observantes strictiores autem subsecabantur in *Discalceatos, Reformatos* et *Recollectos*, quos inter accidentalis item solummodo differentia in diverso proprio-

---

[1] Cum ex Constitutione Leonis X. (« Ite et vos », IV. Calend. Jun. 1517) fuit « Ordo ipse seipsum renovans ».

rum Statutorum rigore posita intercedebat. — *Discalceati* authore *V. Joanne de Puebla* an. 1487 primas radices fixerunt, exinde autem, quia nudis omnino pedibus incesserant, « Discalceati » audierunt. Primam hanc Observantiae reformationem (ab an. 1496) a *V. Joanne a Guadalupe* promotam, *S. Petrus de Alcantara* majorem ad rigorem numerumque evexit. — *Reformati* an. 1518 et seq. mundo jam celebres, a *V. Stephani de Molina* virtute et opera indeficiens sibi lumen et incrementa mutuarunt et ab Urbano VIII. (an. 1639) proprias Provincias erigendi facultatem receperunt. — *Recollecti* initium habuerunt in Hispania circa annum 1502. In quadam Congregatione, in Provincia Castellae celebrata, a R^mo^ P. F. Martiali Boulier, Vicario Generali, ex Patrum consensu ordinatum est: « ut in universis Hispaniae Provinciis aliquae domus humiliores designarentur, in quibus Fratres, qui arctioris vitae desiderio tenerentur, se recipere et vitam austeriorem servare possent ». Has domos *Recollectas* vocarunt, unde et illas inhabitantes *Recollecti* vocati sunt. Ad exemplum Recollectorum Hispaniae, ad finem saeculi XVI. in Galliam, saec. XVII. in Germaniam inferiorem et superiorem, in Angliam et Hiberniam prospere pervenit Recollectorum institutio, atque successu temporis hae Provinciae istam reformationem pro omnibus suis Conventibus receperunt et sic Provinciae Recollectorum factae sunt. — Hoc jam de Ordinis Seraphici Familiis, quae in unum congregatae sub immediato S. P. Francisci Successore, « Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum », Romae in Conventu Aracoelitano, residente — usque ad hujus Conventus destructionem an. 1885 — militarunt.

Unio Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci.

4. Verum ex tempore saeculi elapsi ad finem vergentis, Ordo Seraphicus gravissimis calamitatibus conquassatus est. Ex Gallia falsa philosophia ac haeresis jansenistica in omnia

fere catholica Europae regna diffundebatur, et his principiis instantes principes etiam Ordines religiosos, tamquam juris ac legum expertes, aggressi sunt, prouti factum est in Austria sub male informato Imperatore Josepho II, qui non solum in externas Regularium res, sed etiam in interna Religiosorum negotia, in eorum studia philosophica et theologica, in disciplinam monasticam, imo et in sacra manum suam sacrilegam extendit. — Hanc procellam subsecuta est magna illa ac cruentissima revolutio franco-gallica, quae tamquam tempestas magna omnes Ordines religiosos omniaque monasteria non solum in Gallia, sed etiam in omnibus a Gallis occupatis territoriis, in Hispania, Belgio, Italia etc. suppressit. Ad calamitatem hanc brevi (1802) accessit bonorum ecclesiasticorum in Germania s. d. saecularizatio, quae hisce in terris omnes Ordines religiosos abolevit. Pace vix restituta ac Ordinibus religiosis in aliquibus regnis aliqua ex parte restauratis novae procellae exoriebantur, quibus omnes Ordines religiosi omniaque monasteria de novo suppressi sunt: in Polonia, in Portugallia (1834), in Hispania (1835), nostrisque diebus in sic dicto regno Italico, in regno Borussiae (1875), iterumque in Gallia (1880) etc. Profecto: « Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti »! (Jerem. Thren. 3, 22).

Non mirum, quod in tantis calamitatibus continuisque procellis novique aevi conditionibus Ordinum religiosorum vires relaxatae eorumque monastica disciplina antiqua jacturam sit passa.

Quapropter etiam in Constitutione Leonis XIII. « Felicitate quadam » (4. Octob. 1897) sequentia legimus: « Certe quidem usus docet, studium virtutis perfectae, quod in ortu adolescentiaque Ordinum religiosorum tam solet esse severum, paullatim relaxari, atque animi ardorem pristinum plerumque succumbere vetustati. Ad hanc senescendi collabendique caussam, quam afferre consuevit aetas, quaeque omnibus inest coetibus hominum natura insita, altera nunc ab inimica vi accessit extrinsecus. Scilicet atrox procella temporum,

quae centum amplius annis rem catholicam exagitat, in ipsas Ecclesiae auxiliares copias, Ordines virorum religiosorum dicimus, naturali itinere redundavit. Despoliatos, pulsos, extorres, hostiliter habitos quae regio, quae ora Europae non vidit? Permagnum ac divino tribuendum muneri, quod non excisos penitus vidimus. Jam vero duabus istis conjunctis caussis plagam accepere nec sane levem: fieri enim non potuit quin duplicato fessa incommodo compago fatisceret, quin vis disciplinae vetus, tamquam in affecto corpore vita, debilitaretur. Hinc instaurationis orta necessitas...».

Haec autem Ordinis Seraphici instauratio ad effectum adducta est praelaudata Constitutione Leonis XIII. « Felicitate quadam », qua supramemoratae quatuor Ordinis nostri Familiae in unum atque unicum corpus revocantur et unum et unicum corpus efficiunt, prout S. P. N. Franciscus Ordinem suum fundaverat. Ait Summus Pontifex:

« Atqui omnino postulare intelleximus, ut ad conjunctionem communionemque vitae priscam Ordo revocetur. Ita, amotis discidiorum et contentionum caussis, voluntates omnes unius nutu ductuque invicem colligatae tenebuntur, et, quod consequens est, erit ipsa illa, quam parens legifer intuebatur, constitutionis forma restituta ».

« Quae cum ita sint, auctoritate Nostra apostolica, harum virtute litterarum, Ordinem Minorum, variis ad hanc diem sodalitiis distinctum, ad unitatem communitatemque vitae plene cumulateque perfectam, ita ut unum atque unicum corpus efficiat, familiarum distinctione omni deleta, revocamus, revocatumque esse declaramus ».

I. « Is, extinctis nominibus *Observantium, Reformatorum, Excalciatorum* seu *Alcantarinorum, Recollectorum*, Ordo Fratrum Minorum sine ullo apposito, ex instituto Francisci Patris appelletur: ab uno regatur: eisdem legibus pareat: eadem administratione utatur, ad normam Constitutionum novissimarum, quas summa fide constantiaque ab omnibus ubique servari jubemus ».

II. « Statuta singularia, item privilegia juraque singularia, quibus familiae singulae privatim utebantur, fruebantur, ac prorsus omnia, quae differentiam aut distinctionem quoquo modo sapiant, nulla sunto: exceptis juribus ac privilegiis adversus *tertias personas:* quae privilegia, quaeque jura firma, ut justitia et aequitas postulaverit, rataque sunto ».

III. « Vestitum cultumque eadem omnes forma induunto ».

IV. « In gubernatione Ordinis universi, quemadmodum unus Minister generalis, ita Procurator unus esto: item Scriba ab actis unus: honorum coelestibus habendorum Curator unus » etc. etc. etc. — Pauca haec ad historiam Ordinis nostri Seraphici.

5. Quod tandem attinet *seraphici Ordinis praestantiam*, sufficiat tibi respicere *fructus* ejusdem. « A fructibus eorum cognoscetis eos » (Matth. 7, 16). Ecce, Ordinis ornamentum certe praeclarissimum est *magnus Sanctorum numerus*, qui ex ejusdem Regula traxit originem; « *Regula* enim *et Vita minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate* » (Reg. cap. 1). Ex Ordine Fratrum Minorum ante ejus divisionem, (i. e. ante Concilium Constantiense 1414) numerantur 16 Sancti, 38 Beati, in summa 54. — Post divisionem ex quatuor supra memoratis Ordinis Familiis prodierunt 29 Sancti, 49 Beati, insimul 78. — Secundus Ordo (S. Clarae) 5 Sanctas ac 17 Beatas progenuit. — In tertio Ordine S. P. Francisci, regulares et saeculares vixerunt 36 Sancti et 55 Beati, non numeratis iis, qui tolerato tantum Cultu locali gaudent. His accedunt ultra 1500 Martyres, ex quibus in sola Custodia « Terrae Sanctae » pro Christo sanguinem suum fuderunt plures, quam omnes Ordines catholici insimul Martyres enumerant; ac tandem ultra 5000 Servi ac Servae Dei, quos commemorat Ordinis Menologium et qui virtutibus, sanctitate et miraculis in vita sua singulariter claruerunt. — Et si totum Ordinem seraphicum respexeris, memoratis Sanctis atque Beatis Franciscanorum

Ordinis adnumerari debent ex Conventualibus 1 Sanctus et 1 Beatus, et ex Capuccinis 5 Sancti et 5 Beati, ut sic totus Ordo Seraphicus enumerat in summa c. 257 Servos ac Servas Dei, quorum festa ecclesiastice coluntur. — Ante paucos annos in S. Rituum Congregatione 27 Causae seu Processus Apostolici pro Beatificatione ex Ordine Franciscanorum, 5 ex illo Conventualium, 10 ex illo Capuccinorum, 8 ex secundo Ordine S. Clarae ac 10 ex tertio Ordine S. P. Francisci agendi erant propositi. — Memoratis Causis nuperrime plures novae accesserunt, inter quas etiam Martyres Angliae, qui saeculo XVI. et XVII. passi sunt et Martyres Damasci (1860). Quoad Ecclesiae dignitates, 5 Fratres ad Summum Pontificatum sunt elevati. Numerat Ordo seraphicus ultra 40 Cardinales, 14 Patriarchas, ultra 4000 Archiepiscopos et Episcopos, et 290 Legatos Apostolicos. In praesenti in eo adhuc numerantur 42 Archiepiscopi et Episcopi et unus S. Romanae Ecclesiae Cardinalis. — Et quod tandem scientiam sacram attinet, incipiendo a S. Antonio Paduano (dicto « Arca Testamenti »), V. Alexandro Alensi (« Doctor irrefragabilis ») et S. Bonaventura (« Doctor Seraphicus ») saeculo XIII. et XIV. circa 60 Confratres tamquam « Doctores » singulari epitheto a suis coaevis sunt decorati, et saeculo XVI. S. Franciscus Concilio Tridentino ultra 36 dedit Doctores. — Sufficiant tibi, dilecte Frater, pauculae hae de Ordine seraphico notitiae; plura ex ipsa Ordinis historia tibi depromas et supradicta tibi sequentia elogia confirment [1].

[1] Fratribus nostris et praesertim Novitiorum et Studentium Magistris hic commendatur opus ab egregio L. De Kerval exaratum, post publicatam Constitutionem Leonis XIII. « Felicitate quadam » et Ordinis nostri historiam exacte et breviter referens: « S. François d'Assise et l'Ordre Séraphique », Vanves près Paris, imprimerie Franciscaine Missionnaire. — Invenitur hoc opus etiam apud Curiam generalitiam.

§ 2.

Elogia in Regulam Fratrum Minorum.

Nicolaus Papa III.

« Haec est Minorum Fratrum mitis et docilis in paupertate ac humilitate per almum Christi Confessorem Franciscum radicata Religio: qui ex illo vero semine germinans, germen illud per Regulam sparsit in filios, quos sibi et Deo per suum ministerium in observantia Evangelii generavit. Isti sunt filii, qui docente Jacobo, Verbum aeternum Dei filium, insitum humanae naturae in horto virginalis uteri, potens salvare animas, in mansuetudine susceperunt. Hi sunt illius sanctae Regulae professores, quae Evangelico fundatur eloquio, vitae Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiae Apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur ».

« Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata Religio, quae descendens a Patre luminum, per ejus Filium exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per Spiritum sanctum beato Francisco, et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Haec est cui, attestante Paulo, nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus passionis suae stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suae signis notabiliter insigniri » (Nicolaus III. in *Declaratione* sup. Regulam Fratrum Minorum, num. 2. — « *Seraphicae Legislationis Textus originales* », pag. 182).

Clemens Papa V.

« Haec est illa coelestis vitae forma et Regula, quam descripsit ille confessor Christi eximius sanctus Franciscus, ac servandam a suis filiis verbo docuit pariter et exemplo » (Clemens V. in *Declaratione* Regulae Fratrum Min., n. 1. — *Seraphicae Legislationis* » etc., pag. 230).

S. Bonaventura.

B. Franciscus « ad Regulae observantiam Fratres ferventer inducens, dicebat, se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Jesu digito Dei vivi tamquam bulla summi Pontificis Christi ad confirmationem omnimodam Regulae et commendationem auctoris... » (S. Bonavent., *Leg. S. Francisci*, cap. IV. ad n. 11).

S. Birgitta Vidua.

« Christus inquit: ,Ipsius Francisci Regula, quam ipse incepit, non fuit dictata et composita ab ipsius humano intellectu et prudentia, sed a me, secundum voluntatem meam: quodlibet enim verbum, quod in ea scriptum est, a Spiritu meo ipsi fuit inspiratum; et postea ipse aliis Regulam illam protulit et porrexit; ita etiam omnes aliae Regulae, quas amici mei inceperunt, non fuerunt dictatae et compositae ab ipsorum intellectu et humana sapientia, sed ab inspiratione ejusdem Spiritus sancti » (Lib. VII. *Revelat.* cap. 20).

§ 3.

Regula et Testamentum S. P. N. Francisci[1].

Incipit Confirmatio Domini Papae Honorii III. supra Regulam Fratrum Minorum.

Honorius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis fratri Francisco, et aliis fratribus de Ordine Fratrum mino-

---

[1] Ex novissimo opere: « *Seraphicae Legislationis Textus originales* » jussu Rmi Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum in lucem edito (Quaracchi, 1897).

rum, salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere Sedes apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter dilecti in Domini filii vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri regulam, a bonae memoriae Innocentio papa praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Quae talis est:

In nomine Domini incipit Regula et Vita minorum Fratrum.

CAPUT I.

Regula et Vita minorum Fratrum haec est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae; et alii fratres teneantur fratri Francisco, et ejus successoribus obedire.

CAPUT II.

De iis qui volunt vitam istam accipere et qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere et venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos Ministros provinciales, quibus solummodo et non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant et velint ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare; et uxores non habent, vel si habent, et jam monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate dioecesani Episcopi, voto continentiae jam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii: quod vadant et vendant

omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare; quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres et eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, et cingulum et bracas, et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper et Regulam observare; et nullo modo licebit eis de ista Religione exire, juxta mandatum domini Papae; quia secundum sanctum Evangelium: Nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est Regno Dei. Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur: et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei: quos moneo et exhortor ne despiciant neque judicent homines quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum.

CAPUT III.

De divino Officio, et Jejunio; et quomodo Fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae excepto Psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino; pro Laude quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum, septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, et orent pro defun-

ctis. Et jejunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt non sint adstricti; sed aliam usque ad resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria jejunare. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

CAPUT IV.

Quod Fratres non recipiant pecuniam.

Praecipio firmiter Fratribus universis ut nullomodo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam; tamen pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum et Custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper salvo, ut sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

CAPUT V.

De modo laborandi.

Fratres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant,

cui debent cetera temporalia deservire. De mercede vero laboris, pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam; et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

CAPUT VI.

Quod nihil approprient sibi Fratres, et de eleemosyna petenda, et de Fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; et tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter; nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, charissimos fratres meos, heredes et reges Regni Coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium: cui dilectissimi Fratres totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Et ubicumque sunt et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire Fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitate ciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

CAPUT VII.

De poenitentia Fratribus peccantibus imponenda.

Si qui Fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter Fratres ut recurratur ad solos Ministros provinciales, teneantur praedicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterint sine mora. Ipsi vero Ministri, si presbyteri sunt, cum misericordia

injungant illis poenitentiam. Si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios, Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire; et cavere debent ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus: quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem.

CAPUT VIII.

De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, et de Capitulo Pentecostes.

Universi Fratres unum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum et servum totius Fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a Ministris provincialibus et Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo provinciales Ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a Generali Ministro fuerit constitutum: et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut a praedicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum provincialium et Custodum praedictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem Fratrum, teneantur praedicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum vero Pentecostes, Ministri et Custodes possint singuli, si voluerint et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel Fratres suos ad Capitulum convocare.

CAPUT IX.

De praedicatoribus.

Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi cum ab eo illis fuerit contradictum; et nullus Fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium sibi praedicationis concessum. Moneo quoque et exhor-

tor eosdem Fratres ut in praedicatione quam faciunt sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

CAPUT X.

De admonitione et correctione Fratrum.

Fratres qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum visitent et moneant Fratres suos, et humiliter et charitative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid quod sit contra animam suam et Regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi recordentur quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis ut obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et Regulae nostrae. Et ubicumque sunt Fratres qui scirent et cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero charitative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Nam ita debet esse quod Ministri sint servi omnium Fratrum. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, detractione, et murmuratione; et non curent nescientes litteras, litteras discere: sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Coelorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

CAPUT XI.

Quod Fratres non ingrediantur monasteria Monacharum.

Praecipio firmiter Fratribus universis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, et ne ingrediantur monasteria Monacharum, praeter illos quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.

CAPUT XII.

De euntibus inter Saracenos et alios infideles.

Quicumque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris provincialibus ; Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad haec per obedientiam injungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis ; ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Confirmatio Regulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno octavo.

Testamentum S. P. N. Francisci.

In Nomine Domini incipit Testamentum Seraphici Patris nostri Francisci.

Dominus dedit mihi Fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam: quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos: ipse Dominus conduxit me inter illos, et feci misericordiam cum illis. Et recedente me ab ipsis, id, quod mihi videbatur amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animae et corporis. Et postea parum steti, et exivi de saeculo.

Et Dominus dedit mihi talem fidem in ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem et dicerem: *Adoramus te sanctissime Domine Jesu Christe, hic, et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus Tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.*

Postea dedit mihi Dominus et dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae, propter Ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos Sacerdotes hujus saeculi, in ecclesiis, in quibus morantur, nolo praedicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere, amare, et honorare, sicut meos dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt. Et haec propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei nisi sanctissimum Corpus et Sanguinem suum, quod ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis administrant. Et haec sanctissima mysteria volo super omnia honorare et venerari, et in locis pretiosis collocare.

Et sanctissima Nomina et verba ejus scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere, et rogo quod colligantur, et in loco honesto collocentur.

Et omnes Theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.

Et postquam Dominus dedit mihi curam de Fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere; sed ipse Altissimus revelavit mihi quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii. Et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi, et Dominus Papa confirmavit mihi.

Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quae habere poterant, pauperibus erogabant. Et eramus contenti tunica una, intus et foris repetiata (qui volebant), cum cingulo, et braccis, et nolebamus plus habere.

Officium dicebamus nos Clerici secundum alios Clericos; Laici dicebant *Pater noster*. Et satis libenter manebamus in ecclesiis pauperculis et derelictis; et eramus idiotae, et subditi omnibus.

Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare; et omnes alii Fratres, firmiter volo quod laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem; et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter bonum exemplum et ad repellendam otiositatem.

Et quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim.

Salutationem hanc revelavit mihi Dominus, ut diceremus: *Dominus det tibi pacem.*

Caveant sibi Fratres ut ecclesias, et habitacula, et omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in Regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut advenae et peregrini.

Praecipio firmiter per obedientiam Fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, per se, nec per interpositam personam, neque pro ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum: sed ubi-

cumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam ibi poenitentiam, cum benedictione Dei.

Et firmiter volo obedire Ministro Generali hujus Fraternitatis, et illi Guardiano quem sibi placuerit mihi dare; et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est.

Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen volo semper habere Clericum, qui mihi faciat Officium, sicut in Regula continetur. Et omnes alii Fratres ita teneantur firmiter obedire Guardianis suis, et facere Officium secundum Regulam.

Et si aliqui inventi essent qui non facerent Officium secundum Regulam, et vellent aliquo modo variare, aut non essent Catholici, omnes Fratres ubicumque sunt, per obedientiam teneantur, quod, ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori Custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare. Et Custos teneatur per obedientiam ipsum fortiter custodire, sicut hominem in vinculis, die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec in propria persona ipsum repraesentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum, per tales Fratres qui die noctuque custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repraesentent eum coram Domino Ostiensi, qui est Dominus, Protector et Corrector istius Fraternitatis.

Et non dicant Fratres: Haec est alia Regula; quia haec est recordatio, admonitio et exhortatio, et meum Testamentum, quod ego Frater Franciscus parvulus vester facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, ut Regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus.

Et Generalis Minister et omnes alii Ministri et Custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum, juxta Regulam. Et in omnibus Capitulis quae faciunt, quando legunt Regulam, legant et ista verba.

Et omnibus Fratribus mei Clericis et Laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in Regula,

nec in istis verbis, dicendo: Ita volunt intelligi. Sed sicut dedit mihi Dominus simpliciter et pure dicere et scribere Regulam, et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem.

Benedictio S. P. N. Francisci.

Et quicumque haec observaverit, in coelo repleatur benedictione Altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito et omnibus Virtutibus coelorum, et omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciscus, parvulus vester, et servus, quantumcumque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.

Exhortatio Seraphici Patriarchae.

O dilectissimi Fratres, et in aeternum benedicti filii, audite me, audite vocem Patris vestri:

Magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus haec, suspiremus ad illa.

Voluptas brevis, poena perpetua.

Modica passio, gloria infinita.

Multorum vocatio, paucorum electio; omnium erit retributio. Amen.

S. Francisci maledictio in transgressores scandalosos.

A Te, Sanctissime Pater, et a tota coelesti Curia, et a me pauperculo sint maledicti qui suo malo exemplo confundunt et destruunt quod per sanctos Fratres hujus Ordinis aedificasti et aedificare non cessas !

Verba S. Francisci: Laudes Regulae.

Fratres mei, et filii charissimi, praeclare nobiscum actum est in concessione hujus Regulae. Haec enim, quae nobis proponitur, Liber est vitae, spes salutis, arrha gloriae, medulla Evangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis Paradisi,

pactum aeterni foederis. Nemo vestrum est, qui ignoret quantum emolumenti conferat nobis sacra Religio, cum colluctator et adversarius noster ad omnes dolos, vel cogitandos, vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia, quae nocere possunt, pro laqueis habeat. Unde quamplures, nisi Religionis beneficio muniti essent, in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, et in allevatione taedii, et memoria praestiti juramenti, cum interiori homine de ea confabulamini; cum intentione eam adimplendi, semper prae oculis portate; immo et cum ipsa debetis mori.

S. Francisci exhortatio ad observantiam Regulae.

In nomine Dei Omnipotentis rogo omnes Fratres ut addiscant tenorem et sensum eorum quae in ista vita ad salutem animae nostrae scripta sunt, et ista frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum ut ipse, qui est Omnipotens, Trinus et Unus, benedicat omnes docentes quae ibi ad salutem nostram scripta sunt. Et deprecor omnes, cum osculo pedum, ut multum diligant, custodiant et reponant; et ex parte Dei Omnipotentis et Domini Papae, et per obedientiam, ego, Franciscus, firmiter praecipio et injungo, ut ex his quae in ista vita scripta sunt, nullus minuat, vel in ipsa scriptum aliquod desuper addat, nec aliam Regulam Fratres habeant.

Laudes Testamenti S. Francisci (et S. Clarae)[1].

O Testamentum pacis, Testamentum nulla oblivione delendum, nulla dedignatione spernendum, nulla superordinatione mutandum! Testamentum, inquam, non morte Testatoris, sed immortalis vitae condonatione sancitum!

---

[1] Quae a pag. 130, § 3. usque ad « Laudes Testamenti » posita sunt, ex novissimo opere: « *Seraphicae Legislationis Textus originales* », jussu Rmi Ministri Generalis totius Ordinis Minorum in lucem edito (Quaracchi, 1897), ad verbum sumta sunt.

Beatus qui non spernit vel abjicit charitatis incorruptibile Testamentum, fertile humilitatis feudum, desiderabilem paupertatis thesaurum, tanti Patris sibi traditione legatum!

§ 4.

Summarium Praeceptorum Regulae.

Praenotatio.

Cum prae aliis Religiosis, Fratres, dum recipiuntur ad obedientiam, *promittunt* vitam istam semper et Regulam observare, ac ideo Deo Omnipotenti *vovent et promittunt* toto tempore vitae servare Regulam Fratrum Minorum; et Clemens V. C. « *Exivi* », c. 1. n. 1 declaravit quod *votum determinatum cujuslibet habeat cadere sub certo*, e Summorum Pontificum Nicolai III. et Clementis V. declarationibus in Regulam, excerpta sunt ea puncta, ad quae servanda obligantur professores sub gravi.

Primum status nostri substantiale fundamentum est: *Domini nostri Jesu Christi Evangelium observare: vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate* (Reg. cap. 1). — Non quidem ad totum Evangelium servandum, sed « *ex professione ejusdem Regulae Fratres ipsi ad ea tantum Evangelica observanda consilia sunt adstricti, quae in ipsa Regula praeceptorie vel inhibitorie seu sub diversis aequipollentibus exprimuntur* » (Nicolaus III. C. « *Exiit* », art. 1. n. 3). — Enimvero, ut testatur Clem. V. in C. « *Exivi* », art. 1. n. 2: « *Vovens Regulam non potest dici teneri ex vi voti hujus ad ea consilia Evangelica, quae in Regula non ponuntur* ». — Praeterea, « *Fratres non solum ad illa tria vota nude et absolute accepta ex Professione suae Regulae obligantur, sed etiam tenentur ad omnia ea implenda, quae sint pertinentia ad haec tria praedicta, quae Regula ipsa ponit* ». Alias « *pro nihilo et vane proferrentur haec verba: Promitto me semper hanc Regulam observare: ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur* » (ibid. art. 2. n. 1).

Unde assertive dicendum est, nihil esse in Regula, quod sub mortali culpa, *virtute voti regularis,* obliget professores, nisi id quod sub praeceptoriis verbis in ea ponitur, ut, *Praecipio, Injungo per obedientiam;* vel sub verbo habente vim praecepti, ut *Teneantur;* vel sub verbo inhibitorio seu prohibitorio, ut est illud c. VI. « *Fratres nihil sibi approprient* »; vel nisi sit de illis aequipollentibus, per Clementem V. C. « *Exivi* » specificatis et expressis.

Regula S. P. N. Francisci exinde apposite dividitur in tres partes principales:

A. Puncta obligantia sub peccato mortali;

B. Salutares exhortationes vitandi malum;

C. Suaves admonitiones ad bonum faciendum.

A. Puncta obligantia sub peccato mortali.

Dividuntur 1. in vota essentialia Religionis; 2. in votum speciale S. P. Francisci; 3. in praecepta huic Regulae specialia.

§ I. *Vota essentialia Religionis* sunt tria sequentia, sic expressa:

Vivendo in obedientia,

Vivendo sine proprio,

Vivendo et in castitate. Cap. I.

§ II. *Votum speciale S. P. Francisci* sic sonat: « Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam Domino Papae Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae ». Cap. I.

§ III. *Praecepta huic Regulae specialia* distinguuntur: 1. in praecepta formalia; 2. inhibitoria; 3. habentia vim praecepti; 4. aequipollentia.

1. Praecepta formalia.

1. Quod totus Ordo teneatur praestare obedientiam et reverentiam Domino Papae et Romanae Ecclesiae. Cap. I.

2. Quod Fratres nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. Cap. IV.

3. Quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus quae promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animae et Regulae nostrae. Cap. X.

4. Quod Fratres non habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. Cap. XI.

5. Quod non ingrediantur monasteria Monacharum, praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Cap. XI.

6. Quod non fiant compatres virorum vel mulierum. Cap. XI.

7. Quod Ministri petant unum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector et Corrector istius fraternitatis.

2. Praecepta inhibitoria.

1. Quod nullo modo liceat Fratribus de ista Religione exire. Cap. II.

2. Quod Fratres nihil sibi approprient. Cap. VI.

3. Habentia vim praecepti,

etiam obligantia sub mortali, ex declaratione Pontificum.

1. Quod Fratres teneantur recurrere ad Ministros Provinciales pro casibus reservatis. Cap. VII.

2. Quod Fratres habeant unum de Fratribus istius Religionis in Generalem Ministrum etc. Cap. VIII.

3. Quod Ministri et Custodes teneantur insimul convenire in Capitulo Generali, pro electione Generalis Ministri. Cap. VIII.

4. Quod si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium et Custodum, praedictum Ministrum non esse sufficientem, debeant eligere alium, etc. Cap. VIII.

4. Aequipollentia ex declaratione Clementis V.

1. Quod Fratres habeant unam tunicam cum caputio, et aliam sine caputio, qui voluerint habere. Cap. II.

2. Quod illi tantum, qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. Cap. II.

3. Quod vilibus vestimentis induantur. Cap. II.

4. Quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae, et Laici dicant Pater noster. Cap. III.

5. Quod Fratres jejunent a Festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini, sanctam Quadragesimam usque ad Resurrectionem Domini, et in Feriis sextis totius anni. Cap. III.

6. Quod non equitent, nisi manifesta necessitate aut infirmitate cogantur. Cap. III.

7. Quod Ministri et Custodes sollicitam curam gerant pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis. Cap. IV.

8. Quod Fratres serviant Fratribus infirmis. Cap. VI.

9. Quod Fratres non praedicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Cap. IX.

10. Quod nullus Fratrum populo audeat praedicare, nisi a Ministro Generali hujus fraternitatis fuerit approbatus. Cap. IX.

11. Quod ubicunque sunt Fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter observare, debeant et possint ad suos Ministros recurrere. Cap. X.

12. Omnia quae ponuntur in Regula, quoad formam habitus, tam Novitiorum, quam etiam Professorum, et ad modum receptionis ac professionis spectantia; in quo multae conditiones obligatoriae comprehenduntur. Cap. II.

Haec omnia si simul jungantur, constat quod viginti quinque erunt obligatoria Regulae sub culpa mortali; septem scilicet praecepta formalia, duo inhibitoria, quatuor habentia vim praecepti, et duodecim aequipollentia; quae omnia viginti quinque sunt. Et licet secundum declarationes Nicolai III. et Clementis V. sint viginti octo, reducuntur tamen ad viginti quinque. Nam reliqua tria habentia vim praecepti includuntur

in supradictis. Id enim quod dicitur in primo capite: quod Fratres teneantur obedire successoribus S. Francisci; et id quod dicitur capite octavo, quod teneantur obedire Generali Ministro, includuntur utique in illo praecepto, capite decimo: quod obediant suis Praelatis in omnibus, quae non sunt contraria animae suae et Regulae nostrae. Illud autem quod dicitur de jejunio sextae Feriae, ad aequipollens reducitur, ubi agitur de jejunio. Illud vero duodecimi capitis de non eundo inter Saracenos sine licentia, et non mittendo, nisi idoneos; potius videtur praeceptum Iuris communis, cap. « Quam sit », de Judaeis et Saracenis, et Cap. « Cum ex injuncto », de haereticis, quam particulare Regulae nostrae et ideo hic connumeratur.

B. Salutares Exhortationes vitandi malum.

In Regula quoque sunt quaedam exhortationes, quae docent Fratres malum fugere et peccatum praecavere, et sunt sex:

1. Caveant Fratres et eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus temporalibus intrantium. Cap. II.

2. Moneo et exhortor, ne despiciant, neque judicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum. Cap. II.

3. Consulo vero, moneo et exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent neque contendant verbis nec alios judicent. Cap. III.

4. Et cavere debent (Ministri vel Presbyteri, qui poenitentiam injungunt), ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicujus. Cap. VII.

5. Moneo vero et exhortor in Domino Jesu Christo, ut caveant Fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, a detractione et murmuratione. Cap. X.

6. Et non curent nescientes litteras, litteras discere. Cap. X.

C. Suaves admonitiones ad bonum faciendum.

Praeterea in S. Regula sunt quaedam paternae et suaves admonitiones, sive quaedam virtutum salutares informationes, quae docent Fratres bonum facere, et non cadunt sub praecepto, nec obligant sub mortali, et sunt numero duodecim:

1. Sint mites, pacifici, modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Cap. III.

2. In quamcunque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Cap. III.

3. Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio, animae inimico, sanctae orationis ac devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire. Cap. V.

4. Sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter; nec oportet eos verecundari. Cap. VI.

5. Cui (paupertati), dilectissimi Fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Jesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Cap. VI.

6. Et ubicunque sunt, et se invenerint Fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Cap. VI.

7. Ipsi vero Ministri, si Presbyteri sunt, cum misericordia injungant illis (qui ad eos recurrunt pro peccatis publicis) poenitentiam; si vero Presbyteri non sunt, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Cap. VII.

8. Moneo quoque, et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis. Cap. IX.

9. Fratres, qui sunt Ministri et servi aliorum Fratrum, visitent et moneant Fratres suos, et humiliter et charitative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et Regulam nostram. Cap. X.

10. Fratres vero, qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Cap. X.

11. Ministri vero charitative et benigne eos recipiant; et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. Cap. X.

12. Sed attendant, quod super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini, et sanctam ejus operationem: orare semper ad eum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt. Cap. X.

De Testamento S. P. Francisci.

Testamentum S. P. N. Francisci non obligat nos ad sui observantiam. Quod et Gregorius IX. et Nicolaus III. expresse testantur. Ob reverentiam tamen Seraphici Patris decet nos illud pro virili observare. Nec ad alia consilia Evangelica tenentur Fratres, quam quae, ut dictum est, in Regula ponuntur. Eo tamen amplius tenentur quam ceteri Christiani, quo statum perfectionis profitendo, seipsos in holocaustum Domino obtulerunt per verum mundanorum omnium contemptum, et conari debent pro viribus, ut monent Nicolaus III. et omnes Doctores, ut ea observent, cum maxime serviant ad ipsam perfectionem assequendam.

§ 5.

Summa perfectionis Fratrum Minorum.

Perfectio Regulae Fratrum Minorum consistit in sex alis seraphicis mystice complexa, videlicet:

1. In omnimoda obedientia.

2. In paupertate Evangelica.
3. In castitate mundissima et immaculata.
4. In humilitate profundissima et abjectissima.
5. In simplicitate perfecta et columbina.
6. In charitate Seraphica.

§ 6.

Privilegia impetrata per B. P. Franciscum, et eidem pro Ordine suo, et eum diligentibus, a Domino Deo collata.

Refert Dominus Gregorius Papa IX. se audivisse a beato Francisco dum viveret, ipsum Sanctum a Domino Deo tria privilegia obtinuisse:

Primum. Quod quanto plures Fratres essent in Ordine, et eorum numerus augeretur, tanto abundantius eis provideretur.

Secundum. Quod nullus in habitu posset male mori. Intellige sane videlicet, dummodo vita sit conformis habitui, quoad Fratres: et devotio erecta, et compuncta quoad saeculares.

Tertium. Quod quisquis Ordinem suum persequeretur, graviter a Domino puniretur, et dies suos in brevi et male finiret.

Item dicit B. Franciscus, tria inter alia se habuisse privilegia a Seraph, sibi in monte Alverniae apparente, tempore stigmatizationis suae.

Primum. Quod Professio Fratrum suorum, sive Ordo suus, durabit usque ad diem judicii.

Secundum. Quod nullus, volens in Ordine male vivere, poterit ibi diu perseverare.

Tertium. Quod quicunque ex corde diligeret Ordinem suum (quantumcunque sit peccator) misericordiam a Domino consequetur poenitendo.

§ 7.

Benedictiones sancti Patris nostri Francisci.

Qui paupertatis et perfectionis Evangelicae apicem petentibus et regulas et leges praescripsit, benedictiones etiam, quibus ardua procliviora fierent, adjecit. « *Etenim benedictionem* » (ut in Ps. 83, 8 legimus) « *dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* ». — « *Benedictio illius* » (ut in Eccli. 39, 27, 28) « *quasi fluvius inundavit, quomodo cataclysmus aridam inebriavit* », exstinxit flammas tentationum, rigavit mentis siccitatem, ut in his perspicere licet:

I[a] Benedictio datur Fratribus habitum repetiantibus: « Et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum *benedictione Dei* ». — Regula Cap. II.

II[a] Impertitur Fratribus jejunium ab Epiphania observantibus: « Sanctam vero Quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto jejunio consecravit, qui voluntarie eam jejunent, *benedicti sint a Domino* ». — Regula Cap. III.

III[a] Conceditur Fratribus propter persecutionem ad aliam regionem demigrantibus: « ...ubicunque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam ibi poenitentiam *cum benedictione Dei* ». — Testam. S. P. Franc.

IV[a] Datur iis qui observant Testamentum S. P. Francisci: « Et quisquis haec observaverit, in coelo repleatur benedictione altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione dilecti Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, cui est honor et gloria nunc et in aeternum. Et ego, Frater Franciscus parvulus vester et servus quantumcunque possum, confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem, quam habeatis cum omnibus virtutibus coelorum et omnibus Sanctis, nunc et in saecula saeculorum. Amen ».

V[a] Benedictio invenitur in peroratione Epistolae II. *Ad universos Christi fideles* a S. P. Francisco directae:

« Ego Frater Franciscus minor servus vester, rogo et obsecro in charitate, quae Deus est, et cum voluntate osculandi pedes vestros, quod haec verba et alia Domini nostri Jesu Christi cum humilitate et charitate velitis recipere, operari et observare. Et omnes illi, qui ea benigne recipiunt et intelligunt, ea mittant aliis in exemplum. Si in eis perseveraverint usque ad finem, benedicat eos Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen ».

VI[a] Benedictio exstat in Epistola XI. *Ad Capitulum Generale:* « ...Et exoro ipsos, ut quae scripta sunt in eo, sollicite faciant custodiri ac diligentius observari. Et secundum beneplacitum omnipotentis Dei nunc semper, donec fuerit mundus iste, benedicti vos a Domino, qui feceritis ista, in aeternum Dominus sit vobiscum. Amen ».

VII[a] Benedictio in Epistola XIII. *Ad universos Clericos* sic sonat: « ...Hoc scriptum est, ut melius debeat observari; sciant se benedictos a Domino Deo, qui ipsum fecerint exemplari. Dominus noster Jesus Christus omnes meos dominos sua sancta gratia repleat ac confortet ».

VIII[a] Benedictio reperitur in Epistola XV. *Ad populorum Rectores:* « ... Hoc scriptum qui apud se retinuerint et observaverint illud, a Domino Deo se noverint benedictos ».

IX[a] Benedictio elargitur Fratri Leoni in Epistola XVI: « In quocunque modo videtur tibi placere Domino Deo et sequi vestigia et paupertatem suam, faciatis cum benedictione Domini Dei et mea obedientia ».

X[a] Benedictio elargitur zelantibus Regulam: « Et exoro Deum, ut ipse qui est omnipotens, trinus et unus, benedicat omnes docentes, addiscentes, recordantes et operantes ista, quoties repetunt, quae ibi ad salutem nostram scripta sunt ».

XI[a] Benedictio invenitur in Coll. III. *De religiosa habitatione in eremitoriis:* « Illi Fratres, qui sunt matrimes, stu-

deant remanere remoti ab omni persona, ut nemo possit eis loqui. Et isti filii non loquantur cum aliqua persona, nisi cum matribus suis et custode suo, quando placebit ei visitare ipsos *cum benedictione Dei...* »

XII[a] Benedictio datur Fratribus eleemosynam petentibus: « Ite ergo confidenter et animo gaudenti pro eleemosyna *cum benedictione Dei* » (Coll. VII).

XIII[a] Benedictio in Coll. XVI. *De tribulationibus Religionis et Regulae sectatorum* ita exaratur: « ... Qui vero tunc temporis ad suscipiendum habitum Ordinis venerint, sola Sancti Spiritus operatione ducentur, et nullam in eis maculam caro impinget et sanguis, eruntque vere a Domino *benedicti...* »

XIV[a] Fratri Leoni in monte Alverniae fortiter tentato, hanc benedictionem misit B. Pater, signans eam charactere et nota illa mysteriosa litterae Tau (quam semper magni fecit) sua manu exarata, qua eum ab omni absolvit tentatione:

> « Benedicat tibi Dominus et custodiat te: ostendat faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Frater Leo, T Dominus benedicat te ».

XV[a] Benedictio sacri Conventus Alanquerae. — Quinque Martyres a Marochiis passi aliquo tempore in Conventu Alanquerae remanserunt. Quorum in optato martyrio expletis votis apud Marochios, ut eorum in fide constantiam, in martyrio fortitudinem, in sanctitate perseverantiam B. Pater audivit, in spiritu totus exultabundus, Conventum illum Alanqueranum, a quo ad tantam functionem perrexere, hac sacravit benedictione:

« Domus sancta, aedicula sacra, speciosa et jucunda floscella purpurei coloris, ac suavissimi odoris, per sanctum martyrium Deo peperisti. Hi primitiae sunt et gloriosi flores Minorum, felices jam possessores regni coelorum. Nunquam in te (Domus Dei) deficiant perfecti Patres, qui devotissime observent Evangelium... »

XVI[a] *Benedictio Civitatis Assisii.* — Cum de palatio Episcopi Assisiatis ad aediculam S. Mariae de Angelis, jam ultimo morbo totus defectus deferretur, cum ad planitiem sub civitatis declivio, ex qua urbem commodius videre posset, pervenit, feretrum in quo portabatur, fecit ad urbem reflecti; quam ut vidit, flevit et postea hac munivit benedictione:

« ...Benedicta tu a Domino, civitas Deo fidelis, quia per te et in te, multae animae salvabuntur, et in te multi servi Dei habitabunt, et de te non pauci justi eligentur ad regnum aeternum ».

XVII[a] *Benedictio Instituti Minoritici Zelatorum.* — Cum sanctorum Fratrum per orbem dispersorum odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci, exultabat in spiritu, et benedictionibus omni acceptatione dignissimis illos cumulans, dicebat:

« Benedicti vos a Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis ostenditis et vos in sancta Evangelii observatione puros et sinceros custoditis. Qui vobis benedicit, a Domino benedicatur; qui vos fovet aut suscipit mercedem recipiet sempiternam. Nullam in vobis potestatem Satan exerceat, nec supra id quod potestis, tentet. Vobis super illum et suos sit imperandi facultas: portas illius possidete et spolia diripite. Patris vos adjuvet potentia, Filii vos dirigat sapientia et Spiritus sancti vos foveat clementia. Amen ».

XVIII[a] *Benedictio Fratrum Minorum.* — Gravi et molesto stomachi dolore semel laboravit ita, ut vitam pene exhalaret et Fratres jam de ejus vita desperarent. Quorum unus, timens ne subito e vivis raperetur propter varia et crebra cordis deliquia, ait: « Benedic nobis, Pater, et ceteris Fratribus, quos in Christo genuisti et aliquod memoriale relinque nobis tuae voluntatis, quod Fratres in tui memoriam semper habeant secum ad majorem sui profectum ». — Tunc, B. Pater paternos oculos in filios erigens: « Vocate », inquit, « mihi Fratrem Benedictum de Piratro (qui Beato Patri sem-

per in infirmitate ministrabat et coram eo sacra faciebat), ut vobis benedicam ». — Quo accersito, ait: « Scribe, Sacerdos Dei, qualiter benedico omnibus Fratribus meis, qui modo sunt in religione, et qui venturi sunt usque ad finem saeculi. Quoniam propter infirmitatem meam loqui non valeo, breviter voluntatem meam et intentionem in signum memoriae meae benedictionis et testamenti cunctis Fratribus praesentibus et futuris patefacio »:

« ...Fratres semper se diligant ad invicem, sicut ego dilexi et diligo eos. Semper diligant et observent dominam meam paupertatem et semper Praelatis et Clericis Sanctae Matris Ecclesiae fideles et subjecti existant. Benedicat et custodiat eos Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen ».

XIX[a] *Benedictio Bernardi de Quintavalle.* — In obitu Beati Patris collacrymantibus omnibus Fratribus pro subtractione tanti Patris et tam solliciti pastoris, ipse ait ad circumstantes: « Ubi est primogenitus meus Frater Bernardus? » — Cui accedenti: « Veni », inquit, « fili mi, ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar ». — Sed Bernardus pro sua humilitate, ne sibi videretur assumere quod pro officii dignitate et praefecturae eminentia putabat deberi Fratri Eliae, tunc Generali Ordinis Vicario et putativo beati viri successori, suggessit eidem, ut ad dexteram morientis accederet et oblatam reciperet benedictionem. Quo ante Dei virum prostrato, ille, etsi prae lacrymarum assuetudine caecutiret, plenus tamen prophetico spiritu, manus super caput ejus imposuit et dixit: « Hoc non est caput primogeniti Fratris Bernardi ». — Et cancellatis in modum crucis manibus, velut alter Patriarcha Jacob, dexteram ponens super caput Fratris Bernardi, qui ad laevam, utroque flexo poplite, Patri assidebat, eum benedixit his verbis:

« Benedicat te Pater Domini nostri Jesu Christi in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. Sicut primus electus es in Ordine isto ad dandum bonum exemplum evangelicum, et ad imitandum Christum in evangelica paupertate,

cui non solum tua liberaliter obtulisti, sed et temetipsum in odorem suavitatis contulisti: ita benedictus sis a Domino Jesu Christo et suo pauperculo servo benedictionibus sempiternis, ingrediens et egrediens, vigilans et dormiens, vivens et moriens. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur, et qui maledixerit tibi, non erit immunis. Esto Dominus Fratrum tuorum, et tuo imperio cuncti subjaceant. Quoscunque volueris recipere ad Ordinem istum, recepti sint; et quoscunque emittere volueris, emittantur. Nullus super te potestatem habeat. Et quocunque volueris possis libere pergere et morari ».

XX[a] *Benedictio omnium Fratrum.* Sui transitus hora propinquante fecit omnes Fratres existentes in loco illo S. Mariae de Angelis ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro suo demulcens paterno affectu ad divinum est hortatus amorem, ad patientiam, ad paupertatem, et ad sanctam Ecclesiae Romanae fidem servandam. Et adjecit:

« Valete filii omnes in timore Domini et permanete in eo semper. Et quoniam futura tribulatio et tentatio appropinquant, felices qui perseverabunt in his, quae coeperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiae vos omnes commendo. Ego, quod meum est, feci, quod vestrum est, edoceat Christus ».

§ 8.

Praerogativae Ordinis nostri Seraphici.

1. Regula nostra ab ipso Christo Domino Sancto Patri nostro Francisco dictata fuit.

2. S. P. N. Francisco quinque sacra stigmata in Monte Alverniae impressa fuerunt.

3. S. P. N. Franciscus celebrem Portiunculae Indulgentiam immediate a Christo Domino obtinuit.

4. Ordo Seraphicus durabit usque in finem mundi in subsidium Ecclesiae.

5. Quanto plures erunt Fratres, tanto abundantius sustentabuntur.

6. Qui hunc Ordinem ex corde dilexerit eique affectus fuerit, quantumcunque exstiterit peccator, poenitens misericordiam consequetur et feliciter morietur.

7. Econtra persecutores, osores, calumniatores ac hostes hujus sancti Ordinis a Deo graviter punientur et, nisi resipiscant, praepropera ac mala morte extinguentur.

8. Franciscani jam ultra 500 annos Terram Sanctam, seu Palaestinam, inhabitant et Sanctum Domini nostri Jesu Christi Sepulchrum aliaque Loca Sacra custodiunt.

9. Cultus Sanctissimi Nominis Jesu per nostros Sanctos Bernardinum Senensem et Joannem Capistranum in Ecclesiam universam introductus fuit.

10. Defensio Immaculatae Conceptionis B. M. V. praecipue nostro Doctori Subtili, Joanni Duns Scoto et Scotistis attribuenda est.

11. Devotionis SS. Viae Crucis primus et praecipuus promotor et propagator fuit Sanctus noster Leonardus a Portu Mauritio.

12. In Coronatione Summi Pontificis tertia collecta est de S. P. N. Francisco.

13. Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci ornamentum certe praeclarissimum est *magnus Sanctorum et Beatorum numerus,* qui ex ejusdem Regula traxit originem, prout jam supra (Tract. III.) dictum est.

14. Omnes veri Fratres Minores et perfecti observatores sanctae Regulae in cunctis specialiter dirigentur a Spiritu sancto; praeservabuntur a mortalibus; adjuvabuntur in tentationibus; salvabuntur sine purgatorio et denique sedebunt super duodecim sedes Apostolorum, judicaturi duodecim tribus Israël.

Quae omnia ex variis Chronologiis et Scriptoribus Ordinis nostri Seraphici excerpta, et hic pro rudi notitia posita sunto.

§ 9.

Quomodo sancta Regula Fratrum Minorum sit divinitus revelata et facta[1], *a Christo in monte promulgata, et beato Francisco tradita.*

Beatus Franciscus post primam Regulam, quam fecerat, et ab Innocentio Tertio vivae vocis oraculo dumtaxat approbatam, iterum aliam in melius aptavit, moderavit et fecit: quae tamen, tamquam nimis arcta, quibusdam Ministris, et pluribus Fratribus non placuit, et ideo ab iisdem Ministris, vel beati Francisci Vicario, caute destructa, vel per incuriam perdita fuit, prout plenius in S. Bonaventura, et in Chronicis Ordinis declaratur. Tandem B. Pater Regulam ipsam tertio in melius reparare et ordinare cupiens, ascendit in quemdam montem, dictum de Fonte Palombo, cum Fratre Leone de Assisio, et Fratre Bonicio de Bononia, et fecit aliam Regulam, firmissimam, humanam, atque perfectam, et hanc ex tunc semper tenuit et tenet Ordo, quam post multas preces et lacrymas ad Deum, multaque jejunia in pane et aqua, Spiritu sancto suggerente, et Christo dictante, scribi fecit, et a Domino Honorio, Papa III, confirmari voluit anno Pontificatus sui octavo.

Congregati autem simul plures Ministri, dixerunt ad Fratrem Heliam, tunc Vicarium B. Francisci: « Nos audivimus, quod iste Frater Franciscus facit unam novam Regulam: timemus autem, ne faciat eam nimis asperam, adeo quod non possimus illam observare. Volumus ergo, ut vadas ad eum, et dicas ei, quod nolumus esse obligati ad illam Regulam. Faciat illam pro se, et non pro nobis ». Quibus Frater Helias re-

---

[1] Per hoc non asseritur, ut sit etiam inspirata, sicut est S. Scriptura. (Conf. doctissimum Tractatum in 2. edit. Lex. Ecclesiast. Friburg. Herder. « De revelationibus privatis ». Tom. X. pag. 422. sqq.)

spondit, quod nolebat ire sine ipsis, et tunc simul iverunt. Cumque essent prope locum ubi stabat beatus Franciscus; vocavit eum Frater Helias; quo respondente, et vidente Ministros praedictos, dixit beatus Franciscus: « Quid volunt isti Fratres »? Et Frater Helias ait: « Isti sunt Ministri, qui audientes quod tu facis Regulam novam, et timentes quod tu facias eam nimis asperam, dicunt et protestantur, quod nolunt esse obligati ad illam: facias eam pro te, et non pro illis ». Tunc beatus Franciscus vertit faciem suam ad coelum, et loquebatur Christo sic:

« Domine, nonne bene dixi tibi, quod ipsi non crederent mihi »? Tunc audierunt omnes vocem Christi respondentis in aëre, et dicentis: « Nihil est in Regula de tuo, sed meum est quidquid est ibi: et volo quod Regula sic observetur, ad litteram, ad litteram, ad litteram: sine glossa, sine glossa, sine glossa ». Et addidit: « Ego scio quantum potest humana fragilitas, et quantum volo juvare eos qui hanc Regulam amplectentur: qui ergo nolunt servare eam, exeant de Ordine ». Tunc B. Franciscus vertit se ad illos Fratres, et dixit eis: « Audistis? Audistis? vultis quod faciam iterum vobis dici »? Tunc Ministri mirati, seipsos intuentes, confusi et territi recesserunt.

Unde apparet evidenter, hanc Regulam et ordinatam et institutam fuisse a Domino nostro Jesu Christo. Apparet etiam, quomodo et facta et composita fuit, nimirum cum jejuniis et orationibus: et in quo loco, nempe in monte: et quis ejus fuerit auctor, Dominus scilicet noster Jesus Christus, qui eam revelavit beatissimo Patri nostro Francisco. Ex quibus videre licet Regulam nostram datam ad eum modum, quo Deus dedit Legem Moysi in monte cum jejunio. Ad eum etiam modum, quo Lex Evangelica data est a Domino nostro Jesu Christo docente in monte. Elucet etiam ex his hujus Regulae excellentia et praeeminentia. Ideoque nemo debet, eidem detrahens, dicere eam esse impossibilem, et inobservabilem, cum Dominus Jesus, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et

scientiae absonditi, et qui novit omnia, eam ordinarit, et ordinatam sic immutatam permanere voluerit. Nemo itaque eam debet habere pro falsa, aut suspecta, aut pro tali quae hominem ad perfectionem ducere non queat, quia Dominus Jesus, omnis perfectionis Magister et caput, eam et composuit, et dictavit. Nemo debet eam abjicere, sed cum omni reverentia et amore amplecti; scilicet, ratione Auctoris, qui fuit Jesus Christus; et Reformatoris, qui fuit B. P. Franciscus; ille enim eam recepit; et ratione Scribae, qui fuit Frater Bonicius vel Frater Leo. An a Christo data, non relinquitur dubitationi locus, cum declararit in praesentia tot Ministrorum, et affirmarit, quod in dicta Regula B. Franciscus nihil apposuisset de suo. Eapropter, cum vellet Papa Honorius, qui Regulam confirmavit, unius Capituli aliquot verba mutare, et super hoc interrogasset B. Franciscum, respondit S. Pater: « Non ego inserui Regulae haec verba, sed Jesus Christus, qui novit quid expediat, quid sit utile ac necessarium saluti animarum ac Fratrum, cui etiam notum ac manifestum est omne quod futurum est, et in Ecclesia, et mea religione. Ideo nec debeo nec possum mutare verba Jesu Christi ».

Exhortans beatus Pater Fratres suos ad observantiam Regulae, dicebat se nihil posuisse in Regula de suo vel ex sua industria, et se jussisse eam scribi, sicut Dominus ei revelaverat. De hac Regula testimonium dant Frater Bonicius, et Frater Leo, qui praesentes erant, cum in monte eam reciperet B. Franciscus a Domino Jesu Christo: et cum eamdem ei confirmaret Papa Honorius: dicuntque illum dixisse haec verba: Beatus ille, qui divina gratia confortatus, fideliter et devote custodierit hanc Regulam, quia omnia, quae continet, sunt sancta, catholica atque perfecta.

Haec Regula est tota Evangelica et perfecta, in sacro Christi Evangelio ac ipsius Christi et Apostolorum ejus vita et doctrina fundata; observabilis, rationabilis, et humana: et ita per sacrorum Stigmatum Christi impressionem mirificam in corpore ipsius Institutoris B. Francisci, quasi sigillo et Bulla

supremi Ecclesiae capitis et sponsi, atque Pontificis Christi, roborata. Et ita velut talis et tamquam legitima, et humanae conditioni proportionata, a sancta Sede Apostolica est multipliciter approbata; et Ordo iste confirmatus et approbatus, praesertim ab Innocentio III, et Honorio III, adhuc vivente sancto Francisco. Deinde a Gregorio IX, Alexandro IV, Innocentio IV, et Nicolao III, prout diversae litterae apostolicae desuper sub plumbo datae testificantur, et prout etiam satis declaratur et exprimitur in Decretalibus, titulo *De excessibus Praelatorum*, Cap. *Nimis prava*, ubi Ordines et Regulae Fratrum Minorum et Praedicatorum specialiter ab Ecclesia susceptae et approbatae decernuntur. Et quod amplius est, in Sexto De Verb. significat. cap. *Exiit qui seminat*, et in Clementinis, cap. *Exivi de paradiso*. Regula ipsa, et status Fratrum Minorum declaratur et firmatur, quod de nulla alia scriptum in jure sic habetur.

Et quia haec sanctissima Regula taliter sub irrefragabili verbo veritatis et Evangelio sacro, ac vita Christi et Apostolorum ejus, in fide Ecclesiae sanctae, et ipsius munimine, tamquam supra firmam petram fundata, et stabilita ac roborata existit; ideo usque in finem mundi necessario in sua perfectione, in aliquibus veris observatoribus et defensoribus ipsius, sub regulari et perfecta ipsius Obedientiae, Paupertatis, et Castitatis forma perseverabit, dicente Christo (Matth. 24, Marc. 13, et Lucae 22): « Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ». Et ad hoc similitudinem adducente de stabilitate domus, fundatae supra firmam petram, contra tempestates irruentes et fulmina (Matth. 7). Et ut idem dixit Petro (Luc. 22): « Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua ».

Et prout a principio Ordinis, quo Innocentius III. confirmavit Regulam anno 1208, usque modo experientia certa, notorie, palam et publice probavit et probat, quod numquam deseruit Deus, nec deseret istam plebem suam peculiarissimam, quin semper providerit, et providebit de aliquibus istius

Regulae et Status veris observatoribus, zelatoribus, et defensoribus; non obstantibus tempestatibus molestationum aliquorum malorum Praelatorum, Fratrum et aliorum diversorum diversi status persecutorum ac detractorum; et fluminibus relaxationum, et dispensationum, partialitatum, aut inobedientiarum aliquorum: ac pluviis carnalium, glutonum, negligentium, mundanorum, superborum, tepidorum, aridorum, atque relaxatorum Fratrum.

Et ideo conformiter ad haec refert sanctus Bonaventura in Legenda majori, quod cum B. Pater Franciscus semel turbatus malis exemplis aliquorum Fratrum, anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: *Cur tu pauper homuncio perturbaris?* An ego te super Religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quae in te fecero, non humanae industriae, sed supernae gratiae adscribantur. Ego vocavi, servabo, et pascam; et aliis excidentibus, alios subrogabo; ita quod si non fuerint nati, faciam illos nasci; et quantiscunque impulsibus fuerit concussa haec paupercula Religio, salva semper, meo munere, permanebit.

In hac perfectissima Regula sunt 12 Capitula, sicut Christus habuit 12 Apostolos.

Item sunt in ea versus 72 secundum numerum 72 Discipulorum Christi.

§ 10.

Perfectiones S. P. N. Francisci, ad quas quilibet verus Frater Minor pro posse tendere debet.

Prima: Quod toto conamine et viribus nitebatur ad dolendum pro peccatis, et libenter confitebatur ea, et sine mora: et postea cavebat pro posse a relapsu.

Secunda: Quod omnem creaturam supra se ponebat, et se subtus; et hoc, quia, ut dicebat, offenderat illum magnum

Dominum, qui fecit omnem creaturam: et qui tantum honoravit nos, quod amore nostri assumpserat carnem humanam; qua assumpta, participavit omni creaturae. Ob hoc erat obediens bono corde et voluntate omnibus, non tantum majori, vel pari, vel minori, sed etiam omni creaturae, secundum quod poterat.

Tertia: Quod cor suum ab omni mundana et humana creatura eradicabat, nec requiem inveniebat neque etiam fundamentum aut radicem in alio figebat, quam in illo, quem habebat cordis et creatorem et inspectorem. Ob hoc consueverat cor suum projicere in Christum, qui fecerat sibi cor, quod sine poena, quandocumque volebat, revertebatur cogitando et afficiendo erga illum qui fecit homini cor: unde erat semper Deo intentus in omni loco, et in omni tempore, praesertim in oratione; in qua aut dicebat culpam de malis perpetratis, aut desiderabat bona, quae ei deficiebant, aut de malis, et de tribulationibus, quae sibi eveniebant, quia benignus Deus, ut credebat, propter castigationem suam illa sinebat sibi evenire.

Quarta: Quod erat tantae patientiae, quod illum, qui sibi malum faciebat, vel dicebat, conabatur plus diligere et amare, et ex toto corde, et ex bona voluntate et libentius servire sine omni amaritudine cordis: quia sicut Deus ex vera liberalitate omnia bona sibi tribuebat: ita omnia mala sibi, ut credebat, permittebat evenire, ut ostenderet sibi peccata sua, et ipse ea cognosceret et adverteret, ut in praesenti illum puniret. Illum igitur, qui sibi malum faciebat, vel de ipso malum dicebat, multum diligebat; quia mediante illo, tamquam nuntio, Deus magnum bonum sibi conferebat; et tamquam membrum et retinaculum, quo mediante Deus eum tergebat, et tamquam instrumentum et dolabram, qua eum Deus dolabat.

Quinta: Quod diligebat omnes bonos, et omnibus malis compatiebatur, ac honorabat omnes, et se viliorem omnibus reputabat, etiam pessimis; et hoc quia nesciebat utrum bo-

num, quod ipse faciebat, Deo placeret, aut utrum in eo permaneret; nec similiter sciebat finem, ad quem alius deveniret. Ob hoc nullum in corde suo judicabat, nec de ore suo malum de altero proferebat. Et quando malum alicujus audiebat ab aliquo, vel ipsum excusabat, vel hoc audiendo seipsum esse tristem ostendens tacebat, et verba dicentis sagaciter in aliam materiam vertebat.

Sexta: Quod multum amabat reprehensionem, et illum qui eum reprehendebat. Et si aliquod malum de eo dicebatur illud concedebat; si vero bonum, quod in ipso esset se excusabat, et dicebat, quod nihil boni faciebat; in mente tenens, quod Deus omne bonum facit, et dat etiam voluntatem faciendi.

Septima: Quod omnibus libenter serviebat, et vix ab aliquo sibi serviri acquiescebat, reputans se indignum omni servitio. Dicebat enim, quod Christus non venerat ministrari, sed ministrare. Si ergo aliquis serviebat ei in aliqua necessitate, in corde suo gratias agebat Deo, qui illi dederat voluntatem sibi serviendi et posse.

Octava: Quod studebat recogitare omnia beneficia sui, et aliorum, et animalium, et aliarum creaturarum, et pro omnibus gratias rependebat Deo, et postea humiliabat se, dicendo: Quis sum ego, qui pro aliis gratias refero, cum non sufficiam referre eas pro minima parte boni, quod mihi Deus fecit, et maxime cum sim tam parva creatura? Et sic annihilabat se.

Nona: Custodia linguae, quae complementum erat omnium bonorum, et sine qua perditur omne bonum; quia linguam suam custodiebat, non tantum a verbis malis, sive nocivis, falsis et inhonestis, sed etiam a superfluis et vanis, quae devotionem cordis evacuant. Super omnia igitur sibi cavebat, ut in omni verbo ejus esset veritas, bonitas et humilitas; quia verbum hominis debet incipere a veritate, proficere in bonitate, et terminari in humilitate, et mensurari brevitate, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

§ 11.

Verba S. P. N. Francisci ad Humilitatem, Obedientiam, Devotionem et Patientiam conducentia.

De humili servo Dei.

Beatus ille servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicuti quando tenetur vilis, simplex, abjectus et despectus: quia quantum est homo coram Deo, tantum est, et non plus.

Vae illi Religioso, qui ab aliis positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere.

Et beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto, et semper desiderat subesse pedibus aliorum.

De bono et vano Religioso.

Beatus ille Religiosus, qui non habet jucunditatem et laetitiam nisi in sanctissimis eloquiis et in operibus Domini, et cum his perducit homines ad amorem Dei, in gaudio, et laetitia, et exultatione.

Vae illi Religioso, qui delectatur in verbis otiosis et vanis, et in his perducit homines ad risum.

De correctione.

Beatus servus, qui disciplinam, accusationem, et reprehensionem ita patienter ab aliis sustinet sicut a semetipso.

Beatus servus, qui reprehensus, benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur, libenter satisfacit.

Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum, et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

Quod servi Dei honorent Clericos.

Beatus servus, qui portat fidem in Clericis, qui vivunt recte secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae, et vae

illis, qui ipsos despiciunt. Licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos judicare; quia ipse solus Dominus reservat sibi ad eos judicandum. Nam quanto major est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo Corpore et sanctissimo Sanguine Domini nostri Jesu Christi, quod ipsi recipiunt et aliis ministrant, tanto plus peccatum habent qui peccant in ipsis, quam in omnibus aliis hominibus istius mundi.

De paupertate spiritus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Multi sunt qui, orationibus et officiis insistentes, multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo uno verbo, quod viderint injuriam esse suorum corporum, vel de aliqua re, quae sibi aufertur, scandalizati continuo perturbantur. Hi non sunt vere pauperes spiritu: quia qui vere pauper est spiritu, seipsum odit, et alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam.

De patientia in adversis.

Servus Dei non potest cognosci, quantam habet patientiam et humilitatem in se, dum satisfactum est sibi. Cum autem venerit tempus, in quo illi, qui deberent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium, quantam habet patientiam ibi et humilitatem, tantam habet et non plus.

De perfecta obedientia.

Dicit Dominus in Evangelio: Qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Et qui voluerit animam salvam facere, perdet eam. Ille homo renuntiat omnibus quae possidet, et perdit corpus suum, qui seipsum totum praebet ad obedientiam in manibus sui Praelati; et quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat quod non sit contra voluntatem ejus dum bonum est quod facit, vera obedientia est. Et quando subditus viderit meliora, et utiliora

animae suae, quam ea quae suus Praelatus praecipiat, suam voluntatem sacrificet Domino, et quae sunt Praelati opere studeat adimplere. Nam haec est charitativa obedientia, quae Deo et proximo seipsum sacrificium facit. Si vero Praelatus praecipiat aliquid subdito contra animam suam, licet ei non obediat, tamen eum non dimittat. Et si ab aliquibus persecutionem ideo sustinuerit, magis illos diligat propter Deum. Nam qui potius persecutionem sustinet quam velit a suis Fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia, quia ponit animam suam pro Fratribus suis. Sunt multi Religiosi, qui sub specie videndi meliora quam quae sui Praelati praecipiunt, aspiciunt retro et ad vomitum propriae voluntatis redeunt. Hi homicidae sunt, et propter sua mala exempla multas animas perdere faciunt.

Exemplum de perfecto et vero obediente.

Cum aliquando quaereretur a B. Francisco, quis esset judicandus verus obediens? corporis mortui similitudinem pro exemplo posuit. « Tolle, inquit, corpus exanime et ubi placuerit, pone; videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum; quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet; si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui, cur moveatur, non dijudicat, ubi locetur non curat, ut transmutetur non instat; evectus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignum » (S. Bonav. Legenda S. Francisci cap. VI. n. 4).

Quod nemo superbiat.

Attende, o homo, in quanta excellentia posuerit te Dominus, qui creavit et formavit te ad imaginem dilectissimi Filii sui secundum corpus, et ad similitudinem suam secundum spiritum. Et omnes creaturae, quae sub coelo sunt, secundum se serviunt, cognoscunt et obediunt melius Creatori suo, quam tu. Et etiam daemones non crucifixerunt eum, sed

tu cum ipsis crucifixisti eum, et adhuc crucifigis delectando in vitiis et peccatis. Unde potes gloriari? nam si ita esses subtilis et sapiens, quod omnem scientiam haberes et scires interpretari omnia genera linguarum, et subtiliter de coelestibus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari, quia unus daemon scivit de coelestibus magis, et scit de terrenis plus quam omnes homines, licet aliquis fuerit, qui summae sapientiae cognitionem a Domino receperit spiritualem. Similiter, si esses pulchrior et ditior omnibus, et etiamsi faceres mirabilia, ut daemones effugares: omnia ista tibi sunt contraria, et nihil ad te pertinent. In his nihil potes gloriari: sed in hoc possumus gloriari, in infirmitatibus nostris, et bajulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Jesu Christi.

De imitatione Domini nostri Jesu Christi.

Attendamus, Fratres omnes, bonum Pastorem, qui pro ovibus salvandis crucis sustinuit passionem. Oves Domini secutae fuerunt eum cum tribulatione et persecutione, verecundia et fame, infirmitate et tentatione, et caeteris aliis: et de his receperunt a Domino vitam sempiternam. Unde magna verecundia est servis Dei, quod Sancti faciant opera, et nos recitando ea, volumus recipere gloriam et honorem.

De castigatione corporis.

Multi sunt, qui dum peccant, vel injurias recipiunt, saepe inculpant inimicum vel proximum; sed non est ita; quia unusquisque habet in potestate sua inimicum suum, videlicet corpus, per quod peccat. Unde beatus ille servus, qui talem inimicum traditum in sua potestate semper captivum tenuerit, et sapienter se ab eo custodierit: quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis ei nocere potest.

De abscondendo bonum, ne perdatur.

Beatus servus qui thesaurizat in coelo bona, quae sibi Dominus ostendit, et sub spe mercedis non cupit manifestare

hominibus; quia ipse Altissimus manifestabit opera ejus quibuscumque placuerit. Beatus servus, qui secreta Domini observat in corde suo.

Haec igitur sunt verba vitae et salutis, quae si quis legerit et fecerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

§ 12.

De meditanda assidue Christi passione [1].

Semper ante oculos habete, fratres charissimi, viam humilitatis et paupertatis sanctae crucis, per quam nos minavit Salvator noster Jesus Christus, considerantes, quod si ipsius sanctam majestatem oportuit pati et ita intrare in gloriam suam, quod multo magis oportebit nos peccatores adeo enormes per viam crucis et passionis incedere. Et certe, si ad tollendam crucem suam quilibet obligatur Christianus, potiori jure ad hoc tenemur nos, qui crucis vexillum sequi profitemur, quam non solum vult Dominus, ut nos ipsi tollamus, verum et alios incitemus nostro exemplo et doctrina ad eandem tollendam et nobiscum trahamus, ut simul cum ipsis Christum ducem nostrum sequamur, praesertim cum bona voluntas et desiderium imitandi passionem nostri Salvatoris sit peculiare donum, quod concedit Spiritus sanctus animae, quae vere Deum amat et eidem inservit; quia anima, quae propriis solum inhaeret affectionibus et se tantum diligit, non amat, imo abhorret hanc Spiritus sancti doctrinam nec ad perfectionem consequendam necessarium putat participem fieri Christi passionis. Imo majorem sibi promittens profectum, per alias vias, quae verae viae non sunt, sed occulta praecipitia, et fugiens a felle tribulationis per cogitationes varias, humanas et voluntarias, infixum et obcaecatum habet cor suum in propriis affectibus, asseverans, quod in hujusmodi libertate vitae me-

[1] B. P. Francisci Assisiatis « Opera omnia » etc. Coll. XXIV, p. 124.

lius poterit inservire Deo. Nec aliquantulum curat de innumeris delectationibus, quas interius recipit anima, quae tota absorpta est in hac contemplatione et compassione Domini sui; neque enim haec perfecte gustantur, nisi perpessa aliqua tribulatione pro Christo. Sed anima defaecata et exspoliata propriis affectibus se a Spiritu sancto duci humiliter permittit et ut ad suum beneplacitum in eadem operetur tanquam optimus magister singularis doctrinae, quam Dominus scriptam reliquit in libris suae humilitatis, patientiae et passionis, quae securae sunt viae ad perfectionem Christianam. Unde illa anima, quae purificari obtinuit a Deo, vehementer cupit transformari in illos dolores, comparans omnes alias vias et consolationes cibis mortalibus, qui pereunt, et hanc unicam salutari pharmaco, cujus gustus acerbus, sed fructus suavissimus, quod in gustu amarum est, sed in operatione dulcissimum. Quare postponens gustum sanitati probat, quam admirabilis sit dulcedo vitae permanentis, quae despicit consolationem momentaneam et mortalem, et plane probat in nulla alia re perfectius requiescere amorem suum, quam in compassione charitativa Christi, et quod, quanto magis illa transformatur in Christum crucifixum, eo magis transformatur in Deum excelsum et gloriosum. Non enim separatur humanitas a divinitate, et ipse Christus Patrem rogavit dicens: « Volo, ut ubi ego sum, et mei sint ». Atque ita anima contemplatur utrumque Domini statum ad hoc, ut nunquam separetur ab illo. Nam si fugiat in passione, ab illo separabitur in gloria, juxta Pauli apostoli verba: « Si tamen compatimur, ut et conglorificemur ». Contemplatur ergo anima Christum mortalem et immortalem, et horum statuum alter est eorum, qui adhuc currunt, alter eorum, qui jam acceperunt bravium. Unde, sicut non datur pallium nisi currentibus, ita non datur coelum nisi tollentibus crucem, quia non debet esse servus potior domino nec discipulus super magistrum. Proinde videmus Deum communicare gratiam suam iis, qui hoc modo eum sequuntur, et e contrario auferre eam ab illis praesumptuosis, qui per alias

chimaeras dicunt se velle ei uniri nec tamen a semetipsis unquam recedunt, verum tandem misere abeunt in praecipitium.

§ 13.

De sancta conversatione inter fideles [1].

In nomine Domini ite bini et bini per viam humiliter et honeste et maxime cum stricto silentio a mane usque post Tertiam, orantes Dominum in cordibus vestris. Verba otiosa et inutilia non nominentur in vobis; licet enim ambuletis, tamen conversatio vestra sit ita humilis et honesta, sicut si in eremitorio aut in cellis essetis. Nam ubicumque sumus et ambulamus, habemus semper cellam nobiscum. Frater enim corpus est cella nostra et anima est eremita, quae moratur in cella ad orandum Dominum et meditandum de ipso, unde si anima non manserit in quiete in cella sua, parum prodest religioso cella manufacta. Talis sit vestra conversatio inter gentes, ut, quicunque vos audiet vel videbit, gloriosum Patrem coelestem et Deum laudet devote. Pacem annuntiate omnibus dicentes: Dominus det tibi pacem. Sed sicut pacem annuntiatis ore, sic in cordibus vestris pacem et amplius habeatis. Nullus per vos provocetur ad iram vel scandalum, sed omnes per mansuetudinem vestram ad pacem, benignitatem et concordiam provocentur. Nam ad hoc vocati sumus, ut vulneratos curemus, alligemus confractos et erroneos revocemus. Multi enim vobis videntur esse membra diaboli, qui adhuc discipuli Christi erunt.

§ 14.

Rationes notabiles sex, ad quid Fratres Minores vocati et dati sunt huic mundo a Domino.

Fratres Minores dati sunt, et vocati a Domino Deo, praecipue ut repraesentent Christum Jesum Dominum huic mundo,

---

[1] B. P. Francisci Assisiatis « Opera omnia » etc. Coll. XXII, p. 122.

et tanta ipsius beneficia tunc a mundo jam quasi oblita, contempta, vel neglecta. Et propter haec ab ipso Filio Dei, Domino nostro Jesu Christo, postulati fuisse a Deo Patre suo referuntur, prout revelatum et ostensum fuisse legitur.

Prima, ut verbo et facto sint testes et imitatores praecipui suae altissimae paupertatis, per altissimam et omnimodam abdicationem proprietatis et indebitae affectionis et cupiditatis terrenorum omnium, eorumque perfectum contemptum; ac per pauperem, humilem, atque moderatum usum rerum omnium temporalium. Quae quidem sanctae paupertatis virtus et affectio, ab omnibus ubique deserta et repudiata ac contempta videbatur, adeo quod amplius non inveniebatur, ubi perfecte et integre requiesceret pes ejus, donec B. Franciscus eam recepit, et sibi ac suis desponsavit, tam Fratribus, quam Sororibus.

Secunda, ut verbo et facto sint testes et imitatores suae excellentissimae et perfectissimae obedientiae, qui non solum Deo Patri obediens factus est pro nobis usque ad mortem crucis, et etiam parentibus suis subditus esse voluit: sed, quod magis est, malis Principibus et Sacerdotibus obedire voluit, et docuit, cum censum Caesari reddidit, et reddendum docuit; et cum de Scribis et Pharisaeis malis, populum regentibus dixit: Quaecumque dixerint vobis, facite; secundum vero opera eorum nolite facere. Quia, juxta sanctum Bernardum: quanto contemptibilior praesidet, tanto magis obedientia subditi placet, et obediens meretur, maxime si talis obediens, culpa sua, non sit causa promotionis, nec continuationis talis mali et insufficientis Praelati. Etenim perfectissimus et Evangelicus atque Apostolicus obediendi modus et gradus, est obedire propter Deum non solum bonis, sed etiam, ut ait S. Petrus, dyscolis; non solum in his quae quis explicite promisit Deo observare, sed etiam simpliciter obediendo in omnibus quae non sunt contraria animae et Regulae suae, sine alia limitatione, vel repressione facultatis, aut jurisdictionis, vel obedientiae regularium Praelatorum suorum, praesertim quoad Minores, juxta suae Regulae formam.

Tertia, ut sint testes et imitatores sui despectus et humilitatis, per contemptum omnium honorum et vanitatum mundi, ac per veram abjectionem, mortificationem, et contemptum sui ipsius et suorum, propter Deum.

Quarta, ut sint testes et sequaces verbo et opere, suae tantae charitatis et affectionis, ad salutem omnium animarum, per mundum discurrendo, ac verbo et exemplo praedicando, et animas, ipsius Christi pretioso Sanguine redemptas, ad ipsum verum Creatorem, et Pastorem, ac Redemptorem reducendo; prout beatae Clarae, suisque Virginibus, et Beato Silvestro, Domini voluntatem super hoc, ad instantiam B. Patris Francisci, instantissime requirentibus, divinitus revelatum fuisse legitur.

Quinta, ut consequenter sint testes et imitatores, atque annuntiatores verbo et exemplo, ceterarum omnium suarum virtutum moralium atque exemplorum, maxime suae perfectissimae humilitatis, mortificationis, abjectionis, sobrietatis, virginitatis, puritatis, patientiae, mititatis, condescensionis, misericordiae, pietatis, jugis contemplationis, devotionis et orationis, et hoc per humilitatis et charitatis opera, et exercitia continua: per frequentes orationes; per jejunia moderata et labores; per discursum in praedicationibus pro animarum fructibus, ac exemplis virtutum; per aestus et frigora; per piam et charitativam sublevationem infirmorum et afflictorum; per receptionem et sanationem peccatorum; per reductionem et directionem pauperum ignorantium atque deviantium, et sic de aliis Christi et Apostolorum suorum exemplis et doctrinis, ad quorum sequelam verus Frater Minor pro posse studere et laborare debet, jugum Christi suave fideliter, strenue et impigre, alacri animo, usque ad mortem constanter et perseveranter ferendo, ut tandem audire mereatur illam dulcissimam vocem Christi invitantis, et dicentis: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos cum beatis meis, et Fratribus vestris mihi praedilectis et charis, atque propinquioribus imitatoribus, et sequacibus, et ministris, qui-

bus locum non infimum, sed mecum repromisi, cum dixi: Et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Et alibi: Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Et alibi: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Sexta, ut sint testes et speciales contemplatores, et imitatores, ac verbo et exemplo praedicatores, et annuntiatores, atque repraesentatores suae tantae passionis et mortis, ac tot beneficiorum suae benedictae incarnationis, vitae et mortis ipsius, et tantae nostrae redemptionis, non solum per jugem et frequentem meditationem ac recordationem ejusdem vitae, passionis et tantorum dolorum interiorum et exteriorum Christi, et piissimae Matris ejus; sed etiam per veram et spontaneam tolerantiam omnium contrarietatum, tribulationum interiorum et exteriorum, vilipensionum et dolorum pro nomine sancto ejus; et consequenter per devotam et ferventem praedicationem ipsius: nam paulo ante tempora B. Francisci, ista tanta ipsius Christi Domini nostri beneficia, et maxime hujusmodi tantae passionis et mortis suae, videbantur quasi in mundo oblita: ideoque voluit Christus per ipsum Sanctum, et Fratres ejus, quodammodo ea in mundo, et mentibus hominum renovari, et rememorari attentius. Et propterea ipsius Ordinis primarium lapidem B. Franciscum voluit privilegio tam singulari et excellenti, videlicet passionis suae sacris stigmatibus, insigniri, sub cujus vexillo militarent omnes Minores et Christi imitatores, per veram et jugem recordationem et recollectionem tantae suae passionis, mortis, vitae, et contemplationis, et piae suae Matris; quae etiam, ut legitur in libro Conformitatum, propterea et ad hoc specialiter una cum filio suo Domino nostro Jesu Christo Ordinem istum, et Ordinem sanctae Clarae, a Deo Patre postulavit et obtinuit. Beati igitur Fratres, et Sorores tam Minores et sanctae Clarae, quam Tertiarii de Poenitentia, quam etiam quicumque alii cujuscumque status fuerint vel conditionis, qui, quantum in se erit, in his sequentur ipsum plagiferum et vexilliferum

Patrem nostrum B. Franciscum; imo verius ipsum Jesum Christum, Dominum nostrum, et sacratissimam Matrem ejus in hac vita; quia in morte et in judicio, cum ipso Capitaneo suo, in acie et societate verorum Christi militum et specialium passionis suae, et vitae contemplatorum ac verorum imitatorum et annuntiatorum, gloriosiores omnibus mundi nationibus et tribubus merito apparebunt cum Christo et Apostolis ejus; id est, sententiam Judicis adprobantes, juxta verbum Christi: « Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël ».

TRACTATUS IV.

De exercitio virtutum et de exstirpatione vitiorum.

Supra (Tract. I. « De perfect. christian. » § 43 et 44) dictum est: « Auxilium ad statum divini amoris seu perfectionis christianae perveniendi proximum et immediatum est *sedulum hujus amoris exercitium;* cum enim felicissimus iste status consistat in habitu seu assuetudine; haec vero assuetudo per frequentes actus comparetur, facile sequitur, talibus actibus hunc statum comparari. Et quod *de frequentatione actuum* dicendum, idem aeque, imo magis *de difficultate eorundem* tenendum. Assiduitas et asperitas in exercitatione divini amoris adhibita est illa vis, de qua loquitur Ven. Thomas a Kemp. (lib. I. de imitat. Christi cap. ult.): « *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris* ». Et rursus (lib. II. cap. ult.): « *Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quanto quisque plus sibi moritur, tanto magis Deo vivere incipit* ». Et proximum proficiendi subsidium hoc est unicum » (l. c.).

Itaque officium perfectionis seu divini amoris continuam sui ipsius abnegationem et mortificationem internam et externam a nobis inevitabiliter expostulat, et hac ex causa ad ea quae supra (Tract. II. Fundament. III) de mortificatione jam dicta sunt, hic saltem principaliora internae et externae mortificationis capita ponuntur.

CAPUT I.

De mortificatione interna.

§ 1.

De mortificatione in genere.

1. Mortificatio seu abnegatio sui ipsius est virtuosa aliqua vis seu violentia, qua nosmetipsos adigimus ad agendum

vel patiendum, quod nobis adversum, vel ad omittendum quod nobis acceptum est. Dicitur imprimis *virtuosa aliqua:* id est, ex fine supernaturali virtutis alicujus propter Deum facta; quia de hac sola violentia et mortificatione, non item de illâ hîc sermo est, quae ex motivo aliquo terreno, amore, vel interesse proprio, respectu aut timore humano, inani gloria etc. fit, prout multi multa faciunt et patiuntur mundani, qui tamen propterea prorsus nullum meritum, sed demeritum potius habent. Martyres daemonis merito vocandi.

2. Dicitur mortificatio ulterius: *vis seu violentia;* hoc ipso enim, quod per actum mortificationis id agamus, omittamus vel patiamur, quod perversae nostrae naturae ejusque malis passionibus et inordinatis affectibus contrarium est, natura in passionibus suis aliquo modo vim patitur, et passionibus illius vis seu violentia aliqua quodammodo infertur, dum actus mortificationis exercetur; hinc (Matth. 11, 12) dicitur: « *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* »; id est, si agere, omittere, vel pati volumus id, quod ad consequendum regnum coelorum requiritur, nobismetipsis sive perversae naturae nostrae ejusque malis passionibus vim seu violentiam aliquam inferre oportet, quam dum inferimus, perversam naturam et inordinatas passiones mortificamus et abnegamus, utpote negantes seu omittentes agere, quod perversa natura affectat et appetit; vel econtra agentes aut patientes id, quod non vult, sed aversatur tamquam sibi contrarium. Et in hac vi seu violentia virtuosa substantialiter consistit mortificatio seu abnegatio sui ipsius, quae in s. Scriptura pro synonymis habentur, et subinde etiam renuntiatio, item pugna et certamen spirituale vocatur juxta illud (II. Timoth, 2, 5): « *Non coronatur, nisi qui legitime certaverit* ».

3. Dividitur mortificatio in *activam et passivam*. Illa est, quam ipsi voluntarie exercemus, nobismet eam inferendo. Haec vero est, qua adversitates, vel alia quaecumque tandem odiosa vel adversa ab aliis nobis illata, vel alia quacumque via, Deo disponente, vel permittente nobis obvenientia aequanimiter amplectimur.

4. Quaeritur: Quam praestans, utilis et meritoria sit mortificatio seu abnegatio sui ipsius? — Resp.: Mortificatio quaevis, etiam minima, praesertim interna, valde praestans, Deo valde grata, nobisque mire meritoria et ad virtutes vitaeque perfectionem acquirendam summe utilis est. Responsio magis patebit ex iis, quae in subsequentibus de quavis mortificatione in specie dicemus. Interea solum audiamus celeberrimum Ascetam Blosium (Instit. Spiritual. c. 2) « *De integra sui abnegatione atque mortificatione* » sic scribentem: « *Quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriae, etiam in rebus minimis reluctatur ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret* ». Declarat id exemplo sequenti: « *Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans diceret sibi ipsi, dimitte eum propter Deum: alter vero nihil praemeditatus carperet florem, iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum prae decerpente obtineret meritum, quanta est distantia coeli a terra* ».

5. In vitis Patrum legitur, quod quidam ex antiquis Patribus, ut nimiam sui mortificationem moderaretur, rogatus responderit: « *Mihi credite, filii! si locus, status et conditio Beatorum in coelis dolorem aliquem admitteret, profecto hoc unicum dolerent maxime, quod graviores affligendi se et mortificandi occasiones non quaesiverint* ».

6. Textus de praestantia et utilitate mortificationis tam ex S. Scriptura, quam Ss. Patribus copiose adferri possent, qui amore brevitatis hîc omittuntur. « *Hoc est salvationis nostrae principium* (ait S. Bernardus Serm. 2 de Circum.), *cum incipimus respuere, quod diligebamus: dolere, unde laetabamur: amplecti, quod timebamus: sequi, quod fugiebamus: optare, quod contemnebamus* ». Idem pluribus in locis testatur Ven. Thomas a Kemp. (lib. I de imit. Christi, cap. 25): « *Ibi homo plus proficit, et gratiam meretur ampliorem,*

ubi magis seipsum vincit et in spiritu mortificat ». Et lib. III cap. 44 inquit: « *Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius* ».

7. Quod vero mortificatio tantopere Deo placeat, ratio est: quia, dum nosmetipsos propter Deum mortificamus et abnegamus, actum mortificationis exercendo re et effectu ostendimus, nos Deum vere, sincere, et plus, quam nosmetipsos, vel alias creaturas amare, hoc ipso, quod ad beneplacitum et voluntatem ipsius adimplendam, seu ad placendum eidem, amore ipsius agamus, vel patiamur aliquid, quod nostrae perversae naturae, vel amori proprio nostraeque passioni contrarium, difficile et adversum est; vel econtra, quod vitemus, aut omittamus aliquid, quo amor proprius, sensualitas, passio, affectus etc. fertur et inclinat: quod Deo utique summopere placet, et quidem eo magis, quo major difficultas in actu mortificationis ex natura rei invenitur; quia, quo haec major, eo majus etiam signum veri amoris erga Deum, majorque abnegatio amoris proprii exhibetur: sic enim nos habendo eo ipso Deum appretiative plus, quam nosmetipsos, vel alias creaturas aestimamus et amamus, eumque propterea nobis, et aliis proprioque amori et passionibus praeponimus. Unde in quavis mortificatione semper implicite includitur verus et realis amor Dei, trahens secum meritorum et aliarum gratiarum divinarum retributionem; praesertim si praecise vel saltem principaliter propter Deum, vel ad ei placendum ejusque voluntatem divinam adimplendam mortificatio seu abnegatio sui ipsius exercetur.

8. Ratio autem, cur haec nobis adeo meritoria et utilis sit, inter alias potissimum duplex est: *tum* quia, quo magis aliquid Deo placet, eo magis nobis meritorium et consequenter cum juxta mox dicta, quaevis etiam minima mortificatio Deo summopere placeat, etiam maximopere nobis meritoria est: *tum* quia per frequentem mortificationem et abnegationem perversae nostrae naturae id, quod ad peccata potissimum nos pertrahit, et econtra a virtutibus, praesertim Dei amore

et unione, potissimum impedit, inordinatas nempe passiones, voluntatem et amorem proprium subjugando debilitamus et successive eradicamus, sicque tum ad peccata vitanda, quam virtutes exercendas, consequenter ad perfectionem et unionem cum Deo acquirendam semper magis apti et habiles reddimur.

9. Ex quo colligetis, Charissimi! quantum aestimare debeatis quodvis etiam minimum mortificationis genus, et quantum laborare et pugnare vos oporteat, ut per actus frequentatos sanctam praxim et habitum acquiratis, *saepius in die*, etiam in modicis, vos mortificandi; praesertim cum plurimae occasiones quotidie se offerant tam internae quam externae mortificationis, et quidem exercendae absque omni indiscretione, sine ullo corporis vel sanitatis nocumento ac sine aliorum negotiorum impedimento, nemine etiam advertente, dummodo pia sedulitate attendamus ac divinae inspirationi monitisque Angeli Custodis auditum praebeamus.

10. Exempla practica mortificationis internae et externae plura adducemus per decursum: interea ex S. Dorotheo (Doctrina I. de renuntiat.) lubet adducere textum varimode nos instruentem de hac materia his verbis: « *Obambulat aliquis, et quidpiam conspicatus persuadetur a cogitatione, ut id advertat: at is cogitationi, et non bonae persuasioni repugnat. Rursum invenit quis nugis et variis rumoribus occupatos, persuadet, ut se quoque turbae immisceat et verba pariter inserat: negat id se acturum, et aversus alio propriam voluntatem abscindit. Item succurrit ulli, ut coquum adeat interrogetque, quid paret obsonii? solicitatur interrogare, comprimit appetitum; sicque, dum parva quaeque praecidit, sensim quaecumque praecidere advenientia consuescit, et jam summa cum requie, quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua evenisset. Advertite igitur, quantum pusillum hoc proficere nos faciat* ».

11. Ex quo colligere est, quam varie et frequenter, grandi cum beneplacito divino, merito et utilitate vestra in obviis quibusque ac minimis vos, inclinationes passionesque vestras

mortificare et abnegare possitis, dummodo amore Dei, sancta cura ac desiderio eidem placendi huic sanctae praxi attendatis.

12. Quaeritur: An mortificatio aequa et rationabilis sit? Resp. Mortificatio et abnegatio sui ipsius suarumque passionum etiam summe aequa, justa et rationabilis est. Cum enim perversa nostra natura ejusque inordinatae passiones ex se inclinent et ferantur in id, quod malum, iniquum, rationi, virtuti et sapientissimae simulque justissimae legi, voluntati et beneplacito divino contrarium est; econtra vero declinent, abhorreant et aversionem habeant ab illo, quod bonum, rectum et justum, ac rationi, virtuti, legi et voluntati divinae conforme est; utique summe aequum, justum et rationabile est, ut per mortificationem, sive per virtuosam vim et violentiam cohibeantur ab illo, ad quod tam male inclinant et feruntur: econtra adigantur ad illud, a quo tam perverse declinant.

13. Accedit, quod non sit major inimicus Dei et animae nostrae, quam perversa nostra natura cum suis inordinatis passionibus, utpote quae Deum toties ac tantopere offendit ac animae nocuit, prona semper Deum offendere, animae nocere eamque perdere. Ergo summe aequum, dignum et rationabile est, ut contra pessimum hunc inimicum pugnemus et certemus, eumque omnibus modis mortificemus et molestemus. « *Cadat et conteratur* (inquit ex S. Bernardo Alph. Rodriguez part. 2. tr. I. cap. 4) *inimicus iste, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? Certe, si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur* » *!*

14. Quaeritur: An mortificatio, et qualiter sit necessaria? Resp. Mortificatio et abnegatio sui ipsius, saltem interna, insuper absolute et inevitabiliter, *et quidem quotidie saepius* necessaria est, non solum ad virtutes, perfectionem religiosam veramque animi quietem acquirendam, sed etiam ad peccata vitanda et praecepta servanda. Est hoc unanimis ac indubitata doctrina Ss. Patrum et Ascetarum patetque ex

variiis Scripturae textibus. Sic (Gen. 4, 7) Deus mandavit mortificationem inordinati appetitus, seu malae passionis illis verbis: « *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius* », mortificando scilicet et abnegando eundem. Christus quoque necessitatem hanc breviter ostendit illis summe ponderosis verbis (Luc. 9, 23): « *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* ». Et (Matth. 11, 12): « *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* ». Idipsum manifestat Paulus (Rom. 8, 12 et 13): « *Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem* (id est secundum carnalia desideria, passiones et affectus) *vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* ». Unde monet (ad Coloss. 3, 5): « *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram* ». Et de se ipso fatetur (I. ad Cor. 9, 27): « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* ». Ecce, timuit S. Paulus, se a Deo reprobatum iri, nisi corpus ejusque inordinatos affectus castigaret et mortificaret.

15. Ratio est, quia ex dictis natura nostra per peccatum Adae adeo perversa et inversa existit, ut ejusdem passiones, inclinationes, affectus et sensus a natura ferme omnes mali, vel inordinati sint ab eo, quod Deus, virtus et ratio exigit, abhorrentes, et econtra ad id, quod Deo et virtuti contrarium est, proclives; quippe « *Sensus et cogitatio humani cordis* in malum *prona sunt ab adolescentia sua* » (Gen. 8, 21) et incessanter « *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* » (ad Galat. 5, 17). Accedit, tum quod dicta perversa nostra natura insuper in plurimis male habituata et assueta sit: tum quia etiam malum exemplum aliorum jugiter oculis oberrat et ad sequelam trahit: tum quia daemon incessanter nos tentat, et millenis occultis fraudibus, etiam sub specie boni, ad malum perducere conatur, ac econtra a bono retrahere. Quibus stantibus utique absolute et ine-

vitabiliter necessarium est, quasi continuo, aut certe frequentissime attendere et pugnare contra daemonem et perversam naturam nostram, ejusdem malas passiones mortificando, abnegando et vi quadam sancta subjugando. Hoc enim nisi jugiter faciamus, procul dubio frequenter in noxia labemur, nec ad solidam virtutem, minus ad perfectionem religiosam pertingere poterimus. Propterea recte dicit Job (cap. 7, 1): « *Militia est vita hominis super terram* », quia videlicet semper pugnare et certare oportet, nosmetipsos abnegando et mortificando, prout nos Doctor gentium edocet admonetque (II. Cor. 4, 10), quippe « *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes* ». In hac vita corpus et facta carnis spiritu mortificare *quotidie,* affligere, fraenare etc., haec est actio nostra, haec militia nostra.

Ne vero quispiam ab hoc necessario mortificationis jugiter faciendae exercitio absterreatur,

16. Quaeritur: Num mortificatio insuper etiam sit facilis et jucunda? Resp. Mortificatio et abnegatio sui ipsius non tantum summe praestans, Deo grata, nobis utilis ac necessaria, sed insuper facilis et jucunda est, prout Magistri Asceseos passim docent, et fatentur ii, qui exercitio mortificationis dediti sunt. Tametsi vero ab initio nonnihil difficilis et molesta appareat, successive tamen facilis et jucunda accidit; utpote consolationes, dulcem animi quietem, et gaudium spirituale permixta et subsequentia habens. Hinc verbum Jesu Christi, aeternae veritatis: « *Jugum meum suave est et onus meum leve* » (Matth. 11, 30); et dilectus Christi discipulus Joannes testatur (I. Epist. 5, 3): « *Mandata ejus gravia non sunt* ». « *Initium quidem mortificationis,* ait Climacus (Grad. 4), *vel corporis membrorum, vel animae voluntatis labor est. Medium vero interdum labor, interdum requies. Finis autem jam omni motus perturbatione omnique laboris sensu vacat* ». Et ut ait S. Cyprianus (lib. de Discipl. et bono Pudic.): « *Voluptatem vicisse voluptas est maxima, nec ulla major est victoria, quam ea, quae e cupiditatibus re-*

fertur». Siquidem «*resistendo passionibus invenitur vera pax cordis, non autem serviendo eis*», inquit Ven. Thom. Kemp. (l. I. c. 6).

17. Quare, dilecti Fratres, nullatenus habetis, unde ab hoc animae plurimum consolatorio atque ad perfectionem religiosam acquirendam adeo utili, et inevitabiliter necessario mortificationis ac propriae abnegationis frequenti, quin quotidiano exercitio absterreamini. Credite firmissime, et pro certo infallibili principio menti bene imprimite illud Ven. Thomae Kemp. (l. I. c. 25): «*In tantum proficies, in quantum tibi ipsi vim intuleris*» (sive quod idem est), in quantum te mortificaveris et abnegaveris, tantum, nec plus nec minus in perfectione et virtutibus progredieris. Nisi enim frequenter, et quasi continuo vos in mortificatione exercueritis, certo juxta inordinatas vestras passiones, inclinationes, affectus, pravos habitus, et malas consuetudines jugiter vivendo, in bono semper deficietis: econtra vero in vario malorum genere proficietis, si non graviter peccaminosi, saltem vere tepidi, et vel ideo ob magnum salutis periculum plane miseri; insuper omni vera pace et gaudio mentis destituti, spiritu afflicti, turbati, inquieti etc. Credite S. Paulo, nedum ad Romanos, sed ad vos quoque scribenti, «*si secundum carnem* (id est, secundum perversam carnalem naturam ejusque malas passiones) *vixeritis, moriemini* (morte scilicet animae); *si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*» (Rom. 8, 13), videlicet vita animae per gratiam, quae in vobis erit eo amplior, quo magis mortificaveritis membra vestra.

§ 2.

De mortificatione interna in specie.

18. Mortificatio interna est illa, qua potentias internas, puta intellectum, judicium proprium, memoriam, voluntatem et amorem proprium, item internas malas passiones et inor-

dinatos affectus, desideria, inclinationes, aversiones etc. mortificamus, seu rectae conscientiae et divinae voluntati subjicimus.

Quamvis omnis mortificatio juxta antecedenter dicta valde praestans, Deo grata, et nobis meritoria sit, ordinarie tamen et ceteris paribus loquendo, mortificatio interna incomparabiliter praestantior, Deo gratior, et nobis magis meritoria est, quam externa pure et proprie talis. Ita unanimis et certa doctrina Ss. Patrum et Ascetarum. Ratio est: tum quia longe, imo incomparabiliter magis a nobis requirit Deus mortificationem internam, quam externam corporis; quandoquidem haec ordinatur ad hoc, ut interior homo inordinatos affectus et malas passiones subjugando et refraenando debite se habere possit ad finem suum, scilicet ad Deum amandum eique serviendum: tum quia mortificatio interioris hominis longe magis, imo absolute, et quasi continuo necessaria est ad observanda sanctissima mandata legesque divinas et humanas, atque ad virtutes et perfectionem acquirendas: tum quia mortificatio interna magis tollit radicem quorumcumque malorum et defectuum nostrorum, nec non impedimenta virtutum et unionis cum Deo, quae radices, et impedimenta sunt ipsae malae passiones, inordinati affectus, et desideria nostra. Quibus accedit, quod mortificatio interna ex se et natura sua longe difficilior, et perversae nostrae naturae magis molesta et contraria, quam externa, consequenter cum majori victoria fiat. Siquidem longe difficilius est cohibere passionem, e. gr. vindictae, ut inimico suo parcere, eum diligere, illique benefacere tunc, quando optima occasio se vindicandi adesset, ac nescio quam mortificationem externam corpori inferre. Pariter longe difficilius est vehementer ebullientem irae, indignationis etc. passionem, ne erumpat, cohibere, quam cilicio vel flagellis corpus affligere etc. Quo autem ex se et natura sua difficilior propter Deum assumitur mortificatio, eo magis Deo erit grata et nobis meritoria, ut per se clarum est. Porro, quae de mortificatione interna in genere hîc dicta sunt, etiam de ea in specie, ut de

mortificatione intellectus, et proprii judicii, propriae voluntatis etc. intelligenda veniunt.

19. Quamvis mortificatio interna perversae nostrae naturae sit molesta, et difficilis maxime ab initio appareat: ordinarie tamen etiam internam consolationem secum, vel post se trahit, quae habitam momentaneam quasi et brevem difficultatem ac molestiam longe superat et abunde supplet, ut proin mortificatio interna etiam facilis et jucunda dici possit. Patet hoc tum ex supra (§ I. n. 16) adductis: tum continua experientia, qua constat, quod quaevis sui victoria, seu quaevis mortificatio interna praeter magnum beneplacitum divinum, et ingens meritum nostrum semper secum trahat et relinquat consolationem animi, adeo quidem, ut etiam plures post annos adhuc consolatione anima in Deo fruatur ex eo. quod in hoc vel in illo se propter Deum mortificaverit et se abnegaverit. Quae consolatio longe major est, quam sentiunt, qui malae passioni indulgent; praesertim cum falsa et momentanea, aut brevis ejusmodi delectatio et consolatio praeter alios malos effectus econtra ordinarie secum trahat, vel paulo post adferat, et relinquat diuturnam desolationem, taedium, languorem et inquietudinem. Ex quo Ss. Patres merito inferunt, longe facilius et jucundius esse, malas passiones, inordinatos affectus etc. mortificare, quam omittendo internam mortificationem eis indulgere; quando quidem mortificationi internae pie dediti, constanti, eaque vera et sancta pace, quiete, tranquillitate et consolatione animi fruuntur, illis econtra, qui mortificatione hac neglecta, suis passionibus passim indulgent, nunquam vera, minus constanti consolatione gaudentibus.

20. Quod tandem attinet necessitatem mortificationis internae, dicendum: Mortificatio interna non tantum Deo gratissima, nobis utilissima, sed etiam absolute ac inevitabiliter, et quidem saepius quotidie est necessaria non solum ad virtutes et perfectionem religiosam, veram pacem, quietem, consolationem animi acquirendam, sed etiam ad peccata vitanda, ad praecepta servanda, et salutem aeternam consequendam.

Patet hoc ex textibus et rationibus supra (§ I. n. 14. et 15.) positis, utpote quae de interna mortificatione principaliter sunt intelligenda. Patet hoc ex directis admonitionibus divinis de mortificatione interna, e. gr.: « *Sub te erit appetitus ejus* (scil. peccati), *et tu dominaberis illius* » (Genes. 4, 7.); « *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* » (Eccli. 18, 30); « *Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* » (Prov. 16, 32); Christus ipse ait: « *Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam* » (Joan. 12, 25); « *Omnia mihi licent* », ait S. Paulus (I. Cor. 6, 12), « *sed ego sub nullius redigar potestate* ». — His accedit, quod, cum iuxta dicta et dicenda, potissimus et principalis labor, cura et conatus spiritualis consistat in exstirpatione malarum passionum, inordinatorum affectuum, pravorum habituum, seu vitiorum, ac econtra in implantatione virtutum, quatenus sic naturam nostram peccato originali corruptam, et malis passionibus repletam corrigamus, et ad eum statum, in quo per Deum ab initio creata fuerat (quippe natura nostra erat unius voluntatis et spiritus cum Deo, passionesque illius omnes rectae, ac ad omne bonum, et beneplacitum divinum inclinantes), quantum possibile, redigamus, sicque impleamus, quod S. Paulus (ad Coloss. 3, 9. 10) ait: « *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum* ». In hac, inquam, exstirpatione passionum et vitiorum, ac econtra in virtutum implantatione cum potissimus et principalis noster labor, cura, et conatus spiritualis consistere debeat, palam est, quotidianam, eamque frequentem mortificationem internam absolute esse necessariam, hoc ipso, quod in hac mortificatione consistat exstirpatio malarum passionum et vitiorum substantialiter, prout in sequentibus dicetur.

Progredimur jam ante omnia praecipue ad mortificationem trium potentiarum animae, intellectus videlicet, memoriae et voluntatis, eo quod, si hae bene regulentur suoque officio

rite fungantur, reliqua mortificatio interna, nempe malarum passionum, inordinatorum affectuum et pravorum habituum, seu vitiorum ordinarie tam difficilis amplius non sit, sed facile consequatur.

§ 3.

De mortificatione intellectus.

21. Quamvis inter memoratas potentias Regina et Domina sit libera voluntas, nihilominus quia voluntas in se caeca est, indeque in omnibus ab intellectu dependet, ut ab eo illustretur circa eligendum bonum et evitandum malum, ac propterea ipsa voluntas nil eligat, nil velit, nil respuat etc., nisi sibi prius ut bonum, aut malum ab intellectu repraesentetur, juxta illud tritum: « *nil volitum, nisi praecognitum* »; ideo prae omnibus necessarium est, ut per mortificationem bene reguletur intellectus, praesertim vero ne sit, vel maneat in rerum scitu necessariarum vel utilium prava ignorantia, aut nocivus error. Hinc

22. Mortificatio intellectus est illa, qua adigimus intellectum ad cognoscenda, ad discenda, ad consideranda illa, quae secundum Dei et Superiorum voluntatem intuitu status, conditionis, officii, et talentorum nostrorum scitu necessaria, vel utilia et proficua nobis ac aliis sunt, indeque custodiatur a prava ignorantia et errore; econtra ut cohibeatur ab illicitis, nocivis, curiosis, inutilibus etc.

23. Mortificatio intellectus tam ad vitanda peccata, quam ad acquirendas virtutes et perfectiones, sicut ad exercendas alias mortificationes absolute necessaria est. Ratio est, quia natura hujus mortificationis duo puncta sive genera mortificationum includit. *Primum* est, ut intellectus arceatur ab ignorantia et errore, ac compellatur ad cognoscenda et consideranda necessaria ac utilia: *Secundum* vero est, ut cohibeatur a curiosis, nocivis, inutilibus etc.

24. Primum hujus mortificationis genus quod attinet, summa illius necessitas ex eo palam est, quia, si intellectus bonum aliquod ignorat, etiam voluntas illud non amabit nec appetet, cum juxta tritum « *ignoti nulla cupido sit* »: neque odio habebit, nec fugiet malum, si illud ut tale intellectus non cognoscit, vel viam, modum, et media malum fugiendi et bonum prosequendi ignorat; vel si debitam horum notitiam quidem habet, ea tamen, sicut et motiva eorum raro, aut nunquam considerat, nec voluntati exhibet. Adhuc magis in actibus suis deficiet et impinget voluntas, si intellectus non tantum ignorans, sed etiam positive errans est, et bonum pro malo, econtra vero malum pro bono apprehendit, viasque, modos et media minus proficua, vel plus nociva, quam profutura voluntati exhibet.

25. Dum econtra, si rerum veritates non prout ab extrinseco apparent et sensibus nostris objiciuntur, aut prout eas mundus aestimat; sed prout secundum rectam rationem et vera principia supernaturalia bonae aut malae sunt, bene cognoscit, easque, sicut et motiva malas fugiendi et bonas prosequendi saepius et bene considerat, revolvit, et voluntati exhibet, voluntas quoque in actibus suis bene eliget. Dum enim intellectus frequenti consideratione perpendit ac voluntati proponit varia aeternae veritatis principia, fundamenta et doctrinas practicas, e. gr. omnia esse vanitatem et mendacium, praeter Deum amare et illi soli servire: cuncta, quae mundus et sensualis corrupta natura nostra adeo aestimat, appetit, et nescio quibus mediis et modis quaerit, veluti sunt honores, dignitates, divitiae, deliciae terrenae, nonnisi vanitatem et afflictionem spiritus parere: non solum summe aequum, justum et utilissimum, sed etiam longe facilius et jucundius esse Deo servire, quam mundo, carni aut diabolo: unicam guttulam consolationis divinae superare omnes mundi delicias: injurias, ignominias, vilipensiones, persecutiones, afflictiones, infirmitates, dolores, et omnis generis adversitates a Deo immissas, aut permissas esse inenarrabilia Dei dona, magis quam omnia mundi

bona aestimanda: mortificationem malarum nostrarum passionum etiam minimam, qua quis seipsum vincit, nobiliorem esse, quam si quis fortissima expugnaret moenia, imo quam si miracula patraret et mortuos suscitaret etc. Haec et similia, inquam, dum intellectus bene perpendit ac voluntati debite exhibet, mediaque, vias et modos ad agendum, vel omittendum ei proponit, procul dubio voluntas iis conformiter movebitur, resolutiones, proposita, et actus imperabit et exercebit, atque juxta genuinas in Deo et in virtute fundatas veritates bene et ordinate procedet.

26. Econtra vero si intellectus horum et similium ex ignavia ignarus, aut in iis nonnisi obiter versatus est, vel omnino erroneam de iis cognitionem habet, aut eorum bene equidem gnarus, illa tamen raro aut nunquam bene considerat et revolvit: voluntas quoque nec ad faciendum bonum, nec ad malum vitandum et omittendum movebitur, neque bene aget, sed prout erroneus intellectus, sensus, sensualitas, inclinationes, amor proprius, passiones, mala exempla aliorum, vel daemon res et objecta exhibent, male et inordinate procedet in suis actibus. Ex quibus abunde patet absoluta necessitas mortificationis intellectus.

27. Quaeritur: In quibus, et quomodo *in praxi* exerceri debeat mortificatio intellectus quoad utrumque punctum seu genus mortificationis (n. 23) allegatum? — Ante responsionem notandum, omnem hominem ex natura sua habere appetitum sciendi, seu naturalem inclinationem ad habendam notitiam et cognitionem rerum, tametsi etiam non paucos invenire sit, qui ex ignavia et desidia debitam diligentiam et conatum ad comparandam ejusmodi cognitionem minime adhibent. Porro, quia ferme innumera sunt objecta, quae sciri et cognosci possunt, debite mortificandus et coërcendus est intellectus, ne in acquirenda scientia et cognitione rerum pro libitu vagetur, sed relictis aut postpositis aliis, illarum scientiam et cognitionem debitam sibi comparet, quae scitu magis necessaria et utilia sunt. Plures enim reperiuntur, qui tum

ex corrupta natura, tum ex tentatione daemonis majorem sentiunt inclinationem et appetitum sciendi curiosa, inutilia et nociva, quam necessaria et utilia, imo ad debitam horum notitiam et cognitionem acquirendam etiam taedium quandoque et quasi aversionem habent. His praenotatis

Resp. Mortificatio intellectus circa *primum* punctum quoad praxim principaliter exerceri debet, ut cohibeatur et adigatur, quatenus dimissis vel postpositis aliis, ante omnia bene addiscat et cognoscat ea, quorum debitam scientiam seu notitiam exigentia status, conditionis, officii, obedientiae, qualitatum et ingenii nostri a nobis requirit. Ratio est: quia horum praecipue, et non aliorum scientiam et notitiam a nobis requirit Deus, sicut et de horum, et non aliorum scientia vel culpabili ignorantia nos aliquando judicabit, ac praemiabit, vel puniet Deus. Hinc dicitur (Eccli. 3, 2 sq.): « *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed, quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quae abscondita sunt, videre oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus non eris curiosus* ». Porro illa, quae necessario discere et scire debemus, sunt sequentia, et quidem

28. a. Quivis Religiosus ratione status Christiani scire debet, quae sunt scitu necessaria necessitate medii, et scire debet etiam illa, quae sunt scitu et creditu necessaria necessitate praecepti.

b. Ratione status Religiosi quivis tenetur scire, et bene considerare sui, quem professus est, s. Ordinis Regulam, praesertim in s. Religione nostra, ubi praeter tria vota essentialia continentur plura, sub gravi peccato obligantia. Huc etiam referri debet notitia Constitutionum Generalium sive Statutorum tam Generalium, quam, et praecipue quidem, Provincialium seu Provinciae suae. Cum enim in his norma recte vivendi a Superioribus, consequenter a Deo praescripta, quoad multa in iisdem contineatur, de horum quoque observantia,

proinde et debite comparata notitia, aliquando coram Altissimo Religiosum respondere oportebit.

c. Principaliter etiam Religiosus sufficienter addiscere et bene considerare debet ea, quae scitu necessaria, et magis utilia sunt ad acquirendam perfectionem religiosam tamquam praecipuum finem, ad quem Religiosorum quivis tendere obligatur. Innuit id paucis verbis S. P. N. Franciscus in sua Regula cap. 10, ubi in Domino Jesu Christo serio et paterne admonet suos Fratres, ut sine inordinata cura acquirendi alias scientias « *attendant, quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini* » (i. e. sanctam, a Deo datam, seriam voluntatem, fervensque desiderium ad perfectionem veniendi Deoque debite serviendi) « *et sanctam ejus operationem* », hoc est, talem nostram cooperationem, ut bona voluntas in effectum deducatur. Hinc licet ibi cap. 5 velit. ut Fratres etiam laborent, attamen eos laborare, et studiis ac scientiis vacare vult taliter solum, « *ut sanctae orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* ». Ut proin procul dubio graviter errent illi Religiosi, qui otio culpabiliter dediti, vel aliis negotiis, aut studiis fere penitus immersi, nullam, vel nonnisi exiguam et prorsus insufficientem curam habent acquirendi, conservandi, ac in opus deducendi necessariam scientiam asceticam. tendendi et acquirendi perfectionem religiosam.

d. Religiosus Clericalis Ordinis scire debet Rubricas Breviarii et Missalis; utpote quae sunt leges ecclesiasticae ad Officium Divinum rite persolvendum, tremendumque Missae Sacrificium debite peragendum praescriptae, etiam in conscientia obligantes. Huc etiam spectat debita notitia Ritualis Romani, Dioeceseos, Ordinis et Provinciae. Huc etiam spectat Studium Theologiae dogmaticae, moralis, juris canonici, S. Scripturae, aliarumque disciplinarum theologicarum. — Porro quivis scire debet, quae ratione sui officii requiruntur: sic Superior, Lector, Director spiritualis, Magister, Confessarius, Concionator, Operarius etc. scire debent, quae ad officium suum debite obeundum scitu necessaria sunt.

e. Salvis obedientiae muneribus quivis conari debet acquirere scientiam et notitiam eorum, ad quae Deus specialia dona et ingenium sibi dedit. Cum enim infinite sapiens Deus non cuivis ad quodvis soleat dare dona et talenta, sed sapientissime et providentissime dividat singulis, prout vult; debet quivis secundum dona et talenta a Deo sibi data, quantum est in se, se applicare et operari, quatenus, uti Apostolus ad Rom. cap. 12. fere per totum pulcherrime demonstrat, scribens: « *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent* »*:* ita et nos, qui « *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* » eundem actum habere nec debeamus, nec possimus, sed « *secundum gratiam, quae data est nobis, differentes* »*,* ad eundem autem finem tendentes mutua charitate et dependentia mutua operemur, ut, sicut « *non potest oculus manui dicere, opera tua non indigeo, aut caput pedibus, non estis mihi necessarii* » (I. Cor. 12, 21): ita nullus nostrum ad alterum dicat, opera tua non indigeo, cum quivis sit certum in corpore mystico membrum, certis a Deo gratiis, donis, aut talentis pro bono totius corporis dotatum, juxta quae proin, si se applicaverit et operatus fuerit, *quantum est in se,* sive magnum illud fuerit, sive parvum, sive honorificum, sive abjectum, Deo satisfacit, et consolatorie aliquando dicere poterit: « *Domine, unum, vel duo, vel tria, vel quinque talenta tradidisti mihi; ecce totidem alia lucratus sum* ». Indeque audire merebitur: « *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui* » (Matth. 25). Sicut econtra illi, qui dona vel talenta a Deo data ex ignavia vel socordia debite non applicant, nec operantur talentis suis conformiter, tamquam abscondentes talenta sua in terram, gravissime aliquando judicabuntur a strictissimo Judice.

Dicitur autem supra notanter: *quantum est in se,* id est, debet quivis quantum salvis aliis obedientiae muneribus prudenter potest, juxta talenta sua operari, et qualificatum se reddere, ut, si Deus per Superiores velit illum ad munus ta-

lentis proportionatum applicare, debite dispositus existat, ita tamen, quod, si Superiores ex quacumque causa nolint, plena resignatione in divinam voluntatem omnino contentus esse velit; quia, quantum est in se, fecit, indeque merito apud Deum minime carebit.

29. Circa *secundum* mortificationis punctum (vide supra n. 23) in praxi intellectus cohiberi debet:

a. A lectione, studio, vel haurienda notitia illicitorum, qualia sunt lasciva, amatoria, detractoria: juratae, aut alias graviter debitae fidelitati, aut taciturnitati contraria; item ea, quae in libris prohibitis, in litteris secretis continentur etc. Unde, si intellectus hujusmodi legere, indagare, et scire appetit necessario mortificari debet.

b. A nocivis, id est, quorum notitia vel cognitio non nisi mentis turbationem, varias inordinatas cogitationes, et sollicitudines aliosve malos effectus parit.

c. A curiosis et inutilibus: tum quia similia multas distractiones in oratione tam interna quam externa causant: tum quia, ubi horum species magis copiosae sunt, bonas cogitationes obruunt, et spiritum devotionis extinguunt: tum quia tempus ad necessaria, obligatoria et utilia adimunt.

d. A superfluis, id est, talibus, quae scire ex se quidem utile foret, tamen nobis scitu necessaria et utilia hic et nunc non sunt. Unde monet Apostolus (Rom. 12, 3): « *Dico enim per gratiam, quae data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem; et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* ».

Porro, cum inter actus intellectus sit etiam proprium, necnon temerarium judicium, in quibus saepissime errat, consequenter mortificari debet; hinc ponitur,

§ 4.

De mortificatione seu abnegatione judicii proprii ac temerarii.

30. Mortificatio seu abnegatio proprii judicii est illa, qua subjicimus illud ac accommodamus judicio divino, Superiorum

et aliorum. — *Practice* mortificatio haec, sive abnegatio proprii judicii potissimum in sequentibus est exercenda:

a. Primo absolute necessaria est in materia et articulis Fidei, ita, ut, quamvis materia aliqua, vel articulus Fidei secundum rationes naturales intellectui nostro videatur impossibilis ac imperceptibilis, eisque uti et sensibus nostris omnimode contrarius, nihilominus intellectum et judicium nostrum abnegare et captivare necessario debeamus, credendo ex hoc motivo, quia infinitae veritatis Deus, qui nec fallere nec falli potest, vel immediate per se, vel per Filium suum, aut per infallibilem Ecclesiam Catholicam, aut per infallibilem Summum Pontificem nobis ejusmodi veritatem revelavit.

b. Omnino frequenter necessaria est mortificatio judicii proprii ad exercendam resignationem in divinam voluntatem, casu quo, ut non raro contingit, Deus disponit vel permittit, quae juxta judicium et opinionem nostram nobis vel aliis, aut etiam toti alicui Communitati, Provinciae, Regno, Ecclesiae etc. temporaliter vel spiritualiter nociva videntur: in quibus casibus proprium nostrum judicium divino judicio humiliter subjicere oportet.

c. Necessaria est abnegatio seu mortificatio judicii proprii in materia obedientiae, ita, ut quantumvis id, quod Superior vult, praecipit, aut alias ex obedientia nobis incumbit, proprio judicio nostro adversum, inutile, imprudens, erroneum etc. videatur (dummodo manifeste peccaminosum non sit), et econtra contrarium longe melius et utilius appareat, nihilominus juxta obedientiam jussa implere, ac propterea judicium nostrum abnegare, illudque judicio Superiorum humiliter accommodare semper oporteat. Pro cujus praxi juvat pro principio habere et in quovis emergenti casu cogitare: Superior potest habere, et habebit suas causas, quas subditis dicere non tenetur nec semper expedit. Neque decet, ut subditus discutiat praecepta Superioris, sed ut illi loco Dei simpliciter et caeco modo obediat; praesertim cum subditus errare non possit obediendo, dato etiam, quod Superior erraret prae-

cipiendo, dum nil aperte peccaminosum mandat. Hinc bene ad propositum Cassianus scribit (lib. 4 Inst. c. 41): « *Stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens: nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quae tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodo sanctum, illud utile, illud sapiens esse judicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel Senioris examen indixerit* ».

NB. Contra hanc necessariam mortificationem proprii judicii plurimum errant, qui proprio judicio inhaerentes, illud, quod juxta propriam opinionem et judicium suum minus recte, minus utiliter, et imprudenter, aut alias inconvenienter praecipi sibi videtur, aut omnino non, aut imperfecte, vel nonnisi cum impatientia, taedio, vel murmuratione peragunt. Adhuc gravius errant, et pestis plane Religionis sunt, qui Superiorum praecepta et dispositiones proprio judicio et opinioni contrarias non tantum apud semetipsos, sed etiam apud alios vilipendunt, irrident, traducunt, male interpretantur ac obmurmurant, indeque multis scandalum praebent.

d. Toties necessaria est mortificatio proprii judicii et opinionis, quoties in discursu, in conversatione, consultatione etc. judicium et opinionem aliorum absolute veram, vel saltem veriorem, probabiliorem et meliorem nostra advertimus. Contra quod multi errant, qui suas opiniones, sententias, data consilia etc. pertinaciter manutenere nituntur, etiamsi cognoscant et deprehendant, aliorum judicium et opinionem esse magis fundata et verisimiliora. Quod manifestum signum superbiae est, qua erubescunt suam prolatam opinionem mutare aut revocare, ne videantur errasse, aut minus docti esse. Tales recordentur, non tantum humilis et virtuosi, sed esse etiam sapientis mutare consilium.

e. Valde bona, ac virtuti humilitatis conveniens est mortificatio proprii judicii et opinionis in dubiis et obscuris, neglecto suo, aliorum etiam aequalium, aut minorum aliquando consilio se accommodare. — Eadem observanda est mortifi-

catio, qua intellectus cohibetur, ne statim juxta opinionem et suum judicium proprium solum procedat, praesertim in rebus arduis, vel majoris momenti, sed prius etiam alios desuper consulat, juxta monitum Spiritus Sancti (Eccli. 32, 24): « *Fili! sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis* ». Et illud (Prov. 11, 14): « *Salus, ubi multa consilia* ». Consulendi autem prae aliis illi sunt, quibus respectu petentis consilium, aut materiae consilium dare ex munere vel officio convenit, uti respectu subditorum plerumque sunt Superiores ac Confessarii, respectu Tyronum Magistri et Directores spirituales, respectu studentium aut juvenum Confessariorum in materia circa Confessionale Professores, sive Lectores, vel alii doctiores ac Seniores experti etc.

De mortificatione judicii temerarii.

31. Mortificatio judicii temerarii et suspicionis est, qua intellectus cohibetur, ne sine apertis, aut certo aperte sufficientibus rationibus, indiciis, aut conjecturis male de proximo judicet vel suspicetur: et econtra adigatur, ut vel factum ipsum, vel intentionem bene judicet, interpretetur, ac pro possibili excuset. Judicium temerarium semper est peccaminosum, et juxta Theologos in materia gravi mortale, si tale judicium, sententia, sive assensus sit firmus et vere deliberate voluntarius, atque ex insufficientibus indiciis, cognitis ut talibus, formatus. Pessimos secum trahit effectus, singulariter vero charitatem proximi, a Deo tantopere demandatam, quietem et sanctam pacem atque fraternam conversationem impedit et destruit.

32. Terribilia sunt, quae contra judicium et suspicionem temerariam scribunt Ss. Patres, e quibus S. Dorotheus (Doctr. 6) inquit: « *Nihil adeo provocat Deum, nihil adeo hominem spoliat, et fert in ambiguum, ut obloqui, ut judicare, ut spernere proximum* ». Cui consonat noster Didacus Stella (in cap. 6 Lucae) ita habens: « *Fieri non poterit, quin in*

manus divinae irae incidas, quandoquidem tam audax es, ut officium Dei fureris ». Vere enim authoritatem et judicium divinum usurpat, qui proximum male judicat, cum solus Deus scrutetur renes et corda, ac cujusvis occultas causas, rationes, et intentionem solus cognoscat, indeque solus de homine recte judicare possit. Unde S. Paulus (Rom. 14, 4) in temere judicantem invehitur: « *Tu quis es, qui judicas alienum servum* » ? — Unde Christus (Matth. 7, 1 seq.) serio admonet omnes: « *Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides* » ? Quibus verbis videtur indicare, eos, qui male et temere de proximo judicant aut suspicantur, ipsosmet ordinarie malos, imo pejores esse eo, quem ut talem judicant. Et plerumque tales judicamus alios, quales nos sumus, ita ut, qui bonus, justus, fidelis, verax, sincerus etc. est, tales etiam alios reputet; econtra, qui nequam, mendax, falsus etc. est, tales etiam reliquos facile judicet, ut proin vix certius mali hominis habeatur signum, quam illius, qui male de proximo judicare ac suspicari solet, juxta illud S. Scripturae (Eccl. 10, 3): « *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos aestimat* », quod etiam S. Paulus (Rom. 2, 1) clare indicat illis verbis: « *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quae judicas* » ; vult dicere: non ita temere de proximo judicares, nisi eadem ageres.

33. Mortificatio sive abnegatio judicii temerarii et suspicionis sequenti modo potissimum est exercenda:

a. Universaliter cohibere intellectum, ne quis de ullo unquam male judicet vel suspicetur, sed, si res aperte mala non est, eam bene interpretetur, bonaque ex intentione factam credat. Celebre et vere aureum ad hoc facit monitum S. Bernardi (in Formula honestae vitae, post. cap. 25) illis verbis: « *Quaecumque audis, vel vides in religiosis personis, puta bona intentione dici, vel fieri, etiamsi contraria videantur* ».

— Si factum alterius aperte malum est, cohibe intellectum, ne de illo multum cogitet, sed (nisi quis sit Superior) quantum fieri potest, excuset et cogitet: *hoc nil ad me;* « *qui se existimat stare, videat, ne cadat* » (I. Cor. 10, 12).

b. Praecipue cavere et cohibere intellectum, ne facta illorum, erga quos odium, rancorem, aut aversionem quis sentit, male vel sinistre judicet, aut interpretetur. Quae mortificatio eo major, et quasi heroica, indeque Deo eo gratior est, quo magis natura perversa ad contrarium propensa est, et de inimicis vel adversariis nostris fere semper male interpretari solet.

c. Omni modo praecavere, ne tempore persecutionum, adversitatum, tribulationum etc. in judicia et suspiciones temerarias contra quemcumque tandem labamur, neque illis immoremur, aut in illis nos detineamus. Cum enim diabolus bene sciat, tali tempore corruptam naturam ad male judicandum et suspicandum esse ex se valde pronam, omnibus viribus et dolis eam inducere satagit, ac propterea excoquit, et suggerit intellectui varia argumenta, rationes et apparentias ad male judicandum et suspicandum, quatenus male judicantem et suspicantem ad odium, vindictam, et aversionem erga proximum aliasque malas resolutiones et effectus perducat, ut proin tali tempore mortificatio temerarii judicii ac suspicionis plurimum sit necessaria.

d. Oportet refraenare intellectum, ne unquam de Superioribus eorumque actis, vel factis, mandatis, ordinationibus etc. male judicet, suspicetur, vel ea sinistre interpretetur, sed de cunctis bene sentiat et judicet, aut certe ab omni judicio abstrahens ubique caeco modo obediat, se accommodet, Superiorem ut Dei vicarium consideret, ejus voluntatem tamquam Dei respiciat et exequatur, eo quod, licet omne temerarium judicium et suspicio de proximo sit mala Deoque multum displiceat, tamen omnium pessima Deoque summe displicens sit illa, quae de Superiore locum Dei tenente concipitur, ob pessimos, quos parit, effectus.

e. Ne quis proximum ex sola facie, vel specie externa male judicet. — Ne ex uno facto aperte malo, proximus habitualiter et absolute malus, vel ordinarie talis judicetur. — Ne ex delicto, vel etiam malo habitu unius personae totam communitatem talem esse judicemus vel suspicemur. — Tandem, ne saeculares praecise ex eorum vestibus, incessu, conversatione, actione etc. male judicemus, cum in cunctis causae, rationes et intentiones nobis ignotae latere possint. Huc serviat, et bene observetur exhortatio S. Patris in s. Regula (cap. 2), ubi ad fratres suos ait: « *Moneo et exhortor, ne despiciant, neque judicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque judicet et despiciat semetipsum* ».

§ 5.

De mortificatione memoriae.

34. Mortificatio memoriae est illa, qua hanc animae potentiam cohibemus a cogitandis aut rememorandis illicitis, nocivis, inutilibus etc., ac econtra adigimus eam ad cogitanda seu revolvenda necessaria, salutaria et utilia, atque exercetur in sequentibus:

a. Ne unquam imaginetur, vel etiam simpliciter cogitet de objectis obscoenis, vel eorum olim auditorum, visorum etc. voluntarie memor sit; cum enim horum memoria semper secum trahat peccatum, aut periculum peccati, mortificatio illius omnino necessaria est. — Mortificanda est memoria, ut, dum exhibet species commissorum olim peccatorum delectabilium, statim, dum ultro incidunt, memoria illico vel penitus avertatur, vel dolor, aut contritio, aliique boni actus virtutum eliciantur, delectabili objecto totaliter rejecto.

b. Mortificanda est memoria, ne sibi imaginetur honores, bonorum possessiones et delicias, quibus saeculares fruuntur; quia horum recordari mera vanitas et periculum est, mentem

nocive distrahens, divinas gratias et delicias animae spirituales impediens apertumque praebens signum, quod quis ad hujusmodi adhuc inordinato affectu feratur. — Mortificanda est memoria, ne penitus inutilium, vel otiosorum, aut prorsus impertinentium recordetur, aut similia sibi imaginetur; quia sicut de verbo, ita et de cogitatione otiosa voluntarie habita aliquando reddenda erit ratio.

c. Tenenda est mortificatio memoriae, ne quis tempore orationis, meditationis, et aliorum divinorum praefatis, vel aliis, etiam ceteroquin utilibus, e. gr. ad suum officium pertinentibus inhaereat, sed eas, quamprimum advertit, ocius dimittat, firmiter credens, quod, si etiam illas, quae utiles videntur, ex reverentia Deo sub oratione debita dimittat, Deus easdem, vel multo meliores congruo tempore sit immissurus; — excipe, si quis in oratione ad aliquid in officio suo agendum lumen aut auxilium peteret.

d. Cohibenda est memoria, ne amplius recordetur injuriarum, offensarum etc. sibi illatarum. Quodsi ultro aut subito incidant, cito expellantur, actusque humilitatis et charitatis exerceantur breviter orando, aut piam mentis elevationem etc. formando pro suo adversario, simulque cogitando, nullam sibi factam esse injuriam, sed haec et longe graviora adversa propter sua peccata se esse promeritum, indeque adversarium non nisi instrumentum justitiae divinae fuisse. — Econtra memoria adigenda est, ut saepius recordetur, et memor sit propriae suae vilitatis, malitiae, tepiditatis, imperfectionum et peccatorum suorum, nec non defectuum in virtutibus; quatenus inde quis magis ad propriam sui cognitionem descendat, ex hac vero ad sui vilipensionem et contemptum, sicque ad profundam Deo tam dilectam, nobisque summe necessariam humilitatem perveniat.

e. Frequenter mentem subeat memoria quatuor novissimorum, quia horum recordatio ad varia, praesertim autem ad vitanda peccata perutilis est juxta illud: « *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* » (Eccli. 7, 40). —

Saepe memoria recordetur innumerorum quasi beneficiorum et gratiarum divinarum, praesertim creationis, conservationis, redemptionis, vocationis, protectionis, mirabilis Dei circa nos dispositionis, et providentiae, infinitae misericordiae, aliorumque tum communium, tum specialium, quae quotidie a Deo nobis conferuntur, beneficiorum. Horum enim memoria multum juvat non tantum ad summe debitam gratitudinem Deo exhibendam et augendum amorem erga illum, sed etiam nos cohibet ab offensa Dei, erga nos continuo et tantopere benefici. — Denique memoria frequenter reminiscatur divinarum Perfectionum, ut infinitae Bonitatis, Omnipotentiae, Immensitatis etc., quorum cognitio plurimum ad Dei amorem, et in cunctis perfecte agendum impellit. Praecipue vero Omnipraesentiae divinae, seu Dei semper, ubique, ut in omnibus praesentis saepius meminisse juvat.

§ 6.

De mortificatione sive abnegatione voluntatis propriae.

35. Mortificatio propriae voluntatis est illa, qua adigimus voluntatem nostram ad amplectendum, omittendum, et sustinendum illa, et taliter, quae, et qualiter vult Superior, vel alias disponit, aut permittit voluntas divina, quamvis proprio judicio et voluntati nostrae sint, aut videantur contraria, adversa, molesta, inutilia etc., econtra vero opposita, quae nos vellemus, juxta opinionem nostram, et judicium proprium appareant justa, sancta, magis rationabilia, utilia etc.

36. Mortificatio propriae voluntatis summe praestans, utpote Deo gratissima, animae maxime utilis et meritoria est. Ita concorditer Ss. Patres et Ascetae. Probatur responsio ex variis authoritatibus. Auctor Speculi Disciplinae (cap. 4. n. 1.) ait: « *Tota Religionis perfectio in voluntatis propriae abdicatione consistit* ». B. Climacus (grad. 4) dicit: « *Beatus, qui voluntatem suam mortificavit; nam ad Crucifixi dexte-*

ram constituetur ». Cassianus (l. 4. cap. 4) ait: « *Mortificatione voluntatum exstirpantur atque marcescunt universa vitia* ». Blosius (cap. 2 de Instit. spirit.): « *Nihil Deo gratius offerri potest abnegatione propriae voluntatis* »; rationem addit, « *quia homini nil est carius ipsa voluntate et arbitrii libertate* ». Pergit dein: « *quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriae etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret* ». Similia sexcenta alia testimonia de grandi praestantia mortificationis et abnegationis voluntatis propriae in scriptis fere omnium Sanctorum inveniuntur. Quae omnia confirmat Christus suo sanctissimo exemplo et testimonio, dicens: « *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* » (Joan. 5, 30). Et iterum (Joan. 6, 38): « *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* ». Et, cum Patrem oravit, ut auferret a se calicem, ad eruditionem nostram addidit: « *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat* » (Luc. 22, 42).

37. Ratio autem, cur haec abnegatio et mortificatio voluntatis propriae tam praestans Deoque adeo grata et nobis meritoria sit, jam tacta et allegata est ex Blosio num. praec., videlicet, quia homini nil carius est, quam libertas propriae voluntatis, praesertim si id, quod vult, aut desiderat, proprio suo judicio, tamquam summe justum, rationabile, sanctum, utile, simulque amabile et delectabile, contrarium vero imprudens, irrationabile, inutile, simulque difficile et odiosum apparet. Proinde si, his non obstantibus, voluntatem et judicium proprium amore Dei abnegat, Deique et Superiorum voluntati se humiliter submittendo mortificat; procul dubio id in maximum Dei beneplacitum et sui meritum cedit, cum in tali mortificatione ingens plerumque ex ipsa etiam rei natura reperiatur difficultas, sicque magna sui victoria, teste Ven. Thoma Kemp. (lib. 3. cap. 49) ubi ait: « *Vix est aliquid tale, in quo tantundem mori indiget, sicut videre et pati,*

quae voluntati tuae adversa sunt: maxime autem cum disconvenientia, et quae minus utilia tibi apparent, fieri jubentur ».

38. Mortificatio seu abnegatio propriae voluntatis insuper absolute, et quidem frequentissime necessaria est tam ad peccata vitanda, quam ad acquirendas virtutes et perfectionem, ad pacem et quietem animi. Ita rursus Ss. Patres et Ascetae, quorum tot possent afferri testimonia, ut integer tomus impleri posset. Ratio responsionis est, quia voluntas propria radix innumerorum malorum et impedimentum bonorum est, ac idipsum, quod alias de se bonum esset, coinquinat; consequenter nisi jugiter mortificetur, cuncta susque deque vertit. Audite, dilecti Fratres, solum S. Bernardum acrius ceteris invehentem in propriam voluntatem (Serm. 3, de Resurr. Dom.) ubi scribit: « *Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desaeviet, nisi in propriam voluntatem* »? « *Propria siquidem* (ait Serm. de Verb. Sap.) *voluntas Deum impugnat et adversus eum extollitur. Ipsa est, quae paradisum spoliat et ditat infernum, quae Sanguinem Christi evacuat, et ditioni diaboli subjugat mundum* ». Dein (Serm. 27. de diversis): « *Unde enim scandala* (inquit), *unde turbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem, et temere quod volumus, in corde nostro definientes, si quo modo id prohiberi contingat, aut impediri, continuo etiam in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus* ». Et (ibid. Serm. 12): « *Caveamus a propria voluntate tamquam a vipera pessima et nequissima, et quae sola deinceps damnare possit animas nostras* ». Item (Serm. 71. super cant.): « *Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint; quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia* ». Haec autem omnia, similiaque et dissimilia mala ex una radice pullulant propriae voluntatis.

39. Quaeritur jam: In quibus potissimum, et quomodo in praxi abneganda sit propria voluntas? Resp. In sequentibus, et quidem:

a. Semper et in omnibus, quae facienda aut omittenda sunt juxta praescriptum obedientiae, ita, ut omnia sic agamus, quae ac prout S. Regula, Statuta, praecepta, decreta, jussa, mandata, et voluntas Superiorum statuunt, etiamsi ea quoad substantiam, vel modum, aut quoad utrumque proprio judicio, voluntati propriae, proprioque amori nostro summe forent contraria. Solet autem in his non raro diabolus, mala natura, et inordinatae passiones nostrae Religiosis subditis varias, easque grandes pro diversitate materiae difficultates et imaginationes intrudere et suggerere, in quibus reprimendis et superandis voluntati nostrae, et amori proprio procul dubio vi magna resistendum est, ut abnegata voluntate propria, alienam, Dei videlicet et Superiorum exequendo, id, quod obedientia, tamquam certa Dei voluntas praescribit, exacte adimpleamus. Quodsi amore Dei, et ad obsequendum ejusdem sanctissimae voluntati fiat, incredibili plane cum beneplacito divino et merito nostro mortificatio propriae voluntatis exercetur.

b. Mortificanda est voluntas propria, ut quis juxta obedientiae praescriptum caeco modo se habeat nullatenus indagando, discutiendo, disputando, vel quaerendo, quare hoc, et non illud, quare tali et non alio modo, quare sibi et non alteri fuerit demandatum. Insuper, ut prompte sine dilatione et tergiversatione voluntas se subjiciat, et patienter, sine interna et externa impatientia, sine querela et murmuratione.

c. Est valde nobilis propriae voluntatis mortificatio, qua adigitur voluntas, ut non tantum nil agat, aut omittat contra voluntatem, obedientiam et praescriptum Superiorum, sed etiam ut prorsus nil velit, nil appetat, nihil eligat, aut respuat, sine obedientiae virtute, ac voluntate, aut consilio Superiorum, vel Directorum animae, ita ut nec locum, nec officium, nec aliud quodcumque demum, quis eligat, petat, aut procuret, nec extraordinaria opera pietatis aut devotionis peragat sine praescitu et voluntate Superiorum, consequenter sine obedientiae virtute aut merito. Hanc propriae voluntatis mor-

tificationem sancte practicarunt, eamque etiamnum practicant plerique amatores majoris perfectionis, et merito; tum quia tali modo in omnibus suis actionibus ab omni errandi periculo immunes, et securi sunt de certa voluntate et beneplacito divino, quod in quovis obedientiae munere et actu, qui de mandato, aut saltem voluntate vel approbatione Superiorum fit, infallibiliter invenitur: tum quia sic cuncta alias de se jam bona, meliora, Deo gratiora, et magis meritoria evadant.

d. Sancta voluntatis propriae mortificatio est, qua adigitur voluntas nostra, ut casu et tempore, quo deficiunt, vel haberi non possunt Superiores, in rebus dubiis et quibusvis aliis indifferentibus aliorum potius, etiam aequalium, vel minorum, quam propriam quis sequatur voluntatem et judicium. Hanc mortificationem commendat auctor libelli « Remedium defectuum religiosi » (cap. 4.), ubi suadet: « *In indifferentibus, alterius, quam suam, potius studeat adimplere voluntatem, imo semper in exterioribus actionibus studeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere: et hoc circa omnes studeat observare* ».

e. Praeter mortificationem propriae voluntatis, prout haec opponitur voluntati Superiorum, in praxi frequentissime etiam exercenda est altera mortificatio voluntatis propriae, prout nempe haec opponitur resignationi in divinam voluntatem in omnibus, quaecumque ipsa disponit aut permittit. Hac itaque mortificatione adigatur voluntas nostra propria, ut se humillime resignet et subjiciat voluntati divinae, eam laudando et adorando, semper et in omnibus, quaecumque Deus circa nos vel alios disponit aut permittit, etiamsi talis dispositio aut permissio juxta humanum judicium rationesque naturales (quas pariter abnegare oportet) valde difficilis, aut etiam minus justa et aequa videatur. Quantae vero praestantiae, utilitatis, et meriti haec mortificatio, seu abnegatio propriae voluntatis adeoque conformatio voluntatis nostrae cum divina sit, quantum Deo placeat, ac quantam animae quietem causet, ex se

patet et in omnium vitae spiritualis magistrorum libris legi potest.

40. Porro pro facilius exercenda et practicanda hac mortificatione seu abnegatione voluntatis nostrae propriae, juvat serio considerare mentique alte imprimere: quod prorsus nil fieri possit sine dispositione vel permissione divina, quae semper, et in omnibus quoad substantiam et modum sanctissime, justissime et providentissime procedit, ita, ut etiam ex malis, quae Deus permittit, sciat et intendat elicere bonum, illudque tempore sibi melius viso, actu eliciat, dummodo homo ipse malitiose non impediat, sed debite cooperetur, et humiliter se voluntati divinae resignet. Praeterea considerare oportet, quod finis et centrum creationis nostrae sit, ut ex amore erga Deum in omnibus faciamus, et adimpleamus sanctissimam ejus voluntatem, in cujus perfecta executione, et abnegatione nostrae voluntatis summa consistit perfectio et sanctitas. In praxi optime serviat ex Ven. Thoma Kemp. (lib. 3. cap. 15. n. 2) omni humilitate et plena resignatione in divinam voluntatem sequenti, aut simili modo cor et voluntatem nostram ad Deum dirigere: « *Domine, tu scis, qualiter melius est: fiat hoc vel illud, sicut volueris. — Da quod vis, et quantum vis, et quando vis. — Fac mecum, sicut scis, et sicut tibi magis placuerit, et major honor tuus fuerit. — Pone me ubi vis, et libere age mecum in omnibus. — In manu tua sum, gyra et reversa me per circuitum. — En servus tuus ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi: utinam digne et perfecte* » !

His de mortificatione trium animae potentiarum dictis progrediendum esset ad reliquam mortificationem internam, nempe malarum passionum, inordinatorum affectuum et pravorum habituum seu vitiorum; ast arctum libri spatium hoc non concedit, et insuper, si tres animae potentiae principales bene regulentur suoque officio rite fungantur, reliqua mortificatio interna ordinarie tam difficilis amplius non erit, sed facile consequetur. Hinc sequitur :

CAPUT II.

De mortificatione externa.

Praefatio.

De mortificatione externa hac ex causa fusius hic tractatur, quia aevo nostro de hoc Asceseos puncto rarius tractari videtur, et non pauci Dei Sacerdotes et viri religiosi de lapsis in mollitiem saeculi moribus et de defectu spiritus poenitentiae conqueruntur, quin necessariae mortificationis christianae remedii commemoretur, cum tamen nostri temporis calamitatibus et vulneribus certe nil aliud possit mederi, quam vera hominum poenitentia et poenitens ad Deum conversio.

Vix autem aliquod Asceseos christianae caput difficilius est tractatu quam illud de mortificatione externa; siquidem non solum corrupta natura nostra ab omni sui abnegatione et mortificatione abhorret, et praeprimis sic dicta Ascesis moderna aevique nostri mollities non paucos quoad hoc punctum errores sparsit. Eheu, res jam eo devenit, ut verbum « mortificatio » proferri vix liceat, ut mortificatio externa non raro tamquam res omnino indifferens habeatur, et si de ea tractetur, id ita fiat, ut hujus virtutis exercitium nullam rigoris speciem prae se ferat. — Quam falsa autem sit talis saeculi moderni opinio et doctrina, benignissimus aevi nostri Asceta, P. Frid. Guil. Faber, te doceat [1].

Laudatus hic Asceseos Magister de hoc themate sequentia scripsit: « Verus et perseverans amor erga Deum dari nequit sine mortificatione externa: etenim quidam ejusdem gradus requiritur ad peccatum vitandum et praecepta Dei observandum. Sine mortificatione externa porro etiam non datur

---

[1] In opere suo intitulato: « Progressus animae in vita spirituali », cap. XI.

vera perseverantia in vita spirituali. Utique interna mortificatio praestantior est externa: sed mortificatio interna dari non potest sine mortificatione externa, et haec posterior prius accedere debet; uno verbo: ad vitam vere spiritualem mortificatio corporalis omnino necessaria est, estque error maximus credere, nos internam mortificationem exercere et proprium amorem propriamque voluntatem mortificare posse, nisi etiam corpus nostrum mortificemus ». — Haec celeberrimus Auctor nostris diebus non tantum pro Religiosis, sed etiam pro Fidelibus in saeculo degentibus scripsit.

Sed nos in exponenda hac de mortificatione externa doctrina sequamur Auctorem domesticum, S. P. Francisci Filium, qui secundum probatissimos Ordinis Auctores et Patres, praesertim ad mentem S. Bonaventurae saeculo elapso Germaniae Franciscanis « Scholam religiosam seu Tractatum asceticum universalem, specialiter pro instructione et educatione Juventutis religiosae seraphicae » exaravit, quo plures Germaniae Franciscanae Provinciae in Juventutis suae institutione usi sunt tamquam duce ac norma. Iste Ven. Auctor, ter Minister et Provinciae Bavaricae Pater, non solum nobis ostendit, quid de mortificatione externa senserint Patres nostri, sed etiam quomodo Novitios et Clericos suos in eadem instituerint.

Audiamus ergo praelaudatum Magistrum hanc doctrinam nobis exponentem.

§ 1.

De mortificatione externa in genere.

1. Quaeritur I. *Quid sit mortificatio externa?* — Resp. Proprie loquendo mortificatio externa est illa, qua quis ex motivo supernaturali corpus suum affligit et castigat. Patet definitio ex terminis. Dicitur autem *proprie loquendo;* quia, quamvis etiam quinque sensuum mortificationes passim dicantur externae, attamen non omnes proprie tales, i. e. *ex-*

ternae mortificationes dici possunt, eo quod, dum sensum aliquem externum mortificamus, plerumque non tam ipsum sensum externum, quam internam passionem, inclinationem, affectum, vel aversionem et difficultatem utendi, vel non utendi sensu, v. gr. videndi, audiendi, tangendi etc. mortificemus, ut proin mortificatio externa proprie talis illa duntaxat sit, qua corpus affligitur et castigatur, e. gr. flagellis, ciliciis, rigidis vestimentis, vigiliis, jejuniis, calore, frigore etc.

2. Dicitur autem *ex motivo supernaturali*, poenitentiae v. gr. vel ex amore Dei, aut timore peccati, ut si quis cilicio corpus suum castigat, ut carnem rebellem coërceat, ne peccet, et infinite amabilem Deum offendat, vel si quis flagellis illud diverberat, ut ob peccata commissa poenitentiam agat etc.

3. Quaeritur II. *An et qualiter mortificatio externa sit utilis et necessaria?* — Resp. Mortificatio externa, si debita cum discretione fit, Deo valde grata, et se mortificanti utilis, meritoria, ac nonnunquam etiam necessaria est; praesertim si ex praescripto Superiorum, vel saltem cum praescitu et consensu illorum, vel Confessarii fit. — Responsio patet ex supra dictis de utilitate etc. mortificationis in genere. Confirmatur praeterea exemplis fere omnium Sanctorum, qui varia propter Deum mortificationis opera, et quidem nonnulli horrenda exercuerunt, ex motivo variarum virtutum, tum amoris Dei, praesertim etiam compassivi erga Christum passum; tum poenitentiae ob peccata sive aliena, sive propria, etiam minima; tum ad refraenandam petulantiam carnis, ne haec concupisceret adversus spiritum, idque cum magno meritorum et perfectionis incremento, ut uberius videre et legere est in vita Sanctorum.

4. Dicitur in responsione notanter: *ac nonnunquam etiam necessaria;* cum enim nullus sine peccato sit, omnesque jubeamur agere fructus poenitentiae, et quidem dignos, i. e., proportionatos peccatis commissis juxta illud (Luc. 3, 2): « *Facite dignos fructus poenitentiae* », ac praeterea gravio-

res nonnunquam, praesertim in juventute occurrant tentationes carnis, per mortificationem edomandae ac repellendae, necesse erit, ut subinde externam mortificationem adhibeamus. Hinc concludit et monet S. Paulus (ad Coloss. 3, 5): « *Mortificate ergo membra vestra* ». Et quod verbis docuit, etiam factis se comprobasse ostendit (II. Cor. 9, 27), inquiens: « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* ». Accedit, moraliter vix possibile esse, quin stante corrupta nostra natura, et fomite peccati in peccata varia, praesertim carnis labatur ille, qui ex sensualitate et amore proprio corpus externe numquam mortificat, sed in omnibus universim, puta in victu et vestitu, in somno et quiete, ac aliis juxta sensualitatem delicate et molliter illud tractat: praesertim, cum hujusmodi multum sensualibus hominibus Deus copiosiores et speciales gratias subtrahat, daemon vero majorem potestatem in ipsos exerceat. Unde S. Theresia dixisse fertur, nullum etiam valetudinarium et debilem esse debere, qui non subinde aliqua (subintellige cum debita discretione, et pro tali statu proportionata) mortificationis externae opera exerceat.

5. Dicitur ulterius in responsione notanter: *si debita cum discretione fiat:* discretio siquidem in omnibus est mater virtutum, quae ubi deficit, jam virtus esse desinit. Praecipue vero discretio adhibenda est, ne quis per graviora mortificationis externae opera sanitatem notabiliter destruat, vel se inhabilem reddat ad obedientiae et alia Religionis munera perficienda. Nec attendenda in hoc sunt exempla Sanctorum, extraordinaria mortificationis externae opera exercentium; quia haec speciali instinctu Spiritus S. facta sunt: ut proin eorum opera in hoc ordinarie magis admiranda, quam imitanda sint.

6. Additur denique: *praesertim si ex praescripto Superiorum, vel saltem cum praescitu et consensu eorum, aut Confessarii fit,* tum quia per hoc secure evadimus vitium indiscretionis, necnon deceptiones diaboli, quae subin in usu mortificationum ex propria voluntate assumptarum intercurrere possunt; tum quia, quae de mandato vel voluntate Su-

periorum ex virtute obedientiae fiunt, de certa voluntate divina fiunt, undeque Deo longe gratiora, et nobis magis meritoria evadunt. — Ceterum, his de mortificatione externa in genere supra dictis, in hoc capite jam non de externa mortificatione proprie tali, quae, ut jam supra notavimus, duntaxat illa est, qua corpus affligitur et castigatur, e. gr. flagellis, ciliciis, rigidis vestimentis, vigiliis, jejuniis, calore, frigore etc.; — sed de mortificatione externa in specie, videlicet quinque sensuum externorum agimus.

§ 2.

De mortificatione visus.

1. Quaeritur I. *Quid et quam utilis et necessaria sit mortificatio visus sive oculorum?* — Resp. 1mo. Est ea, qua propter Deum oculos cohibemus a videndis illicitis, periculosis, seu ad peccatum allicientibus, a foedis, item indecentibus, curiosis, inutilibus, ac saepe etiam ab indifferentibus et secundum se licitis; vel econtra, qua oculos adigimus ad ea videnda, quae nobis sunt contraria, in se tamen licita. Descriptio haec ex se clara est, patebitque magis ex praxi, et actibus, quibus ejusmodi mortificationes exercentur, infra (a num. 6 et seqq.) adducendis.

2. Resp. 2do. Mortificatio visus seu oculorum Deo grata nobisque meritoria, et saepe etiam obligatoria ac necessaria est. Patet responsio ex rationibus (cap. praeced. de mortificat. in genere, § 1) allegatis, quae omnia ibi dicta etiam de mortificatione visus, utpote specie illius, intelligenda sunt. Ulterior ratio est: quia oculus valde periculosum membrum est ad peccata, praesertim luxuriae, facile et frequenter alliciens, cum oculi et cordis magna mutuo sympathia sit, ita, ut ex visu facile oriatur concupiscentia: at vero «*concupiscentia, cum conceperit, parit mortem*» (Jac. 1, 15), quod innumeri, etiam ex alias sanctis et piis animabus, lamenta-

bili experti sunt exemplo. Profecto David, vir alias secundum cor Dei, tam turpiter non cecidisset: neque Salomon, nec Samson, nec depravati illi Senes (Dan. 13) in tantum praecipitium corruissent, si ille a femina alienigena, iste a Dalila, hi vero a Susanna oculos cohibuissent.

3. Accedit, quod per immortificatum, vagabundum, et liberum oculorum usum in mente quasi innumerae vanae aliaeque variae generentur species, quibus illa mire distrahitur, a debita devotione retrahitur, ipsaeque cogitationes piae ita impediuntur, vel extinguntur, ut mens ab his abrepta ad pia cogitanda vel meditanda successive vix amplius habilis, nonnisi terrenis, vanis, curiosis etc. occupata maneat: ut proin David merito tam ardenter roget Deum: « *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* » (Ps. 118, 37).

4. Ob idem periculum et damnum incustodiae oculorum venit, quod nullus legatur Sanctorum, nec alius quisquam virtutum et perfectionis verus amator ac sectator fuisse, cui custodia et mortificatio oculorum cordi non fuerit, et curae maximae; inter hos non immerito adducitur S. Petrus de Alcantara, qui mortificationi visus adeo erat deditus, ut per integrum annum in quadam cella habitans ignoraverit, ex qua materia laquearia suae camerae essent, et post tres annos in Conventu emensos Confratres suos, quibus convivebat, non a visu, sed ex solo noverit auditu sive loquela.

5. Quaeritur II. *Qualiter et quando in praxi oculos mortificare et cohibere oporteat?* Resp. Quamvis ubique, et in quavis occasione oculorum mortificatio utiliter practicetur, in sequentibus tamen praecipue adhibenda est; videlicet:

6. *Primo.* Cohibeantur oculi, ne unquam aspiciant inhonestas partes corporis, sive alterius, sive proprii sexus personarum, etiamsi tenerae et innocentis aetatis forent. Hujusmodi enim partium plene deliberatus aspectus, si lascivo animo fit, semper peccatum grave est, si absque tali animo, ex levitate vel curiositate contingit, ordinarie peccatum leve est.

7. *Secundo.* Ob eandem fere rationem cohibere et mortificare oportet oculos, ne memoratas partes etiam in statuis, picturis et imaginibus aspiciant; tales enim figurae sunt vera diaboli retia, ad capiendas incautas animas expansa: estque in illis tanta occulta vis ad malum inclinans, ut teste Aristotele (lib. 7 polit.) etiam ab ipsis Ethnicis prohibitae fuerint imagines sive picturae, quae incitamento ad libidinem esse potuerunt.

8. *Tertio.* Mortificandi sunt oculi, ne unquam etiam in proprio corpore hujusmodi partes sine vera necessitate et rationabili causa aspiciant, idque ob rationem jam repetitam.

9. *Quarto.* Quantum prudenter possibile, fugiendus est aspectus in faciem cujusvis etiam honestae feminae, praesertim formosae, juxta monitum Spiritus Sancti (Eccli. 9, 5): « *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius* »; est siquidem « *mulierum aspectus* », ait S. Nilus Abbas (Orat. 2 adv. vitia), « *sagitta veneno illita, quae ferit animum, et venenum immittit, et quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit* ». Mira sunt, quae Sancti de fugiendo aspectu mulierum scripserunt, et in hoc genere mortificationis egerunt; aliqui per totam vitam alterum sexum secundum faciem non conspexerunt, aliis nec matrem propriam, nec sorores aspicere ausis.

10. *Quinto.* Quamvis subinde mulierem aspicere, vel circumstantiae prudenter admittant, vel occasionaliter, aut subito contingat, tamen indispensabiliter oculi in eo mortificandi et cohibendi sunt, ne unquam oculi figantur in faciem mulierum. Ita suadent et monent fere omnes Sancti, et Asceseos doctores, ac merito practicant cuncti virtutis, castitatis et honestatis amatores. « *Oculi vestri* (inquit S. Augustinus, Reg. ad Servos Dei) *etsi jaciuntur in aliquam feminam, figantur in nulla* ». Ratio est, quia, qui oculos in faciem feminae figit, ordinarie aliquale saltem periculum incurrit; ut proin in hoc oculi indispensabiliter mortificandi sint. Exemplum insigne in hoc dedit S. Joannes Evangelista, qui D.

Birgittae, illuminatissimos ad solis instar habens oculos, apparens dixit: se tantam oculorum claritatem ideo a Deo in coeleste praemium tulisse, quia illos nunquam in faciem B. V. Mariae fixerat a tempore, quo post ascensionem Christi eidem cohabitavit.

11. *Sexto.* Valde utiliter et meritorie avertuntur oculi etiam a splendido ac ornato vestitu mulierum juxta monitum divinum (Eccli. 9, 8): « *Averte faciem tuam a muliere compta* ».

12. *Septimo.* Arcendi sunt oculi a quibuscumque sordibus et rebus foedis ac turpibus, idque non tam ex naturalis nauseae impulsu, quam honestatis etiam et puritatis amore.

13. *Octavo.* Mortificandi sunt oculi, ne voluntarie circumvagentur tempore Divinorum, celebrandae Missae, e. gr. recitandi Breviarii vel aliarum orationum intra et extra chorum; quia voluntaria curiositas, et evagatio oculorum inter Divina voluntariam distractionem causat, indeque ejusmodi oculorum circumvagatio culpa non caret: estque insuper etiam contra reverentiam summe debitam divinae Majestati, cum qua tempore Divinorum agimus et loquimur.

14. *Nono.* Singulariter mortificatos tenere debetis oculos, charissimi! in publicis processionibus, ac ejusmodi piis functionibus, sicut etiam, dum alias publice incedendum, aut coram religiosa Communitate comparendum est idque propter bonum exemplum, et ad magnam aedificationem proximi.

15. *Decimo.* Valde meritorie cohibentur oculi a deliberato aspectu rerum mere curiosarum seu quas videre nulla necessitas, nec aliqua utilitas, vel ratio, sed mera curiositas est.

16. *Undecimo.* Grandi cum merito et beneplacito divino mortificantur oculi, si amore Dei cohibentur ab aspectu illarum, etiam solummodo indifferentium, et in se licitarum rerum, ad quas videndas specialis pruritus et inclinatio naturae habetur, ac ex quorum visu gaudium et oblectamentum percipitur, estque mortificatio haec magis vel minus merito-

ria, Deoque grata, quo est major vel minor inclinatio, pruritus, et desiderium ejusmodi objecta videndi, indeque secutura oblectatio, qua quis se privat ex virtute et propter Deum.

17. Et, quoniam nemo est, qui non saepe, aut ferme quotidie aliquam ejusmodi inclinationem et impulsum hoc vel illud videndi, huc vel illuc circumspiciendi etc. sentiat; sane plurimae nobis suppetunt occasiones usum oculorum mortificandi, indeque Deo placendi, et merendi, variasque gratias divinas exinde acquirendi: quamvis enim ex bono fine, ut e. gr. ad refocillandam aliqualiter naturam, studio, labore etc. defatigatam, eamque aptam reddendam, vel conservandam pro debito Dei servitio obeundo etc. liceat subinde ac conveniens sit, sicut alios sensus, ita etiam sensum visus honesta oblectatione recreare; attamen extra has circumstantias plurimae aliae dantur occasiones mortificandi sensum visus, et quidem absque omni indiscretionis vitio et sanitatis jactura, idque nemine sciente et advertente, consequenter magna cum securitate, absque omni vanae gloriae periculo, indeque purissima cum intentione soli Deo placendi.

18. Jucundum profecto legere est, quam solertes in hoc fuerint, quantaque insuper sancta fraude usi sint veri amici Dei, fervidique virtutum et mortificationis amatores, qui nemine sciente et advertente, sed solo Deo et coelo spectante, varie sensum visus mortificarunt. Sunt, qui in venationibus ibi, ubi videre et aspicere summa foret jucunditas, amore Dei oculos claudunt; alii in comoediis et spectaculis tunc, quando visu magis dignum pulchrumque objicitur, oculos avertunt; alii accurrentibus ceteris ad fenestram praetereuntes, aliaque, quae forte accidunt, videndi causa, equidem accurrunt, sed tamen se cohibent, ita ut ea non videant; alii inspectandis palatiis, aedificiis, hortis, et raritatibus circumeunt quidem cum reliquis, sed, ubi visu magis digna occurrunt, oculos avertunt; alii amore Dei aliquot certas horas, dies, vel septimanas per fenestras domus, vel camerae suae non prospiciunt; alii alios ejusmodi actus mortificationis, quos pie ingeniosus, et sancte

astutus amor Dei ac desiderium eidem placendi facile suggerunt faciunt magno cum beneplacito divino, magnoque sui merito nec sine magna animi consolatione, quae post factam mortificationem, et obtentam sui victoriam plerumque longe major sentitur, quam erat difficultas in mortificatione occurrens; cum quamlibet passionum, et sensuum mortificationem certa sequatur consolatio, quae hoc ipso, quod spiritualis, et ab alto sit, sensualem difficultatem longe superat.

19. *Duodecimo.* Denique valde bona est ea mortificatio oculorum, qua illos dirigimus ad videnda in se licita quidem et honesta, sed passionibus nostris et naturae adversa, e. gr. habes ab aliquo mentem ita aversam, ut illum nequidem aspicere te posse putes, tamen amore Dei, pacis, et charitatis benignis et pacificis oculis illum aspicis: ubi nonnunquam actus heroicus exerceri poterit.

§ 3.

De mortificatione auditus.

20. Quaeritur I. *Quid et quantae utilitatis et necessitatis sit mortificatio auditus.* Resp. I. Est illa, qua aures cohibemus ab audiendis illicitis, periculosis, nocivis, inutilibus, curiosis, ac subinde etiam a licitis et indifferentibus; vel econtra, qua aures praebemus ad audiendum licitum et rectum, nobis tamen auditu difficile, vel taediosum. Definitio haec non indiget declaratione, quia ex terminis patet; patebitque adhuc magis ex praxi, et actibus (num. 23 et seqq.) paulo post adducendis.

21. Resp. II. Mortificatio auditus Deo valde grata, nobis utilis et meritoria, ac saepe etiam obligatoria ac necessaria est. Ratio responsionis eadem est, quae pro mortificatione visus supra (num. 3) fuit assignata; enim vero sicut per visum, ita per auditum transeunt species ad sensum internum, ac mentem obruunt; consequenter si non debite mortificatur aut

cohibetur auditus, sed pro libitu dictis et narrationibus obvie quibuscumque praebetur, mens innumeris quasi repletur speciebus, quibus mire distrahitur, saepe turbatur, inquieta redditur, atque a debita devotione et attentione inter orandum, meditandum etc. impeditur. Praeterea ex immortificato auditu persaepe excitantur passiones ad malum impellentes, et a bono retrahentes.

22. Quaeritur II. *In quibus, et quomodo mortificatio auditus sive aurium in praxi possit aut debeat exerceri?* Resp. Quamvis in plurimis magno cum beneplacito divino, et nostro merito mortificare possimus auditum, tamen specialiter id practice fieri oportet in sequentibus.

23. *Primo.* Quantum in potestate nostra est, cohibendae sunt aures, ne unquam audiant verba vel cantilenas amatorias, aut discursus obscoenos, etiam jocose duntaxat, vel ingeniose tecto modo propositos; tales enim discursus audienti ordinarie, si non graviter nocivi, saltem graviter periculosi sunt, cum audientem peccati gravis reum faciant, si animo lascivo illis attendat. Unde et a SS. Patribus vocantur « *venenum animae* ». Monet propterea Spiritus S. (Eccli. 28, 28): « *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire* ». Quare, charissimi tyrones religiosi! si suo tempore cum et inter saeculares conversando, hujusmodi discursus moveri vobis contingat, vel omnino, si prudenter potestis, disceditc, vel discursum pia quadam dexteritate interrumpentes alio divertite; vel si neutrum potestis, dimissis verecunde oculis sanctam displicentiam ostenditote.

24. *Secundo.* Necessario aures avertendae sunt a graviter detrahentibus famae alterius, etiamsi res vera, occulta tamen sit; quia juxta theologos audire talia peccatum est, nisi consilii, vel alia ex justa causa fiat.

25. *Tertio.* Cohibendae sunt aures a murmurationibus, et male loquentibus de proximo, praesertim vero de Superiore; quia sicut ita loqui, ita etiam audire contra charitatem est, nisi ex justa et rationabili causa fiat. Optimum foret in tali

casu, ut, si commode et prudenter potestis, apud ejusmodi oblocutores proximi facta vel dicta, aut saltem intentionem illius excusetis et bene interpretemini; secus vero discursum divertere, et ita vos exhibere studete, ut (servatis tamen modestiae et civilitatis legibus) alii advertant, vos illibenter audire male loquentes de proximo, sequentes exemplum Davidis, narrantis de seipso (Psalm. 100, 5): « *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar* ».

26. *Quarto*. Insignis, et Deo maxime grata est ea auditus mortificatio, qua quis a male loquentibus de suo inimico, vel adversario aures avertit, et illum modo immediate dicto ex corde excusat vel defendit; cum enim perversae naturae nostrae summopere gratum sit, audire male loquentes de inimicis nostris, utique Deo gratum erit, si in hoc mortificetur perversa natura, et demandata a Christo charitas etiam erga inimicos exerceatur. In quo praeclarum exemplum praebuit S. P. N. Franciscus, qui nunquam passus est, quod aliquis loqueretur sinistre contra inimicos et persecutores Ordinis sui.

27. *Quinto*. Cohibere oportet aures ab adulantibus et laudantibus nos: hoc ipso enim, quod quis tales libenter audiat, gloriam soli Deo debitam sibi quodammodo attribuit, quod admodum displicet Deo, dicenti: « *Gloriam meam alteri non dabo* » (Isai. 42, 8). Quare, si laudamini, charissimi! vel aures avertite, vel discursum alio divertite, aut bene facta vestra ex vera, non ficta humilitate extenuate, solique Deo in corde vestro laudem tribuite, cogitantes: « *Soli Deo honor et gloria* » (I. Tim. 1, 17).

28. *Sexto*. Mortificandus est auditus eatenus, ne quis indaget, vel secreto ad januas, vel alibi auscultet, quid alii, praesertim adversarii, de se locuti fuerint, vel loquantur; hoc enim semper periculosum est et ordinarie mentis turbationem ac amaritudinem aliasque varias cogitationes distrahentes parit.

29. *Septimo*. Mortificandae sunt aures, ne pronae sint ad percipiendos cunctos saeculi rumores, novellas, et quaevis curiosa. Item avertendae sunt ab illis, quae mentem ex na-

turali compassione, vel affectu erga nostros anxiam, sollicitam et inquietam reddunt, uti sunt persecutiones, adversitates etc., quas sustinere habent nostri propinqui et amici; ab his enim qui aures prudenter non cohibet, fere nunquam mentem quietam et tranquillam, sed ordinarie inquietam, anxiam et sollicitam, vel certe varie et jugiter distractam, indeque ad percipiendas vel retinendas divinas inspirationes, spirituales consolationes, ad debite orandum, meditandum, ac pie conversandum cum Deo inhabilem habebit.

30. *Octavo.* Utilissime et singulari cum beneplacito divino mortificantur aures, non tantum, si cohibentur ab hactenus dictis, sed etiam, si a noxiis abstractae, patienter et humiliter vertuntur ad pie audienda ea, quae sancta et utilia, quae Dei et virtutis sunt, praesertim monita et correctiones Superiorum, ac Directorum spiritualium; graviter enim errant, sibi et sacrae communitati nocent, suaeque tepiditatis et imperfectionis evidens signum praebent, qui bonos, utiles et spirituales discursus fastidiunt, eosque audire nolunt, et, dum alii pias hujusmodi sermocinationes instituunt, illos irrident, ut devotulos contemnunt, hypocriseos arguunt, aut verbo et opere ita perterrefaciunt alios, ut hujusmodi discursus in posterum movere vix amplius audeant.

31. Pariter adhuc gravius errant, qui dicta, monita, jussa, correctiones et instructiones Superiorum et Magistrorum aversantur, illibenter et nonnisi fastidioso et impatienti animo audiunt, easque propterea mente, vel verbis sugillant, male arguunt, contra eos murmurant, aliosve murmurantes libenter audiunt. Hos graves errores, charissimi! mediante mortificatione auditus caveatis, indeque sancta, et utilia, quae Dei, quae virtutis, quae observantiae et disciplinae regularis, quae aedificationis et boni exempli sunt, patienter et humiliter audiatis, necesse est, praesertim dicta Superiorum et Magistrorum: quia verba illorum magnam vim occultam habent; cum Deus per illos tamquam sui Vicarios loquatur, vocique illorum vocem virtutis suae addat, indubie magno cum fructu

illorum, qui ea humili, patienti, benigna et obedienti aure percipiunt.

32. *Nono.* Denique inter optimas, et quasi heroicas mortificationes est, patienter et tranquille audire, si laudantur ii, qui sunt, vel putantur inimici vel adversarii nostri; quod corruptae nostrae naturae valde odiosum et durum accidit, sicque in re adeo difficili, et extraordinarie molesta fiet actus quasi heroicus, si quis adversariorum suorum laudes nedum patienter, pacate, et serena fronte audiat, verum insuper (uti majoris perfectionis amantes faciunt) hujusmodi laudes approbet, easque ulterius augeat atque promoveat.

§ 4.

De mortificatione gustus.

33. Quaeritur I. *Quid, quam utilis et necessaria sit mortificatio gustus?* Resp. 1°. Mortificatio gustus est illa, qua hunc sensum cohibemus non tantum ab inordinato et illicito, sed subinde etiam licito usu cibi et potus. Definitio ex terminis est clara: solum notandum, eum usum cibi et potus esse et dici inordinatum, qui adhibetur contra finem a Deo intentum, vel contra legem Ecclesiae, Ordinis, vel Superiorum, sive dein in mensura et quantitate, sive in tempore et modo: finis autem comedendi et bibendi a Deo praefixus est, ut naturam ob deficientes vires tempore suo reficiamus, confortemus et conservemus: hinc, qui aliter, vel alio fine bibit et comedit, ut e. gr., qui plus, quam natura exigit, qui tempore et modo inconvenienti, qui sumit cibos vel potum naturae nocivos, aut contra prohibitionem Superiorum, semper inordinate utitur cibo et potu.

34. Additur autem in responsione « *subinde etiam licito usu cibi et potus* »; siquidem virtutum et perfectionis religiosae amatores non tantum ab inordinato et illicito, sed etiam a licito usu cibi et potus amore Dei saepe se cohibent, ut patebit paulo post.

35. Resp. 2do. Mortificatio gustus Deo admodum grata, corpori et animae maxime utilis, atque ad acquirendam virtutem et perfectionem absolute necessaria est. Ita sentiunt et docent SS. Patres et Ascetae, adeo, ut plerique hanc mortificationem prae reliquis necessariam commendarint. Inter quos Cassianus (lib. V. de Inst. cap. 3) ait: « *Primum nobis ineundum certamen est adversus gastrimargiam, quam diximus gulae esse concupiscentiam* ». Et juxta S. Gregorium (lib. 30. Moral. cap. 26): « *Neque ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulae videlicet appetitus, edomatur* ». Ratio, praeter dicta de mortificatione in genere, haec est: quia, quando homo sine ulla mortificatione comedit et bibit, quantum, qualiter et quomodo vult, et prout sensualis ac inordinatus appetitus desiderat, plane corpus et naturam non reficit, sed destruit, multis morbis subjicit, seque ad munera vocationis, status, et officii inutilem, vel minus habilem efficit, animam vero peccatis et imperfectionibus quotidie turpiter coinquinat, gratias divinas, et S. Spiritus dona ac charismata impedit, imo ad eadem recipienda, sicut et ad virtutes acquirendas, quasi penitus ineptam reddit, et languidam, ac, quod dolendum, in illum statum se conjicit, ut nulla spes emendationis amplius superesse videatur; cum in gulae vitio semel inhabituati, habitum hunc nonnisi per mortem relinquant, teste lamentabili experientia, de qua ita loquitur S. Basilius (De renuntiat. vitae): « *Multos morbis occupatos ad sanitatem redire vidi; unum vero ex illis, qui clanculum edunt, aut gulosi sunt, non vidi* » etc. Econtra si quis gustum per mortificationem ab inordinato usu cibi et potus debite cohibet, praeter gloriam Dei, quam auget, et magnum ipsius beneplacitum meritaque continua, animam donis et bonis cumulabit, corpus a variis infirmitatibus liberum et sanum servabit, atque ad sibi incumbentia munera pro Dei gloria, propria et aliarum animarum salute habilem se, et facilius aptum efficiet conservabitque.

36. Quaeritur II. *Qualiter et in quibus exerceri in praxi necessario debeat, vel utiliter possit mortificatio gustus?* Resp. In sequentibus:

Primo. Curare, ne quis ex solo naturali vel sensuali appetitu aut oblectamento, pecudum more, statim in cibum vel potum inhiet, sed prius breviter mentem ad Deum elevet, eique gratias ob paratam mensam agens, bonam intentionem comedendi faciat.

37. *Secundo.* Cohibere appetitum, ne nimis avide et festinanter alimenta sumantur, nec, dum unus bolus in ore masticatur, jam manus pro alio extendatur: sed tarda, prudenti tamen, modestia cibi bene masticentur et sumantur; sic enim per mortificationis meritum multum consulitur corporis sanitati, quae econtra praepropera ciborum non bene masticatorum sumptione laeditur; unde monet Spiritus S. (Eccli. 37, 32): *Noli avidus esse in omni epulatione* ».

38. *Tertio.* Non nimium comedere et bibere, sed in ea quantitate, quae pro conservandis viribus naturae necessaria et sufficiens est.

39. *Quarto.* Si plures, quam necessarii, apponuntur cibi, non de omnibus sumere, sed unum vel alterum relinquere intactum, juxta illud (Eccli. 37, 32. 33): « *Non te effundas super omnem escam; in multis enim escis erit infirmitas* ».

40. *Quinto.* Non quaerere vel praetendere cibum lautiorem vel delicatiorem, quam habet religiosa communitas, sed iis, quae apponuntur voluntariis Christi pauperibus, contentum esse; nisi ratione sanitatis consilium medici, aut mandatum Superiorum aliud exigit aut permittit.

41. *Sexto.* Ex cibis allatis illum sumere, quem consuetus Religionis ordo porrigit, etsi forsan portio minor minusque arridens foret.

42. *Septimo.* Perpetua vel ad tempus, aut saltem subinde vel certis diebus abstinere a tali cibo, ad quem natura et appetitus maxime propendet, multum Deo grata, et nobis meritoria mortificatio est. Ubi notandum, hanc mortificationem

etiam in ceteroquin vilissimo cibo fieri posse, si nempe ad talem cibum appetitus magis, quam ad lautiores et pretiosos cibos fertur. Unde errant, qui putant, se nescio quam exercere mortificationem, quod a lautioribus cibis abstineant, dum tamen de reliquo se infarciunt cibis vilioribus, et in iis sumendis appetitui plene indulgent. Hinc ad propositum bene scribit S. Gregorius (lib. 30. Moral. c. 27): « *Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est; unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiae degustamus* ».

43. *Octavo.* Portionem nos contingentem non totam absumere, sed aliquid saltem de illa amore Dei relinquere.

44. *Nono.* Abstinere a primitiis frugum, herbarum, et aliorum ciborum, sive ab illis fructibus, qui prima vice apponuntur, juxta illud (Ezech. 45, 1): « *Primitias Domino* ».

45. *Decimo.* Regulariter et ordinarie non comedere vel bibere extra tempus prandii, vel coenae, nisi necessitas aut alia rationabilis quandoque causa id permittat vel exigat. Sane S. Philippus Nerius hanc mortificationem adeo commendavit, ut dicere non dubitaverit, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempus prandii, vel coenae bibit aut comedit. Cum itaque in plerisque sacris Religionibus laudabilis vigeat consuetudo, qua propter diversam naturarum exigentiam post vesperas moderatus conceditur haustus, multum errant ii Religiosi, qui non ex vera necessitate, sed ex vitiosa bibulositate, vel garritus, aut taedii pellendi causa haustum vespertinum sumunt, indeque habitum plus, quam natura exigit, bibendi successive contrahunt, et procul dubio sanitati corporali et spirituali exinde satis nocent; dum minus ferventes, et devoti, et econtra magis languidi cum neglectu temporis garrientes, et tepidi plerumque evadant; praesertim si majorem, quam concessam a Superioribus portionem sumant.

46. *Undecimo.* Nunquam conqueri contra substantiam vel qualitatem ciborum, aut malam sive defectuosam praepa-

rationem eorum, sed ex virtute paupertatis et humilitatis patienter sustinere defectum.

47. *Duodecimo.* Attendere, ne in majoribus festis, conviviis, et concessis recreationibus excedatur in cibo et potu, ubi plura apponuntur et conceduntur: hinc, ne tunc fiant excessus, singulari vigilantia et mortificatione opus est. Et certe dolendum foret, si ex fraude diabolica, in ipsis majoribus festis, ubi Deum magis honorare quemvis, maxime Religiosum, decet, per excessum in cibo et potu, indeque malas provenientes sequelas Deus magis offenderetur.

48. Si objicis: ad quid ergo sunt convivia et recreationes, si in illis non licet plus comedere et bibere? Resp.: ea multis, iisque licitis ex causis institui; inter quas etiam est, ut animus suis temporibus honeste distrahatur, ac corpus modeste recreetur et reficiatur; unde ex praefato, aut alio bono fine licet, relictis aliis, lautiores et meliores cibos potumque sumere; nunquam tamen licet verum excessum facere; cum omnis talis excessus sit leve, vel grave peccatum pro diversitate videlicet materiae, nempe quantitatis, secundum quam in cibis potuque exceditur.

49. Praeter enarratas insuper etiam pro usu et praxi commendantur mortificationes et praxes illae, quae in capite sequenti (de modestia Religiosa § 4. de regulis in comedendo et bibendo) annotatae sunt.

50. Denique sunt innumeri alii modi mortificandi gulam, quos amor Dei, et virtus facile invenit. Certe legimus de viro virtutibus famoso, quod in comedendo unico ovo ultra triginta vices, etiam nemine advertente se mortificaverit.

§ 5.

De mortificatione linguae.

Etsi mortificatio linguae in omni rigore fors non spectet ad mortificationem quinque sensuum; attamen jure merito

post materiam de mortificatione gustus, haec §. « *de mortificatione linguae* » ponitur, cum ad eundem sensum gustus et locutio reducantur, ut patet ex praxi Ecclesiae, quae in collatione Sacramenti extremae Unctionis sensum gustus circa labia inungendo, hanc adhibet formulam: « *indulgeat tibi Deus, quidquid per gustum et locutionem deliquisti* ».

51. Quaeritur I. *Quid et quam utilis, ac necessaria sit mortificatio linguae?* Resp. I. Est ea, qua cohibemus linguam ab omnibus illicitis, superfluis, inutilibus, indecentibus etc. verbis et sermonibus, ac econtra eam adigimus ad loquendum in cunctis recte. Patet descriptio ex terminis, et adhuc magis ex dicendis (num. 54 et sqq.).

52. Resp. II. Mortificatio linguae non tantum multum utilis, sed absolute etiam necessaria est. Hinc de lingua, quae est omnium membrorum periculosissimum, inquit S. Jacobus Apostolus in sua Epist. catholica (3, 6. 8): « *Lingua ignis est, universitas iniquitatis, . . . inquietum malum, plena veneno mortifero* ». Proin, qui non jugiter cohibet, refraenat, mortificat linguam, saepissime ea delinquet, sibi ac aliis nocebit, nec unquam ad virtutem et perfectionem, aut animi quietem pervenit. « *Si quis putat* », ait porro S. Jacobus (1, 26), « *se religiosum esse, non refraenans linguam suam, hujus vana est religio* ». Unde monet Ecclesiasticus (28, 28): « *Ori tuo facito ostia et seras* »; nam « *os lubricum operatur ruinas* » (Prov. 26, 28).

53. Dum econtra, « *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* » (Jac. 3, 2); et « *qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam* » (Prov. 21, 23), ducetque dies ex omni parte bonos juxta illud (I. Petr. 3, 10): « *Qui enim vult vitam diligere et dies videre bonos, coërceat linguam suam* »; ut proin summe utilis et necessaria sit mortificatio linguae, et quidem quotidie, ac quasi in quovis sermone et discursu, cum continua pericula occurrant, in quibus lingua incaute custodita delinquere et impingere potest: quod bene norunt, et propterea in verbis admodum parci caute cu-

stodierunt linguam suam, quotquot viam perfectionis ingressi sunt. Sic vir secundum cor Dei (Ps. 38, 1. 2) inquit: « *Ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam* ». Divus etiam Petrus de Alcantara (ut de millenis aliis huic mortificationi deditis nihil dicam) per tres annos continuos in ore quosdam deferebat lapillos, ut a verbis otiosis disceret abstinere.

54. Quaeritur II. *In quibus potissimum et qualiter in praxi oporteat mortificare linguam?* Resp. I. Universaliter mortificandam et cohibendam esse, ne unquam quid loquatur contra Deum, vel proximum, vel alias contra conscientiam, aut virtutem aliquam. Specialiter vero coërcenda est lingua, ne transgrediatur regulas modestiae religiosae de debito usu linguae in discursu et conversatione (in capite sequenti § 3 positas): ubi potissimos errores, quos lingua committere solet, adduximus, et regulas contra illos praescripsimus.

55. Resp. II. Ut praedictae et aliae regulae debite loquendi rite observentur, sicque ad hunc finem necessariae mortificationes linguae fiant, omnium maxime observatu necessaria est regula ista, ut peculiari vigilantia et sancto cum conatu arcte cohibeatur lingua, ne statim ex pruritu, inclinatione, affectu, aut passione naturali, vel alias inconsiderate aut superflue, sed considerate, caute et parce, bonoque ex fine et motivo loquatur; cum enim fere innumeri sint modi, quibus errare potest et solet lingua, impossibile est, quin non saepe delinquat, nisi prae omnibus piam consuetudinem et habitum contrahat in cunctis semper considerate et parce loquendi; quia « *in multiloquio non deerit peccatum* » (Prov. 10. 19).

§ 6.

De mortificatione odoratus.

56. Quaeritur I. *Quid sit mortificatio odoratus?* Resp. Mortificatio odoratus est illa, qua hunc sensum seu

nares cohibemus a percipiendis sine justa causa sibi gratis et odoriferis, et econtra ipsum adigimus ad sustinenda etiam sibi ingrata et foetida. Patet responsio ex terminis, et adhuc magis patebit ex responsione ad quaesitum sequens.

57. Quaeritur II. *In quibus et quomodo mortificatio odoratus in praxi virtuose exerceri possit?* Resp. Quamvis odoratus inter reliquos sensus sit innocentior, tamen in pluribus magno cum beneplacito divino, et proprio merito mortificari potest, et, ut mortificetur, decet, praesertim in sequentibus:

58. *Primo.* Cavendo, ne linteola, vel alias vestes balsamo, oleo, aut aliis speciebus odoriferis inungamus ad hoc, ut nos et alii gratum odorem sentiamus, quod Religiosos dedecet maximopere, et plane turpissimum et aperte est signum hominis nimis sensualis et effeminati; indeque minime virtutis odorem, sed vitii foetorem apud alios diffundet, seque non solum non acceptum, sed odiosum et contemptibilem apud alios merito reddet.

59. *Secundo.* Cohibendo, ne quis flores in hortis decerpat, eosve, vel alia odorifera circumferat, eisque identidem odoratum recreet.

60. *Tertio.* Ne quis suffitu, praesertim nimis exquisito, in sua habitatione utatur, nisi necessitatis vel honestatis ratio aliud suadeat moderate faciendum.

61. *Quarto.* Abstinendo a non necessaria sumptione tabaci, utpote qui saepe saepius superflue, et non nisi ex mera consuetudine sumitur: vel, si verae necessitatis causa, aut ex praescripto medici illum sumere oportet, cohibendo se, ut nunquam excessive, sed raro, et moderate sumatur. Pro ulteriori motivo sit, quod ii, qui semel, vel subinde duntaxat illum ab initio sumere inchoant, vix amplius cessent, sed potius successive semper saepius, et ita frequenter sumant, ut paulatim contrahant sibi nocivum habitum, et ad excessum vix amplius deponendum deveniant. Sane satis superque experientia teste constat, omnino paucos hodie esse, qui tabacum sine excessu et abusu sumant, vel jam assuetum nimis excessive eundem

sumendi modum iterum deponant; bene vero plerosque in eo inveterascere, indeque evenire, quod non pauci eorum (fatentibus ipsismet, et dolentibus) excessu hujusmodi debilitent memoriam, vocis bonitatem destruant, sanitatem diminuant, aliaque mala incurrant.

62. Quodsi ad obviandum ejusmodi noxiis excessibus in aliqua religiosa communitate vel instituto ea foret laudabilis observantia, mos et constitutio, ut nulli Novitio vel Clerico, nisi de licentia medici, usus tabaci liceret, cavendum foret, ne fictis, vel insufficientibus rationibus a medicis consilium, vel attestatum de necessitate, utilitate, vel exigentia naturae sumendi tabacum quispiam expracticet; praesertim cum medici in hoc passu faciliores sint, rationes in contrarium, quae apud Religiosos militant, forte minus pensando et attendendo.

63. *Quinto.* Denique valde meritorie mortificatur odoratus, graveolentiam et foetorem patienter et humiliter sine querela propter Deum sufferendo, casu, quo ob animarum salutem, vel aliud pium opus, aut ob aliam occasionem illum sustinere necesse sit.

§ 7.

De mortificatione tactus.

64. Quaeritur I. *Quid, et quam necessaria sit mortificatio tactus?* Resp. I. Mortificatio tactus est ea, qua sensum tactus active et passive cohibemus ab illicitis, periculosis, inhonestis, indecentibus ac etiam subinde licitis: ac econtra adigimus ad sustinenda dura, dolorosa etc. Responsio ex terminis clara magis adhuc patebit ex subjungenda mox praxi, et variis modis hujus mortificationis. Solum notanda sunt verba: « *active et passive* »; quia sensus iste non tantum coërcendus est, ne quid active male tangat, sed ne illicite, periculose etc. ab aliis tangamur, adeoque ne etiam passive se male habeat.

65. Resp. II. Mortificatio tactus non minus ac aliorum sensuum necessaria est. Ita communiter Ascetae. Ratio est: quia hic sensus ex periculosissimis est, proin cauta ac circumspecta vigilantia et custodia coërcendus. Hic S. Basilius (lib. de vera Virginit.) scribit, esse: « *Tactum omnium sensuum perniciosissimum, et saevissime blandientem, sensusque reliquos ad voluptatis illecebras pellicientem. Hic enim, toto cum sit diffusus corpore, per omnem superficiem adversus animam saeve dominatur* ».

66. Quaeritur II. *Qualiter in praxi mortificatio tactus exercenda sit?* Resp. Quamvis in plurimis mortificatio tactus fieri partim sanctissime possit, partim necessario debeat; attamen specialiter in sequentibus exercenda est.

Primo. Ne quis unquam nedum alterius cujuscumque sexus, sed ne in proprio quidem corpore, partes inhonestas, praesertim nudas, sine vere coram Deo subsistente necessitate, tangat. Quae mortificatio apud Religiosum tam constans et firma esse debet, ut mori potius paratus sit, quam huic mortificationi contrarium agere unquam attentet.

67. *Secundo.* Ne quis aliam personam, etsi proprii sexus, etiam in partibus honestis, e. gr. manu, aut facie, sine vera ac rationabili causa vel necessitate tangat. Hanc mortificationem omnes veri amatores castitatis sedulo observant.

68. *Tertio.* Constanter et inviolabiliter se cohibere, ne quis alterius sexus personas, quantumvis forent personae consanguineae, v. gr. matrem, sororem etc. etiam in partibus honestis, e. gr. facie, vel manibus tangat, vel ab eis se tangi permittat. Contrarium faciens, vel permittens minorem integerrimae castitatis amatorem se exhibet.

69. *Quarto.* Sub nullo etiam pietatis, devotionis, amicitiae etc. praetextu manus alterius sexus comprimere, vel permittere, ut ab hoc id sibi fiat. Contrarium facientes periculo mali ordinarie et merito subjacent.

70. *Quinto.* Magis se cohibere, ne quis sub quocumque tandem pietatis praetextu, feminam ad faciem, vel manum,

quam diabolum osculetur; cum minus hunc quam illam osculando periculum interveniret lascivitatis.

71. *Sexto.* Omnibus modis cavere, ne quis sub quocumque tandem praetextu (etiamsi tantum joci causa id fieret) osculum a muliere in facie recipiat. Contrarium voluntarie permittens, non tantum suspectus, sed et reus lascivae mentis ordinarie merito censendus est.

72. *Septimo.* Quamvis subin mulieres devotae Sacerdotum et Religiosorum, praesertim Confessariorum suorum manus ex innocenti ductu pietatis, confidentiae et reverentiae erga characterem sacerdotalem publice soleant osculari; attamen sancta, Deo valde grata, meritoria, ac integerrimae puritatis conformior praxis ac mortificatio est, id debito modo cavere ac impedire, neque, ut fiat, permittere; prout a pluribus virtutum, praesertim vero castitatis singularibus cultoribus cum maxima aedificatione ac utilitate sancte practicatur. Quae cautela et sanctae mortificationis praxis et vobis cum tempore observanda, plurimum commendatur, charissimi! assecurando, inde non fore, quod notam inurbanitatis incurratis, vel confidentiam earundem erga vos in rebus conscientiae diminuatis. Certo hanc, et piam de vobis aestimationem adaugebitis, praesertim si cum modestia et prudentia id declinetis, vel etiam dicatis, vos id nunquam permissuros, eo quod Deo gratius, virtuti, et Sanctorum exemplis conformius sit, ejusmodi devotionem omittere.

73. Praeter hactenus enarratas plurimae aliae possunt fieri mortificationes tactus, quibus modo ab hoc, modo ab illo tangendo, arripiendo etc. amore Dei abstinere possumus, quos modos memoratus Dei et virtutis amor homini bonae voluntatis facile inspirabit et suggeret.

74. Porro mortificatio tactus non solum in abstinendo consistit, sed etiam in adigendo eundem ad sustinenda dura et dolorosa, prout in responsione ad num. 64. data notanter expressum est. Qui mortificationis modus potissimum consistit in mortificatione corporis externa proprie tali, e. gr. usu fla-

gellorum, cilicii etc., de qua mortificatione jam supra « de mortificatione externa in genere » adnotanter actum est.

CAPUT III.

De modestia religiosa.

Cum mortificatione interna et externa intime est conjuncta « modestia religiosa », cujus juxta SS. Patres et Asceseos Magistros notio est amplissima; etenim non est una quaedam ex virtutibus christianis, sed potius complexus multarum virtutum: scilicet in se continet decorem, pudicitiam, morum integritatem, internam et externam humilitatem, mansuetudinem, veracitatem, simplicitatem, prudentiam, gratam commodamque voluntatem officiosam, ac praesentiae Dei memoriam ejusque continuum exercitium. Modestia religiosa has virtutes secum non habens, aut est ficta seu simulata, aut certissime sine constantia et perseverantia.

Ex dictis patet, fundamentum hujus modestiae esse quendam sanctum timorem et laudabilem verecundiam, quae ex interna mentis recollectione aut ex practica ardentique praesentis Dei memoria oritur ac precibus jaculatoriis piisque suspiriis nutritur et conservatur. —

§ 1.

De natura, praestantia, utilitate et necessitate modestiae et civilitatis religiosae externae.

1. Quaeritur I. *Quid ad propositum, quam praestans, utilis et necessaria sit modestia, sive civilitas religiosa externa?* Resp. I. Eam varie et nominari, et definiri a SS. Patribus et Ascetis, ita tamen, ut cuncta nomina et definitiones fere idem significent: nam auctor [1] Speculi disciplinae secun-

---

[1] Hic probabilissime fuit Bernardus a Bessa, Secretarius S. Bonaventurae.

dum Hugonem p. I. c. 7 vocat *disciplinam*, et sic definit: « *Disciplina religiosa est omnium membrorum motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione* ». Ab aliis vocatur *honestas* et definitur: Honestas est spiritualis quaedam in actionibus pulchritudo et decor. Ab aliis appellatur *civilitas*, et a nonnullis *humanitas;* communiter autem vocatur *modestia religiosa*, quae bene definitur dicendo: Modestia est verborum, actionum et motuum exteriorum totius corporis debita moderatio; vi hujus enim Religiosus non tantum in suis verbis, discursu et conversatione, sed etiam in aliis actionibus et motibus exterioribus ita se exhibet, ut nil inhonestum, aut inurbanum, nil dissolutum, nil scandalosum, aut indecens in eo externe, sed in cunctis modestus, verecundus, maturus, humanus, humilis et mansuetus: uno verbo, irreprehensibilis, indeque merito amabilis, et aedificativus appareat, adeo, ut disciplina et modestia religiosa externa vere omnem externam virtutem, praesertim honestatem, verecundiam, humilitatem, mansuetudinem, veritatem, sinceritatem, prudentiam, humanitatem et civilitatem comprehendat, uti magis patebit ex sequentibus.

2. Resp. II. Modestia, civilitas et reliqua disciplina religiosa externa, a communi Sanctorum Patrum et Ascetarum consensu adeo semper fuit aestimata et commendata, ut una ex virtutibus non tantum Religioso, sed et toti Religioni summe proficuis, et necessariis tum ad propriam, tum aliorum salutem procurandam, merito reputetur. Rationem de propria salute allegat auctor Speculi disciplinae ex Hugone l. c. c. 7: Quia « *disciplina* », inquit, « *est malorum desideriorum carcer, frenum lasciviae, elationis jugum, quae domat intemperantiam, levitatem ligat, et omnes inordinatos motus mentis suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis; ita quoque, dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur, et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinae custodiam mali motus foras fluere non sinuntur* ».

3. Ratio autem de salute proximi est: quia nulla virtus Religionem, et Religiosum adeo commendat, nulla aestimationem, et famam ejus ita procurat, amorem et affectum conciliat, nulla proximum ita aedificat, et ad imitandum disponit, ac modestia et disciplina religiosa externa; sicut econtra nil Religionem et Religiosos adeo contemptibiles, atque ad Dei gloriam, et salutem aliorum procurandam ineptos reddit, ac defectus disciplinae et modestiae externae, vel vitia ei opposita, qualia v. gr. sunt dissolutio, scurrilitas, multiloquium vel stultiloquium, clamorositas, contentio, ira, falsa politica, inurbanitas, temeritas, jactantia etc.

4. Experientia etiam constat, eam Religionem et Religiosos magis aestimari et amari, indeque ad Dei gloriam et proximi procurandam salutem magis idoneos esse, in quibus major viget modestia et disciplina religiosa externa; quia homines judicant, et moventur secundum ea, quae externe apparent, nec immerito; cum juxta S. Bonaventuram externa compositio corporis sit indicium devotae et compositae mentis, ac hominis interne bene disciplinati, eo quod homo interne male constitutus, aut indisciplinatus, externam disciplinam et modestiam, quantumvis velit, diu simulare non possit, quin interni defectus et mali affectus indisciplinatae mentis, inordinatorum affectuum, passionum, aut malorum habituum passim se prodant et externam disciplinam, ac modestiam, quam prae se ferre ad tempus videtur, commaculent. Hinc S. Bonaventura De sex alis Seraphim c. 2. n. 11. ait: « *Cavenda est negligentia exterioris disciplinae, quae pro decore Religionis, et habilitatione profectus spiritualis statuta est; cujus desertio signum est neglectae conscientiae, et interioris levitatis* ». Pariformiter de praestantia, utilitate et necessitate modestiae et disciplinae externae loquuntur alii SS. Patres.

5. Principaliter vero ipsa Scriptura Sacra, exemplum et doctrina Christi, B. V. Mariae, S. P. Francisci, et aliorum praestantiam, utilitatem et necessitatem nobis innuunt, et ad eam amplectendam non tam movent, quam trahunt. « *Induite*

vos », inquit Apostolus (Coloss. 3, 12), « *sicut electi Dei, sancti et dilecti, benignitatem, humilitatem, modestiam* »; et ad Philipp. (4, 5): « *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* »; item I. ad Thessal. (4, 10 et 11): « *Rogamus vos fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut quieti sitis, et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt* ». Dein variis in locis Doctor gentium commendat nobis humanitatem et urbanitatem debitam (quae est pars modestiae, ac disciplinae religiosae), dum (Rom. 12, 10) vult, ut simus « *Honore invicem praevenientes* »: et reddamus debitum « *Honorem, cui honorem* » (ibid. 13, 7). Pariter mansuetudo, et humilitas tamquam partes disciplinae et modestiae religiosae passim nobis commendantur; sic enim Ecclesiastes (3, 19) monet: « *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris* »; Prov. (3, 24): « *Mansuetis dabit gratiam* »: Ps. (36, 11): « *Mansueti delectabuntur in multitudine pacis* »; et Prov. (22, 4): « *Finis modestiae, timor Domini, divitiae et gloria et vita* ».

6. Sane, Christus Dominus inter alias virtutes specialissime amabilem et imitabilem etiam externe se exhibuit in modestia, mansuetudine et humilitate, eaque homines ad sui amorem et imitationem efficacissime traxit, adeo, ut Apostolus aliquos serio adhortari, et convertere volens, credensque, non esse efficacius medium aliquem movendi et trahendi, quam per vel cogitatam duntaxat modestiam et mansuetudinem Christi, utatur illis verbis: « *Obsecro vos per mansuetudinem, et modestiam Christi* » (II. Cor. 10, 1). Porro amantissimus Salvator sicut factis, ita verbis modestiam, mansuetudinem et humilitatem nos docuit, signanter volens, ut has virtutes ab eo disceremus, dicendo: « *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* » (Matth. 11, 29).

7. Mirabilia sunt, quae de modestia, mansuetudine, benignitate et honestate externa B. V. Mariae scribunt SS. Patres: paucis complectendo, erat perfectissima imitatrix mode-

stissimi et mansuetissimi Filii, ita, ut sicut ex hujus, ita etiam ex illius solo aspectu, ad amandam et imitandam amabilissimam modestiae virtutem homines moverentur.

8. De S. Patre nostro constat, quod tantae fuerit modestiae, ut ex solo etiam illius aspectu magis conversi fuerint homines, quam ex concionatorum multorum eloquentia, prout et ipse modestum, ac exemplarem incessum, et vitam, concionem omnium optimam nominavit, et ita incedendo concionari se dixit. Unde virtutem modestiae et disciplinae externae summe aestimans, eam Fratribus suis in Regula summopere commendavit, et observandam proposuit, volens expresse cap. 3. Reg.: « *Ut non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent, sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet* ». Quibus plane divinis verbis virtutem modestiae religiosae et disciplinae externae, partesque illius pulcherrime expressit, et, ut servarentur, cordialissime et efficacissime rogavit, ac voluit, urgendo: « *Consulo, moneo et exhortor Fratres meos* »; et quidem: « *in Domino JESU Christo, ut sint mites* » etc.

9. Quare, charissimi! si pacem et quietem animae vestrae cum ingenti merito habere, si Dei gloriam, et salutem proximi efficaciter promovere, si Religionis, et vestram etiam famam, ac honorem conservare, et promovere, si coram Deo et hominibus accepti esse velitis, semper et ubique maxime cordi habete, amate et observate modestiam, honestatem, mansuetudinem, civilitatem et disciplinam religiosam externam: memoriae alte imprimite, et in praxin ac habitum deducere studete eas, quas tum generales, tum particulares subjungemus, regulas.

10. Quaeritur II. *Ubi, et a quibus modestia et disciplina religiosa sit observanda?* Resp. I. Ea semper quidem et ubique, etiam dum soli sumus, praecipue tamen in publico coram aliis, et ibi est studiose observanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonae imitationis exemplum, prout recte docet Speculum disciplinae p. I. c. 7 di-

cens: « Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen, et magis sollicite ibi est servanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonae imitationis exemplum »; ubi postea merito subjungit: « saepe tamen etiam illa (ad modestiam et disciplinam externam spectantia), quae in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis usum exposcunt; quia, si prorsus ea in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus, et tunc aut prorsus a disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut inepte id, quod in nobis non est, simulare conantes, irrisionem excitamus ».

11. Quare in Christo admonemini charissimi, et in Domino rogamini, ut, dum etiam soli, et extra conspectum Superiorum, vel aliorum estis, omnem modestiam, mansuetudinem, honestatem et disciplinam in verbis, moribus et actionibus externis juxta regulas infra ponendas observetis, honore, obsequio, et charitate invicem praevenientes etc., quia certum est, quod, qui in claustro immodestus et indisciplinatus esse assuescit, etiam coram aliis, et in publico, talis futurus sit.

12. Resp. II. Disciplina et modestia religiosa externa ab omnibus et singulis, praecipue tamen a iuvenibus Religiosis exacte est custodienda: quod ab omnibus, etiam senioribus et Superioribus sit observanda, suadent paulo ante dicta: quod vero specialiter a iuvenibus servari debeat, varie in *Speculo disciplinae* demonstratur, ubi inter alia p. I. cap. 5 dicitur: « *Religionis confusio juvenis praesumptuosus et effrons* »; dum econtra de disciplinato, modesto et verecundo dicat S. Bernardus Serm. 87. super Cantica: « Quod amabilius verecundo adolescente? quam pulchra haec, et quam splendida gemma, verecundia morum in vita, et vultu adolescentis? quam vera, et minime dubia bonae nuntia spei? bonae indolis index? virga disciplinae, expunctrix malorum et propugnatrix puritatis innatae, specialis gloria conscientiae, famae custos, vitae decus, virtutis sedes, virtutum primitiae, naturae laus, et insigne totius honesti »? Quis non moveatur

a tanta laude, et fructibus modestiae et verecundiae in iuvene Religioso?

§ 2.

De regulis modestiae, civilitatis, et disciplinae religiosae externae in communi.

13. Apud omnes in confesso est, de modestia et disciplina religiosa externa exactissime simul et sanctissime scripsisse in suis opusculis Doctorem nostrum Seraphicum S. Bonaventuram, adeo, ut plures Religiones spiritum, prudentiam et doctrinam hujus viri tamquam vere seraphicam, et divinitus inspiratam admirantes, ex dictis opusculis, necnon ex Speculo disciplinae ad Novitios Fr. Bernardi, formam et regulas modestiae, ac disciplinae religiosae externae pro suis alumnis desumant, eisque servandas praescribant: et merito, cum vix melius, perfectius et sanctius quid ad propositum excogitari possit, ac solidissima doctrina S. Bonaventurae, quam, sicut in aliis ejusdem tomis, ita in praefatis opusculis diu noctuque legens, et considerans, ac legendo nusquam satiari valens, celeberrimus cancellarius Parisiensis Gerson plenus admiratione et aestimatione hujus viri dicere solebat: « Quanto diligentius in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tanto confusa est garrulitas mea, dixique mecum, sufficit haec doctrina: ut quid stulto labore consumeris? quid dictas? quid scribis? multiplicentur potius, et transcribantur opera Doctoris istius, qui verissimo nomine Seraphicus simul et Cherubicus est; quia inflammat affectum, et erudit intellectum ». Jam

14. Quaeritur. *Quae sint communes et universales, sive generales regulae modestiae, honestatis, civilitatis, et reliquae disciplinae religiosae externae?* Resp. *Prima* generalis et universalis regula est: Attente legere et relegere, bene imprimere, debite observare, et in praxin, seu habitum deducere regulas, et doctrinam, quam de hac materia in suis

opusculis scripsit D. Bonaventura et auctor Speculi disciplinae ad Novitios: quia hanc observantes eritis revera perfecte modesti, civiles, et undique perfecte disciplinati Religiosi: unde, ut primam hanc universalem et principalem regulam observetis, consequenter, ut laudati S. Bonaventurae doctrinam, et in specie Fr. Bernardi Speculum disciplinae ad Novitios attente ac debite tempore a Superioribus praescripto legatis et relegatis, ac in praxin deducatis, nec tantum in Novitiatu et primis annis conversionis vestrae, sed et in quavis alia subsequenti aetate, statu, et officio deinceps constanter observetis, necesse est. Quippe non ideo ad Novitios inscriptum est, quasi pro illis solis serviret, illique soli illud servare deberent, sed ut ex illo Novitii, et alii iuvenes Religiosi primis statim annis instruantur, et addiscant, qualiter reliquo vitae tempore in quocumque statu aut officio modestiam, civilitatem, et reliquam disciplinam religiosam externam observare debeant.

15. Ceterum, quia reliqua opuscula S. hujus Doctoris Ecclesiae et Fr. David de Augusta non omnibus sunt ad manus, ex illis, et ex Speculo disciplinae regulas aliquas communes et particulares pro commoditate, et utilitate vestra compendiose extractae sunt: debita tamen lectio, et relectio Speculi disciplinae impense commendatur.

16. *Secunda* regula universalis: Modestia et disciplina externa non tantum coram hominibus, sed etiam vel maxime coram Deo, et Angelo Custode exhibenda est, ita, ut solus existens tam disciplinate et caste te habeas in visu, gestu, tactu, gressu et omnibus aliis, ac si ab aliquo advertereris. Hanc regulam tradit Fr. David de Instit. Novit. p. I. c. 16, ubi etiam rationem refert illis verbis: « Quia SS. Angeli, qui nobiscum sunt, semper vident omnia opera, quae facimus, quorum aspectus debemus ubique vereri, et praesentiam revereri. Videt nos etiam ipse Deus et Judex noster; videt etiam nos ipsa conscientia nostra, testis eorum, quae facimus, et accusatrix. Qui autem magis veretur hominum aspectus quam Dei,

et conscientiae propriae, et SS. Angelorum, non est castus amator boni, et qui non declinat ex amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris, talis non est verus Christi servus, qui adhuc magis placere cupit hominibus, quam Deo; unde Apostolus: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: cui enim plus doles displicere, ei plus appetis placere: ‚quamvis enim Deus cor potissimum respiciat', omnino tamen decet, ut internae modestiae, reverentiae et disciplinae erga Deum, externa quoque correspondeat ».

17. Accedit, quod, qui quovis etiam occulto in loco ob DEUM, et Angelum Custodem praesentes, in omnibus modestum, reverentialem et disciplinatum se exhibet, praesentis DEI jugiter recordari grandi cum utilitate spirituali assuescat, ac insuper praeter magnum meritum, quod ex quolibet, etiam minimo actu modestiae aut reverentiae erga DEUM habet, id quoque obtineat, quod modestiam ac disciplinam externam facilius et perfectius etiam coram hominibus exerceat. Quare omnis gestus, actio, vel positio corporis, quae coram quocumque homine esset indecora, multo magis coram Deo et Angelis ob respectum et reverentiam erga illos cavenda erit, adeo, ut, licet ob necessitatem, infirmitatem, aut debilitatem naturae multa honeste fieri possint, quae honeste videri non possunt (ut ait S. Bonaventura), tamen etiam in his, ob praesentiam Dei et Angelorum, bene attendi debeat, ut, quantum possibile est, modestia, et honestas observetur.

18. Errant proinde contra hanc regulam, qui, quando a conspectu hominum remoti sunt, in situ, et compositione corporis et membrorum, ac in actionibus suis exterioribus solam sensualitatem, aut commoditatem suam attendentes, sine ullo respectu erga DEUM et Angelum Custodem praesentem, nullas modestiae, honestatis, ac reverentiae leges observant, ne quidem in precibus et conversatione cum Deo.

19. *Tertia* universalis regula est: Quivis modestiae, reverentiae, ac disciplinae religiosae actus, sive coram solo Deo, sive coram hominibus fiat, ex serio, sincero animo, et eo fine,

ac intentione procedat, ad quem a Deo, Superioribus, vel ipsa natura ordinatus est, ita, ut exterior actus cum interno correspondeat, et, ubi finis specialis non constat, saltem ex motivo obedientiae (quia videlicet ita Superior, consequenter Deus vult, et praescribit) vel aedificationis, charitatis, pacis etc. fiat.

20. Errant contra hanc regulam mundanorum plurimi, ubi quidem externos modestiae, urbanitatis, reverentiae, submissionis et sincerationis actus plurimos passim exercent, ac multiplicant, id tamen non sincero animo, nec debito fine, sed plerumque vel ex mera falsa politica, vel ex amore, ac interesse proprio id faciunt, internis cum externis actibus minime correspondentibus.

21. Errant, proh dolor! et plures Religiosi contra hanc regulam, qui ad imitationem saecularium saepe etiam externos aliquos modestiae, civilitatis, et humilitatis actus vel ex solo amore proprio, hypocrisi, vana gloria et ambitione, vel ex alia simulatione, aut falsa politica humana exercent, quam, tamquam Deo summe odiosam, et animae perniciosam, ut tota vita omnibus viribus fugere studeatis, per omnia sancta et animae vestrae salutem enixe rogamini.

22. *Quarta* regula universalis est: In exhibenda aliis, sive nostris sive alienis urbanitate et reverentia, non fiat excessus, nec ad imitationem modi politici saecularis; quia nimia urbanitas, excessivae caeremoniae et complimenta sunt odiosa, et plerumque ex mente minus sincera prodeunt, et modus politicus saecularium Religiosum (praesertim pauperem) undequaque dedecet. Alia siquidem est schola urbanitatis saecularis, alia urbanitatis religiosae. Et saepe, quod in saeculari decorum est, in Religioso indecens foret.

23. *Quinta* regula universalis, eaque bene imprimenda est: In omnibus actionibus nostris externis appareat una cum modestia maturitas, humilitas et benignitas. Haec regula traditur lib. 3 de Profectu Religiosorum c. 11 illis verbis: « Morum disciplina in Religiosis triplici colore decoratur: si sunt maturi, humiles et benigni. Maturi, ut non sint leves ad currendum, nec proni ad risum, vel curiosi, vel verbosi, nec jocu-

latores. Maturitas intus mentem componit, et totum corpus exterius ab insolentia custodit; caput regit, ne leviter hinc inde circumferatur; oculos, ne vagentur; aures, ne curiose auscultent, quae minus expediunt; linguam refraenat ab otiosis et infructuosis verbis; manus ab inutilibus occupationibus; pedes a vanis deambulationibus et indecentibus divaricationibus, et totum corpus ab inquieto motu cohibet, nisi secundum quod ratio exposcit. Humilitas morum deprimit cervicem, humile format responsum, gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter novissimos locat, ostentationis declinat notam, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem se facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad descendendum, difficilem ad indignandum. Benignitas facit amabilem, et compassivum afflictis, tractabilem et exorabilem et flexibilem ad consilia, communicativum sui et suorum, in bono hilarem, et modestum, et jucundum, fidelem et socialem, nullum spernentem, vel temere judicantem, gratum, beneficum, omnibus gratiosum. Benignitas facit, ne austera et dedignabunda putetur. Econtra maturitas temperat benignitatem, ne levis et carnaliter blandiens, vel adulatorie applaudens aestimetur. Temperat humilitatem, ne nimis abjecta, vel affectata videatur. Humilitas reddit imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem ».

24. Visis iis, quae de regulis generalibus modestiae religiosae in communi disseruimus, recto ordine ad regulas etiam particulares, quibus juvenis Religiosus circa debitam compositionem totius hominis exterioris dirigitur, per subsequentes §§. progredimur; unde ponitur

§ 3.

De regulis modestiae, mansuetudinis, urbanitatis, et disciplinae religiosae externae in usu linguae, discursu et conversatione cum aliis.

25. Quaeritur I. *Quae sint regulae modestiae, urbanitatis et disciplinae religiosae externae in loquendo, seu dis-*

currendo observandae? Resp. De his bene agere Speculum discipl. p. I. c. 20 (cujus proin doctrinam attente legatis, bene imprimatis, et debite observetis, oportet, charissimi); pro majori tamen vestra commoditate ex doctrina S. Bonaventurae et aliorum certas quasdam regulas loquendi et discurrendi subjungimus, et sunt sequentes:

26. I. Regula. Nulla locutio, vel discursus, quicumque tandem, fiat cum clamore, seu clamorosa et alta voce, sed cum quadam submissa et suavi, virili tamen, non effeminata, vel affectata voce.

27. Hanc regulam fere omnes SS. Patres ac spiritualium rerum Magistri tradunt et summopere commendant, praesertim auctor Speculi discipl. c. 20. n. 1, ubi ait: « Loquentis sonus debet esse demissus pariter et suavis; quia clamositas et verborum asperitas locutionem Religiosi plurimum quidem et dedecet et deturpat ». Et S. Bernardus ex S. Benedicto clamorosam vocem in loquendo inter gradus superbiae ponit.

28. II. Regula. Quaevis locutio sit mitis et mansueta, id est, a quavis ira, indignatione et impetuositate totaliter aliena. Hanc regulam S. Scriptura et SS. Patres plurimum commendant, et in omni discursu erga omnes omnino observari volunt. « *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes* », scribit S. Paulus ad Titum 3, 2. Et S. Pater Franciscus in Regula sua expresse ordinat, ut Fratres in discursu sint *mites et mansueti;* ac Specul. discipl. l. c. n. 7 hanc regulam maxime servari volens, ait: « Sive Fratri, sive extraneo, sive magno, sive parvo loquantur, semper in ore verbi dulcedinem habeant, omnem ad omnes, secundum Apostolum (Tit. 3, 2), mansuetudinem ostendentes ».

29. III. Regula. Quaevis locutio sit pacifica, id est, sine litigiosa contradictione, vel irreligiosa contentione verborum. Si de re aliqua diversa nobis opinio, sententia, vel scientia est, eaque manifestanda videtur, rationes modeste, humiliter et charitative, absque altercatione proponantur, eo animo, ut suus veritati locus sit, non ut unus alterum confundat, vel

convincat. Hujus regulae observantiam specialissime desiderat S. Pater Seraphicus in Christo JESU adhortans suos, « *ne litigent, vel contendant verbis, sed sint mites, pacifici* » etc. « Indignum penitus servis Dei (ait Specul. discipl. ibid. n. 6) muliercularum more contendere. Si resistentiae incidant verba, cedendum continuo resistenti. Honor est homini, qui separat se a contentionibus (Prov. 20, 3)... Non esse potest, quin contentio aliquid, quod contra conscientiam dicatur extorqueat. Ergo inter DEI servos collatio, non altercatio debet esse ».

30. Contra hanc regulam errant plures, etiam Religiosi, qui diversas inter se opiniones, vel sententias de eadem re pertinaciter tenentes, sine modestia, humilitate et charitate, clamorose ac irreligiose altercantur et verbis contendunt, ita, ut subinde in litigia et mutuas contumelias scandalose declinent, etiam in casu, in quo de materia nullius prorsus momenti quaestio, vel sermo est.

31. IV. Regula est: Omnis sermo sit charitativus, id est, ab omni detractione, contumelia, et alia quavis mala locutione, vel murmuratione de alio (sive praesente, sive absente) penitus alienus; sicut etiam a verbis mordacibus, directe, vel indirecte punctoriis, aut ad alterius confusionem, irrisionem etc. tendentibus. Commendat hanc regulam Fr. David de Instit. Novit. p. I. c. 23 scribens: « Sic loquere de absente, ac si scires eum prope assistere et auscultare. Non timeat te quisquam, quod in absentia sua famam ejus denigres: magnum vitium est Religioso, dicere de absente, quod erubesceret loqui, si audiret »; et cap. 22 ibid.: « Verba tua sint sine compunctione amaritudinis, et obliquae redargutionis, vel irrisionis ». Et S. Pater Benedictus in Regula c. 34: « *Murmurare, aut conqueri nesciant; ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque causa, in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat* », uti citatur in Speculo disciplinae p. I. c. 20.

32. V. Regula est: Quaevis locutio sit humilis, nullam redolens superbiam, praesertim vero omnis, quaecumque tan-

dem jactantia, seu gloriatio de se, vel de suis, diligentissime caveatur. Jactantia siquidem Deo et hominibus multum exosa, privat bene facta meritis, et loco aestimationis, vel laudis, quam jactans intendit, despectum et vilipensionem certissime affert. « Jactantiam », inquit Fr. David de Instit. Novit. p. I. c. 25, « quam diligentissime cave, et nunquam des alicui intelligere, quod aliquid sit in te commendabile: vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin etiam alii intelligant: et si tu taces et abscondis, plus placebis, si autem prodis et commendas, irrideberis et vilesces, et unde prius aedificabantur, inde postea despicient te ».

33. VI. Regula est: Omnis locutio sit quieta, pacata et serena, eodem semper, eoque sereno vultu, sine ullo signo turbatae mentis, inordinatae commotionis, aut passionis, taedii, vel aversionis: sicut etiam sine inordinato membrorum, e. gr. capitis, manuum etc. motu. Haec regula tradit Specul. discipl. c. 20. dicens: « Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate, nec turbulente inter loquendum membra moveat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel alio non decenti alterationis modo vultus honestatem deformet, ... sed in eadem semper vultus constantia permanens, severitatem benignam et constantem et quodam modo rigidam benignitatem praetendat ». Errant contra hanc regulam plures, qui plus manibus, quam ore loquuntur; item, qui tristi, vel melancholica facie apparentes, verba non nisi cum fastidio, vel impatientia proferunt, et inconstante vultu et affectu, modoque loquendi, internam inordinatam et inconstantem mentem satis ostendunt.

34. VII. Regula est: Sermo et discursus quivis omni cum sinceritate et veritate fiat, ita, ut non tantum ab omni politica falsitate, simulatione, adulatione, quovis mendacio, et duplicitate, sed etiam a quavis hyperbolica, ac exaggerativa locutione sit penitus alienus. Hanc regulam ipsemet commendat Spiritus Sanctus (Eccli. 37, 20): « *Ante omnia opera verbum verax praecedat te* »; et praeter alios SS. Patres auctor

Speculi disciplinae, volens, ut ad eam observandam incerta et dubia non absolute proferantur pro certis, aut econtra, sed semper cum aliqua conditione, vel clausula veritatem tuitiva. « Non solum igitur mendacia (ait loco mox cit.), ... verum etiam locutiones hyperbolicas, et aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent; loquentes de dubiis, aut futuris nunquam absolute loquantur, sed in hujusmodi omnibus semper conditionem apponant ». Haec regula eo cautius et exactius observanda erit, quo magis ejus transgressio Religiosum reddit contemptibilem et exosum, eiusque bonam famam et aestimationem plurimum minuit; si enim etiam in saeculari mendacium, falsa, politica, vel affectata verba contemptum pariunt, famamque et aestimationem minuunt, multo magis in Religioso id efficiunt, utpote in quo specialiter turpe esset, in verbis esse mendacem, affectatum, vel falsum politicum.

35. VIII. Regula est: Omnis locutio sit humana, et urbana, erga omnes, suum cuivis honorem deferens, ab omni rusticitate et verbis incultis aliena. Sic etiam vult S. Paulus ad Rom. 12, 10 absolute, « *ut simus honore invicem praevenientes* »; et S. Pater Franciscus in Regula, ut simus « *honeste* (id est, debita cum humanitate, urbanitate etc.) *loquentes omnibus, prout decet* », pro qualitate videlicet status et personae, cui loquimur.

36. IX. Regula est: Omnis locutio sit seria, utilis, vel necessaria, a vaniloquio, nugis, jocis et verbis otiosis aliena. « Otiosa verba... », dicitur p. I. c. 20. Speculi discipl., « non conveniunt religiosae dignitati ». « Nugae », ut ait S. Bernardus lib. 2 de Considerat. c. 13. n. 22, « inter saeculares nugae sunt, in ore Sacerdotis aut Religiosi blasphemiae. Interdum, si incidant, ferendae fortassis, referendae nunquam. Os talibus aperire illicitum, assuescere sacrilegium est; foede ad cachinnum moveris, foedius moves ». Dissuesce a vaniloquio linguam, qui ad profectum Religionis aspiras. Processurus in publicum, praemuni teipsum, et animo statue a verbis inanibus abstinere. Quod si subinde tempore recreationis,

vel distractionis, aut ad exhilarandum proximum ex virtute eutrapeliae jocosum aliquid proferendum videtur, id parce omnino, modeste, honeste et charitative sine ullius offensa fiat.

37. X. Regula est: Nulla locutio juramento firmetur, nisi Judicium vel obedientia id requirat. Nam, ut ait Specul. discipl. l. c.: « Jurare vero nunc per caput, nunc per Sanctos, vel alio quovis modo, Christi (qui ait: sit sermo vester, est, est, non, non) discipulo minime congruit ». Accedit, quod illi, qui saepe jurat, minus credatur, utpote qui ita jurando ostendit, verba sua absque juramento veritatis incerta esse. Debemus esse ita veridici, ut nobis sine juramento credatur.

38. XI. Regula est: Quaevis locutio fiat tarde, cum humili quadam modestia, et suavi gravitate religiosa sine ulla praecipitantia, vel celeritate verborum.

39. XII. Regula est: Omnis locutio sit considerata, matura ac parca, seu nunquam inconsiderate, imprudenter et superflue fiat. Haec regula ad debitam observantiam cujuslibet ex praecedentibus summe est necessaria; qui enim inconsiderate id statim, quod incidit, vel ad quod inordinatus affectus naturalis, aut passio inclinat, sine ulla consideratione effutit, unam vel plures regulas modestiae, urbanitatis et disciplinae religiosae ordinarie violabit, et alios errores cum suo et aliorum damno committet; quia certum est, quod dicit Scriptura (Prov. 13, 3): « *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala* ». Item (Prov. 10, 19): « *In multiloquio non deerit peccatum* »; hinc recte monet Speculum disciplinae cit. cap. 20: « *Sapiens, quando tacendum, quando loquendum sit, prudenter considerat* ». Est autem haec regula specialiter observanda a junioribus Religiosis; nam, ut dicitur in Speculo disciplinae (ibid.): « *Junioribus fratribus fere semper inter seniores usque ad interrogationem tacendum* ». « *Adolescens* », ait Scriptura, « *loquere in tua causa vix, cum necesse fuerit; si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum* » (Eccli. 32, 11. 12).

40. Errant contra hanc regulam, qui statim, quod incidit, vel ad quod passio, aut affectus inclinat, sine ulla consideratione, sive materiae, sive personarum, locorum etc. ex garrulitate, vel inordinato affectu, aut passione, vel ex vana gloria, ut et ipsi aliquid scire videantur, imprudenter, vel praesumptuose effutiunt, praesertim, si etiam multum et superflue loquantur; qui etiam plerumque ex unico tali discursu suam aestimationem, si quam prius habebant, vel perdunt, vel certe plurimum minuunt.

41. Quaeritur II. *Quae aliae adhuc sint regulae disciplinae, modestiae et urbanitatis religiosae in discursu et conversatione cum aliis?* Resp. Esse plures, quarum aliquas ex S. Bonaventura et aliis SS. Patribus, ascesis item, et disciplinae regularis Magistris, de verbo ad verbum quasi desumptas, hic subjungemus, ita tamen, ut ab eorum allegatione abstinentes, breviter tantum ipsam regulam adducamus, usum et praxin illarum vobis impense commendantes.

I. Est, loquente alio nunquam loquaris, nec loquentium verba quovis pacto interrumpere praesumas.

II. Cum qui narrare coeperit quidpiam, non ostendas narranti, te id ante jam scire; multo minus dicta illius corrigas, aut refellas, sed nec aliquibus signis, aut nutibus, et rem probe te intelligere, vane ostentes.

III. Si in privato discursu loquenti cuipiam non protinus verba suppetant, quibus suum compleat sensum, tu non statim suppleas, velut loquenti subveniens, sed vel omnino tace, vel parum exspecta, quatenus interea ipsi narranti incidere valeant necessaria verba.

IV. Si de te, vel tuis, et aliis simul quid narras, te, vel tuos ultimo adducito, v. g. dum Titius, Maevius, et ego eramus ibi.

V. Si dicat, vel committat aliquis quidpiam indecens, verecundiae illius consulens, dissimula te advertisse, et nullatenus errorem commissum importune indica aliis, multo minus subsannando, vel subridendo excipe.

VI. Secreto loquentibus ne te ingeras, vel appropies; sed nec, aliis praesentibus, cum uno illorum secretius ad aurem loquaris; hoc enim nimis offensivum aliorum est, qui te minus sibi fidere exinde facile putant.

VII. Vocaturus aliquem accedito propius ad ipsum; turpe enim est, sibilo de longe, aut nutu manus vocare aliquem, praesertim si sit dignior; nisi nimia distantia, difficilis accessus, vel negotium admodum urgens aliud exposcat.

VIII. Dum alios alloqueris, abstineas ab omni contactu, etiam ludicro et jocoso, non tantum vultus et manus, sed etiam vestimentorum,

IX. Nullum Religiosum solo nomine suo appelles, dicendo v. g. *Vite, accede*, sed appone religiosae praenominationis insigne v. g. *Pater Vite*, *Frater Petre*. Gravioribus vero, et in officio constitutis, titulum juxta leges Ordinis debitum praepone, et ipsum nomen personae omittens, nomen officii appone.

X. Tuisationem et locutionem in secunda persona, *tu*, *te*, *tibi* respectu omnium tam extraneorum, quam confratrum evita: et semper in plurali loquere, nisi puerulus forte sit, cui loqueris. Porro in numero plurali loquens, urbaniori modo utere, etiam inter confratres; consequenter non utaris germanico vocabulo Ihr, Euch, v. gr. Ihr sollt zu diesem gehen; thut Ihr das; ich will Euch's sagen etc., sed adhibe vocabulum, Sie etc.

XI. Solus tecum nec colloquere, nec ride, quia stultorum haec sunt signa.

XII. Colloquens cum altero, vultui illius non nimium appropinqua, sed paululum dista; et diligentissime cave, ne halitus aspiratione in faciem illius insuffles, aut per halitum ipsum forsan foetidum ex indigesto cibo, vel potu, vel alias male constituto stomacho, aut ore provenientem, sensus et nares offendas, quod apprime cavendum.

XIII. Nulli vitia exprobres, nec naturae quidem.

XIV. Si alii de re aliqua contendunt, nulli, nisi quid cogat, accedito; quod sentis, pertinaciter non defende.

XV. Somnia tua nemini, nisi fortasse ex causa rationabili intimis tuis familiaribus referto.

XVI. Verbis linguae tibi ignotae, aut quam non bene calles, non loquere, nisi in re necessaria, aut ut animi tui sensum magis exprimas: vernacula utens, non inconcinne, ut rustici, aut plebeji, sed ut politiores, culte et eleganter, minime tamen affectate, loquere.

XVII. In conversatione non sis morosus et difficilis, sed comis, affabilis et liberaliter, modeste tamen et humiliter officiosus.

XVIII. Dum aliorum colloquio intervenis, non percontare, qua de re sit sermo, sed potius, si eos conticuisse senties, quia tibi referre cogitant, urbane et comiter precare, ut inceptum continuent; econtra, si tibi colloquenti quis intervenit, praesertim vir spectatus et gravis, decorum erit, sermonem habitum compendiose referre, et deinceps totum prosequi.

XIX. Hominum cum hominibus comparationem devita, omnis enim comparatio odiosa: adeoque etiam tunc, si quis ob rem bene gestam, aut ob aliam virtutem laudatur, coram eo alterum de eadem virtute non laudes.

XX. Lacessitus verbo, aut injuriose appellatus nec respondeas, neque te defendas, sed ex superno motivo vel tace, vel rem joco elide, ostendens, te illa modice tangi.

XXI. A superfluis praeambulis et excusationibus de insufficientia tua ad dicendum abstine, et a re ipsa prudenter ordire, et sincere prosequere.

XXII. Qui lingua minus expeditus, minusve eruditus est, ambitiose non semper loquatur, sed potius operam det, ut, quod linguae deest, silentio et auditione, vel modica, eaque prudenti, et modesta locutione suppleat.

42. Quaeritur III. *Quaenam insuper dentur regulae modestiae, honestatis et civilitatis religiosae quantum ad congressum et conversationem cum aliis?* Resp. Esse plures et inter alias etiam sequentes.

I. Regula, bene imprimenda et observanda est: In omni

actione et conversatione tua, quam cum aliis quibuscumque tandem habes, specimen animi, honorifice eos colentis, et quaedam ex sincero animo procedens humilis civilitas et modestia religiosa appareat.

II. In conversatione, vel in conspectu aliorum, etiam inter tua pietatis, et alia negotia aut labores, nullatenus tristem, tetricum, melancholicum, vel taediosum, sed ordinarie serenum, benignum, et modeste hilarem te exhibe. Nam, ut ait S. Leo Serm. 4. Quadrag.: « *Religiosorum modestia non sit moesta, sed sancta* »; hinc tristitia est maxime in Conventu dissimulanda, et semper quaedam in facie hilaritas praetendenda. Ratio inter alias est: quia facies in cunctis serena et quodammodo hilaris, mire aedificat, conversationem humanam gratam, facilemque reddit et ad sanctam imitationem trahit; dum econtra animus et facies, quae vel in conversatione, vel etiam in suis actibus et exercitiis, quamvis alias piis et bonis, tristis, tetricus, vel taediosus apparet, hominem odiosum reddit et conversationem humanam gravem efficit.

III. Quantum potes, cum maturitate, discretione, benignitate et sancta caritate, servatis modestiae legibus, omnibus te accommoda. Exemplo sit S. Paulus, qui, ut ipse scribit I. Cor. 9, 22: « *Omnibus omnia factus sum* ». Pulchre in hanc regulam monet Speculum disciplinae l. c. cap. 30 dicens: « Dabit congruum inter homines modum discretio personarum. Status et qualitas hominum differens differentiam exigit conversandi. Habet se prudens cum differentibus differenter, cum omnibus tamen caute. Erit simplex, non stolidus; humilis, non dejectus; mansuetus, non blandus; hilaris, non lascivus; affabilis, non vaniloquus, aut scurrilis. Quin imo interest sapientis sic, si res exigat, a rigore interdum disciplinae remitti, ut modum tamen modestiae nec in ipsa remissione dimittat. Potest gravitatis censura remitti pro tempore, non dimitti. Imputanda tamen remissio, ubi nulla decentiae vel utilitatis intentio ».

IV. Obdormiscere aliis loquentibus, sedere, dum stant, inambulare, dum immoti manent, loqui, dum tempus silendi est vel audiendi, res inurbanae sunt, atque indecorae.

V. Inscitum et illiberale est, Magistro docente, legere alia, vel agere, sociosve, quo minus attente audiant, impedire.

VI. Inter pares, aut pene pares locum ex omnibus commodiorem tibi ne eligas: ad eum invitatus pugnaciter ne resiste, utere illo modeste ac comiter et ostende, id obsequendi, et contentionibus occurrendi studio te facere, simulque gratias age.

VII. Casu, quo aetate, vel dignitate valde antecellens domi suae, vel alibi digniorem locum defert, decet, ut valde minor id modeste recuset, et valde antecellens studiosius minorem non urgeat, nec plus quam semel vel bis ei digniorem locum deferat, ne magnitudo precum, et crebritas facere adigat, quod non decet.

VIII. Inter aequales, vel fere aequales par est, domi suae alii honorificentiorem locum offerre, quem oblatum primo modeste recusare, iterata autem amici petitioni mox morem gerere decet.

IX. In hominum doctorum, graviumque congressu, levicula in sermonem ne adducito: nec apud indoctos subliniora, quam intelligant.

X. Inter epulas, festave tempora, tristia ne facile commemorato; non diritates plagarum, non immunditiarum spurcitias, nec mortis taedia, quin, si de his sermo aliunde inductus erit, tu, si potes, industrie commutato.

XI. Ubi risui locus non est, ibi cavillari, vel jocari velle, importunum est.

XII. Neminem injuriose, neque joculo, neque extra jocum verbis perstringas. Neminem ludifices, hominum praesertim antecellentium, tametsi ab eo causam acceperis.

XIII. De nullo, et nullius rebus, ulla ratione detrahe.

XIV. Consiliis, colloquiisque ne te immisceas, quibus gratusne intervenias, tibi incertum est.

XV. Tempori, vel auditoribus aliena ne dicito, neque de rebus, si auctoritate princeps non es, sententiam, vel opinionem tuam, nisi rogatus profer; praesertim in congressu, vel consessu hominum gravium, doctorum et te majorum: vel ubi nec tempus opportunum, nec spes utilitatis affulget.

XVI. Intempestive velle adire et colloqui, perinde est, ac agendo nil agere; aut si quid agis, eos quos adis molestia, aut indignatione compellere.

XVII. Dum quis alicui loquitur, cave, auditores tua causa ab eo defluant. Tu audi facilis et attentus, non oculos aliunde intorquens, nec aliud agens.

XVIII. Nil oculis, ore, manibus faciendum indecore, quo res, quae dicitur, exprimatur.

XIX. Si quid narras, longus ne esto, praesertim cum res parvi momenti est, aut sentis, eam parum auditoribus gratam esse.

XX. Quod efficere, aut exequi non potes, in id operam tuam ne deferas; quod spopondisti vero, id serva, atque praesta.

XXI. Quod certo non scis, tanquam certum nunquam assevera.

XXII. Si quid narrare coeperit quisquam, non obtundas narranti, te id jam scire, nec ei rem non rectissime narranti abnutes; neque contra nutes, multo minus dicas: *Non sic res se habet, falleris, sic se habet.*

§ 4.

De regulis modestiae, urbanitatis et disciplinae religiosae in comedendo et bibendo.

43. De his regulis attente lege, et observa doctrinam et regulas praescriptas in Speculo discipl. p. I. c. 21 et 32. Ex quibus, uti et aliis sanctis Patribus, Asceseos et morum Magistris sequentes regulae in specie desumptae, vobis utiliter observandae traduntur. Et quidem circa comestionem

44. Quaeritur I. *Quae sint regulae modestiae, urbanitatis et disciplinae religiosae in comedendo?* Resp. Inter alias esse sequentes.

I. Ante omnia bona intentione, bonoque proposito et gratia divina comedendi, uti decet et Deo placet, breviter praemissis, inviolabiliter observandum, ne nimis avide, ardenter et festinanter, sed tractim et tarde, ac modeste comedas, ita, ut, dum unum cibum adhuc masticas, aut in ore habes, pro altero manum non porrigas, nec dividas, vel praepares, multo minus in os immittas.

II. Comedendo labiis sonum edere, et dum cibus masticatur, labia diducere, et os aperire, ita, ut ab aspiciente cibus cum nausea videri possit, turpissimum et summopere cavendum est.

III. Inter comedendum nec caput, nec humeros, nec pectus ad cibum incurves, aut inclines, neque pectus commoditatis causa pigre dimittas, sed capite et pectore erecto, posteriore corpore ad parietem ita prope te colloces, ut erectus sedere valeas, capite nonnisi valde modice demisso.

IV. Cave, ne manducans cubitos supra mensam ponas, vel etiam anteriorem partem brachiorum nimis ad mensam protendas, sed ita manus teneas, ut ultra primam juncturam illae ad mensam non extendantur.

V. Non utaris omnibus digitis ad obsequium comestionis, sed indice solum, et pollice, ita tamen, ut alios interea velut alas ad volandum extensos, non extendas, illisque gesticuleris; hoc enim vanam et muliebrem levitatem redolet.

VI. Cave, ne nimis immundes digitos immittendo eos cibis liquidis, aut olera nudis articulis cochlearis vice piscando.

VII. Inunctos digitos, vel cochlear, vel cultrum, aut fuscinulam nimis extensa lingua non lambas, multo minus in vestimento, sed mappula abstergas, quam tamen, ne multum immundes (quod sedulo cavendum) ore, frustulo panis, vel in pane prius crassiores maculas cochlearis, cultri etc. abstergas; ita tamen, ut partem, seu superficiem panis sic inunctas mox comedas, vel scutellae pro eleemosyna immittas. Inter

honestatis, modestiae et urbanitatis defectus in comestione cavendos, numerat S. Bonaventura insuper sequentes.

VIII. Ossa piscium, et similia ex ore super mensam projicere, cum haec digitis honeste excipi, et ad partem seorsim poni debeant.

IX. Super potum, vel cibum quemlibet sufflare; offa enim, vel jusculum nimis calidum prius temperari potest, illud cochleari sensim modeste commovendo, si in scutella particulari solus habes, alias, donec cibi parum frigescant, paulisper exspectandum; nec olfacito cibum ad mensam, et, si quem forsan olfeceris, dehinc ceteris non appone.

X. Os cibo copioso, vel bolo majori ita implere, ut tubam inflanti sit simile, et diutius incapax ad loquendum, si subito interrogetur.

XI. Loqui, dum cibus adhuc in ore est.

XII. Ossa radere, et dentibus carnem ossibus adhaerentem avellere, quod cultro faciendum.

XIII. Dentibus quid avellere a pane, carne, caseo, vel alio cibo, etiam fructibus.

XIV. Ante faciem simul sedentium pro sale, vel aliis necessariis manum super mensam extendere et eorum cibum manicis et habitu tangere, cum distantia, ut ab aliquo porrigantur, modeste rogari debent: salem propinquus ipse si accipis e salino, vide, ne cultro inuncto id facias.

XV. Nuces alii, quam sibi dentibus frangere; imo cavendum, ne unquam nuces super mensam dentibus frangantur, aut ossa, vel alii duri cibi ictibus sonoris concutiantur.

XVI. Cave etiam summopere, ne jusculo, vel alio cibo cochlear ita oneres, ut ex utraque parte defluente cibo te et mappulam perfundas, et notam inurbanitatis incurras. Pro quavis macula magis cavenda, in sinistra manu bolum panis tene, in eaque cochlear cibo praesertim liquido oneratum, ne diffluat, aut decidat, paululum deterge, quo etiam ad onerandum cochlear, cibumque in eo componendum loco digitorum uti poteris, et debebis.

XVII. Cochlear vel cultrum immundum in mappula non reponas, sed prius absterge.

XVIII. Cave tamen, ne mappulam, seu mensale, frequenti, vel superflua detersione cultri, fuscinulae, cochlearis digitorum etc. nimium deturpes, vel, quod penitus cavendum, purgandis dentibus applices; foedum enim est, mappas, vel manutergia communia dentium fricatione foedare.

XIX. Panem ne excortices; caseum ne excaveas.

XX. De fragmentis et reliquiis, ut de pane, caseo et aliis, cave, non ultra accipias, ac temperate comedere intendis; de quolibet tamen ferculo semper aliquid in potagio, vel scutella relinquas, id tibi pauperum et temperantiae gratia subtrahens.

XXI. Turpe est, pauperem quaerere cibaria lautiora, et appositis non esse contentum, vel de modo praeparandi indagare, aut disponere; aut potum vel cibum in specie laudare, vel contestari, aut ostendere, dapes, vel potum palato tuo egregie arrisisse: si de his interrogaris, modeste ac prudenter responde.

XXII. Pro una vel altera buccella duntaxat sumenda, partem panis integram non scindas, praesertim, si apud socios jam fractum adhuc superest.

XXIII. Partem ciborum tibi proximam cape, nec meliores, aut majores portiones elige; hoc enim non sapit mortificationem et charitatem erga alios et modicam praesentibus praebet aedificationem.

XXIV. Ad honestatem quoque religiosam spectat, cibum, vel potum nunquam, nisi sedendo sumere.

XXV. Fructus, seu aliud quidpiam post, vel universaliter sumere extra mensam, patens est gulositatis indicium: siquidem extra duas vices in die, nisi necessitate cogente, in domo vel extra comedere, puerorum, imo pecudum est. Senex legem in vicibus comedendi non servans, fertur ab Angelo asino comparatus; verba sunt cit. Speculi disciplinae cap. 21.

XXVI. Valde turpe est, frusta carnis, pro suo gustu in patina nuda manu perquirere, et manu tactum ibidem relinquere.

XXVII. Si assaturam, vel alium cibum scindendo dividis, noli partem pro te retinere, donec pro communitate totus cibus divisus fuerit appositus.

XXVIII. Si panem majorem scindis, eum pectori, vel vesti sine interpositione mappulae non applica.

XXIX. In mensa, quantum fieri potest, a tussiendo, sternutando et excreando abstinendum; quodsi ab horum aliquo abstinere nequeas, facie a mensa, vel saltem a digniori aversa, eaque per mappulam vel strophiolum quasi tecta, id facito.

XXX. Indecorum est, sub mensa, nuda manu nares purgare, vel ea carnem nudam scalpere.

XXXI. Oculos in mensa praecipue custodi, et ne curiose, vel imprudenter, quae apud alios aguntur, circumlustrando prospice, sed potius iisdem pudice demissis, ea tantum, quae tibi sunt apposita, attende.

XXXII. Ossa, vel alia, non sunt dejicienda sub mensam, vel jactanda in terram, exceptis iis, quae tamquam nauseosa respuere necessitas cogit.

XXXIII. Rusticum est, dentes digito, cultro, fuscinula, vel etiam dentiscalpio sub mensa purgare, turpius autem, id unguibus facere; omnium vero turpissimum, immunditiem ex dentibus extractam videntibus aliis olfacere. Post mensam vero, dum solus es, dentes dentiscalpio purgare, et strophiolo, vel aliis non videntibus mundare, utiliter et laudabiliter assuescis.

45. Quaeritur II. *Quae sint regulae modestiae, et civilitatis religiosae in bibendo?* Resp. De his quoque agere cit. Specul. discipl. cap. 21 et 32. Cujus proin doctrinam ut bene legatis, et observetis practice, ex eodem et aliis Patribus subjunguntur aliquae in specie.

I. Turpe est, bibendo circumspicere.

II. Vel bibendo sonum edere.

III. Vel sorbere jusculum ex scutella, et non ex cochleari, illud per vices sumendo.

IV. Vel bibere ex scypho aut vitro nimis repleto, ut sine diffluentia vix loco moveri possit.

V. Vel, scyphus dum in manu tenetur, loqui.

VI. Vel scyphum digitis immundis accipere, vel eidem pollicem immergere.

VII. Si bibis, poculum utraque manu teneas, oculos non eleves, labia non immergas, nec rusticano modo nimium exporrigas, et os tam ante, quam post potum tergas.

VIII. Si alii e vicino, praesertim dignior, aut superior bibunt, simul non bibas, sed tantisper exspectes, donec illi bibere cessarint.

IX. Sane post refectionem ad potum redire non mediocris vitii notam habet. Honestius ad mensam, quantum indiges, bibis, quam bibendo per diem meribibuli morem geris (ib. c. 21.). Ex quibus colligis, vitio non carere, etiam haustui vespertino, etsi alias concesso, se assuescere, econtra abstinere, virtutis esse; nisi specialis naturae constitutio, et necessitas aliud exigant.

Potissimum vero apud saeculares habenda est semper temperantia in et circa potum; turpissimum enim est, si de nimia potatione notentur... Hoc vitium hominem coram Deo et hominibus vilem reddit. Ad notam hujus vitii fugiendam cavere debent, ne post refectionem, etiamsi vinum saepius offeratur, frequenter bibant, aut postquam in communi potatum est, seorsim sine urgente necessitate potum in privato requirant, nec omnino, quod potus, ubi dormitur, remaneat, patiantur. Post coenam non sunt ad verba et pocula vigiliae protrahendae. Specul. discipl. cit. cap. 32.

§ 5.

De regulis modestiae religiosae circa ulteriorem compositionem hominis externi.

46. **Quaeritur** I. *Quae sint regulae modestiae, circa debite dirigendum caput?* Resp. Inter alias esse sequentes.

I. Caput nec sit nimis erectum, nec nimis pronum, seu demissum; nec in alterutrum latus deflexum, sed ordinarie

semper rectum et erectum ita teneatur, ut modica aliqua demissio vel inclinatio illius appareat.

II. Si reverentiae causa ob audita sacra nomina vel ob transitum coram sacra imagine, vel alicujus transeuntis caput inclinandum, id non veloci quodam motu, sed moderate fiat, oculis in altum non erectis, sed potius demissis, ipsum etiam collum cum capite inclinando.

III. Indecorum est, caput circumrotare undique, vel nimis frequenter movere; honestas enim exigit, ut ordinarie quietum teneatur.

IV. Qui per aliquem a tergo vocatur, vel retrorsum videre debet, non solum caput retorqueat, sed totum corpus convertat, idque non nimis festinanter, sed modeste et sedate praestet: quod ipsum universaliter est observandum, quoties caput movere necesse est.

V. In aliorum praesentia, vel inter edendum fricare caput, denotat indecentiam.

VI. Cave, ne cum comis ante vel retro erectis, in publico compareas, indeque post somnum et alias, dum in publico comparere intendis, manu comprimere satagas.

VII. Si cum aliqua insigni persona agens, vel loquens advertis, illam caput detectum diutius tenere, licebit humiliter rogare, vel submisse innuere, ut tegat; statim autem majori te dicere, ut tegat, contra rationem decoris est. Si aequalis vel minoris authoritatis persona capite detecto tecum agit aut loquitur, roga et modeste urge, ut tegat, quia id omnino exigit humilitas religiosa.

47. Quaeritur II. *Quae sint regulae debitae modestiae et honestatis religiosae circa faciem, seu vultum?* Ante responsionem nota, quod, cum in vultu homo internus potissimum resplendeat, specialiter deceat, eum recte esse compositum. Jam ad quaesitum Resp., praeter alias esse sequentes.

I. Vultus non sit imaginosus, nec multum suspensus, velut grandibus cogitationibus intentus, vel penitus in alia distractus.

II. Neque sit severus, nec moerore obductus, nec ullam animi perturbati significationem prae se ferat, nec multiplex, vel inconstans appareat: sed ut plurimum aequalis, atque ordinarie tranquillus et serenus, ita tamen, ut in rebus seriis non sit nimia hilaritate solutus, nec in communi vitae consuetudine nimia subductus gravitate. Genas inflare semper indecorum.

III. Frons, verecundiae sedes, non sit corrugata nec supercilia nimis erecta.

IV. Nasus contemptum, vel contumeliam non spiret, nec contrahatur ad derisionem, vel subsannationem.

V. Ad inhonesta dicteria, quantumvis lepida, non est honestum subridere, sed potius velut ignotum idioma, vel non intellectum dissimulare oportet: si vero honestum aliquid festive et exhilarandi causa ab aliquo referatur, ne tantillum quidem subridere, minus conforme legi charitatis et humanitatis videtur, et nonnunquam contemptum et rusticitatem sapit.

VI. In publico, vel extra cellam cum scriptorio vel calamo ori indito, vel auriculae imposito comparere, semper indecorum reputes.

VII. Cum nares emunguntur, id, quod elicueris, in strophiolo respicere, aut digitis vel manica mucum detergere, vel digitis nasum penetrare, vel converrere coram aliis, indecorum est.

48. Quaeritur III. *Quae sint regulae honestatis et modestiae religiosae circa debitum usum oris, labiorum et dentium?* Resp. Esse a potiori sequentes.

I. Os instar stupidi non est tenendum apertum.

II. Oscitando ululare, vel nimis patulo ore oscitare, vel incoeptum sermonem sub occurrente oscitatione continuare, indecorum est; multum dedecens, et hinc valde cavendum est oscitare, dum alius loquitur; quia hoc taedii significationem, aut modicae observantiae in eos, quibuscum agitur argumentum est. Si potes, coram aliis ab oscitando semper abstine;

si continere non potes, saltem ne loquere interea, nec oscitando ulula, nec hianti ore oscita, sed pressa illud modeste, et manu et strophiolo objecto, vultu a circumstantium oculis modice averso.

III. Cum tussis, vel sternutas, ne magno et vibranti sono incondite instrepa.

IV. Si excreandum, vel exspuendum, non procul, quasi jaculo emisso, nec post humeros, nec alicui, qui simul adsit ex adverso, id faciendum, sed aversa ab aliis facie, longiuscule et ad latus, si fieri potest, et vas sputi non aderit.

V. De fenestra in subjectam viam despuere, vel in malluvium, ad quod os et manus abluuntur, exspuere, indecorum est.

VI. Labia nec arctius comprimenda, nec pressa rursus inconcinne erigenda: nec distendenda vel exporrigenda, nec intra trahenda, nec dentibus mordenda sunt.

VII. Dentes in conspectu aliorum defricare, vel dentiscalpio aut digitis ex dentibus ciborum reliquias extrahere, purgare, non decet; si quid eis inhaerens magis molestat, facie ab aliis aversa, vel, si haberi potest, strophiolo faciem obducente, breviter fiat.

VIII. In ridendo, quantum potes, dentes occulta, exaltationem vocis, nimiam deductionem labiorum et cachinnos devita; dicitur enim Eccli. 21, 23: « *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit* », et Specul. discipl. p. I. c. 24. ad propositum nostris ponit hanc regulam: « *Non sint in risu faciles, nec in voce clamosi. Cachinnus praecipue gravitatem Religiosi plurimum dehonestat. Vile prorsus est, religiosum virum, ut puerum cachinnare. Non licet religiosum virum dissolutis labiis risum proferre, sed hilari vultu cordis hilaritatem praetendere* ».

49. Quaeritur IV. *Quae sint regulae honestatis et modestiae religiosae in debito usu oculorum.* Ante responsionem nota, non agi hic primario de summe necessaria custodia oculorum et mortificatione ad declinanda varia pecca-

torum pericula et virtutum impedimenta (de hoc enim sermo erat *in capite praecedente* de mortificatione quinque sensuum), sed de illorum custodia et mortificatione, quam exigit modestia et disciplina religiosa; in ordine ad quam Resp., praeter alias esse sequentes regulas.

I. Universaliter loquendo oculi ab omni inordinata evagatione et exaltatione seu elevatione, praesertim in choro, mensa, in Communitate congregata, et quando publice per plateam incedendum, custodiendi et econtra humiliter demissi, cernui, quieti et in sereno vultu sint. Ita Specul. discipl. p. I. c. 15.

II. Superbia, elatio et ferocitas oculorum, seu vultuosa facies summopere cavenda est; nam ut idem Specul. ait, sublimiores oculi et facies vultuosa nudam superbiam clamant.

III. Inter loquendum cum superioribus, vel senioribus, oculi in eorum vultum non defigantur.

IV. Ab omni mulierum aspectu, qui in facies earum figatur semper et ubique, praesertim, quando ipsis loquimur, omnino fugiendum est.

V. Modestiae et honestati religiosae maxime adversatur, aspicere rem aliquam, vel objectum foedum, praesertim castitati contrarium, uti inter alia sunt imagines quaecumque nudae, vel minus honeste formatae; nam impudicus oculus impudici cordis nuntius est.

VI Nimia libertas in aspiciendo hinc inde ad quemvis strepitum, ad cujusvis ingressum, ad quemvis casum, primis rudimentis modestiae ac disciplinae religiosae adversatur.

VII. Curiositas quoque irreligiosae et indisciplinatae mentis turpe signum est, ad videndum quemvis retro sequentem, vel a latere progredientem retorto capite circumspicere.

VIII. Indecorum valde est, dum quis tibi vicinus litteras, vel quid aliud legit, corporis appulsu, vel oculorum injectu ejus lectioni imminere.

50. Quaeritur V. *Quae sint regulae modestiae et honestatis religiosae in debito usu brachiorum et manuum?* Resp. Praeter alias esse potissimum sequentes.

I. Si brachia aut manus movenda sunt, excessus vitandus et cavendum, ne coram aliis oscitando brachia extendantur.

II. Manus, si non necessarie in aliquo occupantur, quiete inter manicas teneantur, praesertim inter loquendum, et finita (non autem durante) comestione.

III. Inter manuales dissolutiones, modestiae et honestati adversas, numerat Specul. discipl. p. I. c. 24 etiam sequentes, videlicet: aliquem ad cingulum, vel manum sine necessitate prehendere; flores, fructus, vel baculum otiose gestare; cingulum, Rosarii globulos, aut aliud quidpiam rotare, aut in orbem agitare.

IV. Manus in sinu, aut infra cingulum tenere, valde inhonestum est.

V. A contactu mutuo, praesertim a contactu nudae carnis alienae, etiam quoad honestas partes, v. g. manus, et faciei abstinere, ac insuper tactum nudae carnis propriae vitare, honestas docet.

VI. Animalia quoque, puta canes, aut catos demulcere, perfectae honestati contrarium est.

VII. Si alterius vestibus sordidum quid adhaereret, vel oberrat, non illi alterive demonstres, sed quantum potes, sic concinne, atque industrie tolle, ut ne sentiat quidem; si alius simile quid tibi decusserit dempseritque, comem et gratum animum ei ostende.

VIII. Turpe est manu sustentare caput aut faciem; turpius, sustentare mentum.

IX. Indecens est digitis tundere, vel quatere aliquid more tympanizantium, vel organistarum.

X. Cellam, vel cubiculum alterius ingressus, contra leges modestiae agis, si aliena scripta, libros, vel quodcumque occurrerit, contrectes, revolvas, inspicias. Cellam vel cubiculum alterius non ingrediaris, nisi prius modeste pulsans vocatus et invitatus fueris: si prima vice pulsus tuus auditus non est, una vel altera vice illum repetere, non autem saepius licet, sed tunc abire decet.

XI. Manus sordidas habere indecorum, et nimis nitidas procurare vanum est; lavandae igitur sunt manus, non expoliendae; abluendae ad munditiam, non ad nitorem.

XII. Sicut indecorum est, ungues non praecisos habere, ita honestati adversatur, eos in conspectu aliorum subsecare, vel dentibus demordere.

51. Quaeritur VI. *Quae sint regulae modestiae et honestatis religiosae circa debitum incessum et usum pedum?* Resp. Praeter alias bene observandas, quas ad propositum tradit Specul. discipl. p. I. c. 23, esse sequentes, quae ex eodem Speculo discipl. et aliis SS. Patribus erutae sunt.

I. Cavendum, ne sis de numero eorum de quibus ait Propheta Isaias 59, 8: « *Non est judicium in gressibus eorum* »; in eorum autem gressibus non invenitur judicium, qui nulla habita ratione necessitatis, occasionis vel ordinis tarde incedunt, quando est accelerandum; accelerant, quando est tarde incedendum.

II. Incessus sit maturitate plenus, gravis, honestus, videlicet non fractis genibus ambules, aut scapulas dextrorsum, vel sinistrorsum vergendo; non erecta cervice, non prominente pectore, nec inclinato capite super humerum, nec vagabunde pendentibus manibus, nec ventilatione brachiorum. Sunt verba Speculi l. c.

III. Ordinarie loquendo incessus moderate, non nimium tardus, ab omni tamen festinatione alienus sit.

IV. Ad horam officii divini, mox, ut auditum fuerit signum, relictis omnibus... summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem. Sunt verba S. Benedicti (Regula c. 13).

V. Universaliter etiam, ubi ex causa necessitatis celerius incedendum, id taliter fiat, ut religiosae gravitatis et decentiae ratio habeatur.

VI. Incedendo non nimis breves, nec nimis latos, sed moderatos passus facias.

VII. Dum incedis, pedum plantis terram, totumque quasi

aedificium non concutias, sed humilem, planum, pacatum et modestum incessum facias.

VIII. Dum gradus scalae ascendis, vel descendis, non per plures simul saltes.

IX. Actus modestiae religiosae quoque est, ascendendo scalam non se juvare apprehensione funis, vel ligni, nisi debilitas aut infirmitas aliud exigat.

X. Si sordidum quid, v. g. purulentum sputum, in progressu advertis, ex pio munditiei affectu et sacro quodam cultu religiosi domicilii, pede obtere, ne et aliis appareat, et nauseam Deo dicatis personis pariat.

XI. Praefatae et aliae modestiae, honestatis ac disciplinae religiosae regulae ad debite incedendum praecipue observandae sunt, cum in publico per plateam incedendum, ac specialiter diligenterque cavendum, ne procaci, elata, aut affectata, nec veloci, sed humili cum gravitate et maturitate, non vagabundis, sed mortificatis oculis, non pendulis manibus, vel ventilantibus brachiis, sed manibus intra manicas contentis, non cum risu et facie aperta, competentem recta obviis exhibendo reverentiam vel civilitatem incedatur; talis enim incessus mire aedificat, ita, ut subinde loco concionis nonnullis serviat: praeterquam, quod famam Religiosi et Religionis plurimum commendet, sicut econtra incessus irreligiosus eam prostituit et pessumdat.

XII. Dum stas, alteri pedi socorditer ne innitaris neve unum ante te exporrigas; minus pede pedem confrices.

XIII. Dum sedes, pedem supra pedem ne ponas; nec crura transversim teneas. « *Humilem fratrem...* », ait Speculum discipl. c. 19, « *pedes cancellare non decet* ».

XIV. Sicut indecorum et molestum est, si quis aliquoties admonitus caput non tegat, sic idem est, si aliquoties monitus, ut sedeat, aut certe etiam honoratiorem locum occupet, id detrectet: ab eo, qui major te est, unam vel alteram, non item tertiam monitionem exspecta; ab aequali vel minori ad primam obsecundare potes.

XV. In congressu hominum cave, ne cui tergum aut humeros obvertas.

XVI. Si cum aequali graderis, in eum ne arroges tibi principatum, nec ambitionis delitias secteris, neve, si locus tibi pro dignitate delatus non erit, indolescas. Si dignior est comes dextram relinque, et dum una itis, cave, gradu eum praevertas; si cum duobus ambulas, digniori medium relinque.

XVII. Si domi solo comite uno spatiaris, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis gressu ad dextram colloca, et nisi ipse substiterit, non subsiste, nec prior ambulationem inverte; neque in conversione humeros aut tergum, sed vultum ad eum converte; durante ambulatione, jam dextram, jam laevam, ut sors tulerit, tene; ad finem tamen, dum dignior discedit, laevam elige. Si celsa erit, et illustri dignitate, gradum cum eo penitus aequare non decet, sed tantillum reductum tenere, sic tamen modice, ut tecum sermonem commode conferat; si compar tecum ambulat, ambulationis spatia pari nutu cum eo dimetire, prior tamen ne semper te converte.

XVIII. Ubi honoris causa in congressu quis tibi a sinistris existenti dextram praebet, sic te ad hanc converte, ne tergum, sed faciem in convertendo ei exhibeas; si notabiliter dignior persona occurrit, praeter debitum reverentiae obsequium subsistendum non nihil, aut regrediendum, maxime ad januarum ingressum, aut locorum angustias, dandusque ei locus, usque dum praetereat.

52. Quaeritur VII. *Quae demum sint regulae honestatis et modestiae circa habitum religiosum?* Resp. De iis bene agere, ac propterea bene legendum esse Speculum disc. p. I. c. 25, ex quo et aliis aliquae adducuntur regulae.

I. Qualitas et forma habitus sit per omnia uniformis cum aliis juxta praescriptum Regulae et Statutorum.

II. Religiosus nunquam, vel modicum, praesertim coram aliis, sine habitu degat, nisi necessitas cogat: « *Quia saecu-*

laris personae nuditas, et Religiosus sine habitu comparantur». Sunt verba praedicti libri l. c. n. 7.

III. Sicut foeditas et immunditia, sic nimius cultus et nitor, omnisque curiositas (inter quae merito numerantur nimis pretiosa, curiosa et ad solum nitorem ad cingulum pendentia rosaria et cruces) in et circa habitum vitanda est. «*In vestimentis*», ait S. Ambrosius lib. I. de Offic. c. 19, «*nihil honestati desit, nec accedat nitori*». Et Speculum discipl. l. c.: «*Culpatur et cultus munditiae nimius et neglectus*»; enimvero praeter latentem superbiam aliquam usu longo observatum est, in artificiali et naturali forma verificari illud: «*Cum magna forma est lis pudicitiae, ita, ut quo magis quis comptus, eo minus probetur pudicus*».

IV. Cinguli praecinctio non praelarga, nec praearcta, nec immodice intra alvum depressa, quod turpe admodum et indisciplinatum; sicut etiam, si neglecta omni decenti et honesta habitus dispositione et adaptatione rugarum anteriorum et posteriorum, vel ab anteriori alvus in plano prominet, vel a posteriori contra rationem decoris apparet.

V. Contra modestiam et decentiam habitus delinquunt etiam juxta eundem auctorem l. c. qui incedentes sinuoso syrmate terram verrunt, et retrosequentibus caudis, quocumque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant; item, qui dominarum more tunicam a lateribus tenendo incedunt.

VI. Caputio os, vel mentum abscondere, vel eodem non tantum caput, sed etiam faciem tegere tamquam indecens prohibet idem l. c. dicens: «*Non est caputium sive coram fratribus, sive coram extraneis nimis in capite sine rationabili causa profundandum .... Decet caput in publico, non faciem operiri*»; hinc juxta dicta supra in publico cooperto capite, et facie aperta, demissis oculis, silenti ore, modeste incedere decet.

CAPUT IV.

Quaedam monita specialia pro vita quotidiana.

1. *De colloquio.*

Ante colloquium dic cum Psalmista: « *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiae* » (Ps. 140). Innova propositum singulare, quo adversus vitium linguae decertare decrevisti.

In ipso colloquio nota sequentia: 1. Nunquam obliviscere religiosae modestiae et gravitatis. 2. Nullius manum aut vestem, praesertim alterius sexus tange. 3. Da, quam cuique debes, reverentiam et honorem. 4. Familiaritatem nimiam et cum fratre, et cum homine extero etiam sanguine tibi juncto, devita. 5. Esto tamen omnibus affabilis, comis in omnes. 6. Loquere, non clama; loquere absque cachinno: « Foede ad cachinnum moveris », ait S. Bernardus (de Considerat. ad Eugen.), « foedius moves ». 7. Non fige oculos tuos in facie eius, quocum loqueris, nec, dum loqueris, os ori admove. 8. Fuge tenebras, angulos, loca ab hominum consortio remota. 9. Cum devotis devota, cum gravibus seria, cum tristibus consolatoria, cum jucundis jucunda loquere; nunquam tamen sine condimento spiritualis doctrinae sparsim saltem admixtae. Sit autem haec doctrina circumspecta, sapida et solida. 10. Cum sociis levibus et dissolutis, cum inquietis et male contentis, qui fratribus et superioribus obmurmurant, cum scurris et nugatoribus nulla tibi aut brevissima sint colloquia. 11. Excusa, si potes et quantum potes, defectus, errores et culpas, quibus alii apud alios male audiunt. 12. Loquens circumforaneum declamatorem ne age, nec aliis loquendi libertatem praeripe. 13. Non compara, non praefer alios aliis. 14. Verbis non contende, sed sequere monitum s.

Regulae: « Esto mitis, pacificus, mansuetus, modestus et humilis, honeste loquens omnibus ». 15. Offensus alterius verbis loquere quasi non infensus. 16. Domesticis negotiis aliorum te non immisce. 17. De moribus aliorum etiam saecularium pessimis non loquere sinistre coram hominibus. 18. Rumigerulus non esto, aut verborum saecularium delator. 19. In colloquio tuo praefer semper signa sinceri animi et optimi erga omnes affectus. 20. Demum compendiosissima et optima recte loquendi regula est: parce loqui et amare silentium. « Tutius et humilius audis (verba sunt « Speculi disciplinae »), quam loqueris » (Cf. ad hoc ibidem c. 20 et 31).

Operae pretium esse duco, si paucula *de loquacitate* loquar, paucula *de silentio*. Cape doctrinam

2. De loquacitate.

Est haec malus habitus, seu propensio et consuetudo mala ad inconsiderate, superflue, intempestive, et quod facile ex his sequitur, male loquendum. Malitiam et pestem huius vitii graphice depingit Spiritus Sanctus variis in locis: Eccl. 5, 15: « *Honor et gloria in sermone sensati, lingua vero imprudentis subversio est illius* »; — ibidem 9, 25: « *Terribilis est in civitate sua homo linguosus et temerarius, in verbo suo odibilis erit* »; item 20, 8: « *Qui multis utitur verbis, laedet animam suam* »; — Prov. 10, 19: « *In multiloquio non deerit peccatum* »; — Jac. 3, 6: « *Lingua ignis est, universitas iniquitatis* »; et v. 8: « *Inquietum malum, plena veneno pestifero* ». — Sancti Patres uno quasi adversus loquacitatem classicum canunt. Unus alterve e millenis audiatur. S. Laurentius Justinianus (de disciplina et perfectione monastica conversationes, c. 15) ait: « Nihil sic dissolvit mentes, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem, et interioris gustus dulcedinem tepefacit, sicut inanis et praesumptuosa loquacitas ». — S. Bernardinus Senensis (tom. I. serm. 23. art. 7) apostolico fervore in linguam

loquacem invehitur: » O lingua nequam! (verba sunt S. Confratris) o impia odii et invidiae proles! O pestifera lepra, tu es, quae discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas justos, paras scandala, perjuria, testimonia falsa, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu lingua saeva punis insontes, inter conjuges scandala paris, infamas viduas, defloras virgines, simplices turbas, tu pias et religiosas conscientias confundis: tu rancores, tu jurgia, tu livores et iras, contentiones et rixas, contumelias et scissuras excitare non desinis, divisiones et particularitates nutris et lactas, tu sola proditiones generas, incendia foves, homicidia patras, tu sola foedera frangis, in conjunctionibus occuparis, separas amicos, tu sola dissipas civitates, destruis regna, confoves tyrannides: tu charitatem extinguis, deprimis justos, magnificas impios, fidemque destruis, ceterasque virtutes impia crudelitate persequeris ». Haec S. Bernardinus. — Tot sunt vitia linguae, ut doctissimus et devotissimus Dexterius integrum eorum alphabetum compilarit, omnia tamen alphabeti numero comprehendere nequierit. S. Augustinus ponderans illa verba S. Jacobi Apostoli, linguam nullum hominem domare posse effrenem, hujus membri licentiam a solo Deo domari posse asserit. « Intelligamus, charissimi! (audi Hipponensem praesulem de verb. dom. serm. 4. c. 2. profunde et pie docentem) si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram; si etiam tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: linguam nullus hominum domare potest. Attende similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus; equus non se domat; camelus non se domat; elephantus non se domat; apis non se domat; leo non se domat; sic et homo non se domat; sed ut equus dometur, quaeritur homo; ergo Deus quaeratur, ut dometur homo, et lingua hominis ». Quae veritas clarius explicari potest? Paucis rem totam absolvit cit. Apost. Jacobus, qui in epistola sua religiosis potissimum auribus acclamat: « *Si quis putat, se religiosum esse, non refraenans linguam suam, hujus vana*

est religio ». — Religiose Frater! non multa, sed multum dixi: tibi haec sufficiant, ut cane pejus et angue vitium loquacitatis abhorreas et detesteris; — ames autem

3. *Silentium*,

quod, loquendo in genere, virtus est refraenans linguam seu appetitum loquendi, ne illicita, superflua, inutilia, otiosa, aut secreta proferas. Virtus haec praestantissima custodit hominem et praeservat ab innumeris linguae vitiis contra charitatem Dei et proximi, justitiam, veritatem, humilitatem, modestiam, castitatem etc.; idcirco bene et optime laudatus saepius Apostolus silentiosum praedicat, dicens: « *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* » (3, 2), et paucis multa Prov. lib. (13, 3): « *Qui custodit os suum, custodit animam suam* ». — Linguam custoditam mille encomiis celebrat sanctissimus Venetorum Patriarcha *Laurentius:* « Lingua prudenter exercitata », ait (c. 8 de instit. et regim. Praelatorum), « est decor animae, conscientiae speculum, index cogitationum, charitatis vinculum, nutrimentum pacis, honor hominis, honestatis exemplar, morum decus, reconciliatrix hominum, amica sapientiae, spiritualis vitae magistra, fraternae dilectionis custodia, nulli onerosa, omnibus semper amabilis, universis proficua ». — *S. Ambrosius* (lib. 2 de Officiis) sententiose et pie ait: « Quam plures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemdam tacendo; ideoque tacere nunquam est difficilius, quam loqui. Scio, loqui plerosque, cum tacere nesciant ». — Ipsi adeo ethnici primos detulere taciturnitati honores: *Simonides* apud Plutarchum de tuenda bona valetudine libere fatetur: « Nunquam poenituit me tacuisse; quod locutus sim saepe ». Idem alibi: « Magna est sapientia tempestivum silentium, et omni certe sermone praestantius ». *Xenocrates* cuidam loquaci ait: « Audi melius; os unum a natura, aures duas aecepimus »; et *Seneca* in prov.: « Tacere qui nescit, nescit loqui ». — O sortem felicem et ter beatam hominis

scientis silere, testante divino Spiritu (Prov. c. 25): « *Vir, qui non potest loquendo cohibere spiritum suum, urbs patens est, et absque murorum ambitu* »; ita custodiens et refraenans linguam suam urbs munitissima est omnium hostium assultus retundendo par. *Haec de silentio in genere.*

Silentium claustrale est virtus, qua Religiosi tempore et loco a Regula vel Statutis praescripto ab omni discursu et verbis ceteroquin bonis et licitis hic et nunc tamen non necessariis sicut et a quovis alio inconveniente strepitu abstinent. De hoc silentio *S. Bernardus* (epist. 89): « Silentium, dicente Isaia, cultus justitiae est »; et « bonum exspectare, ut docet Jeremias, salutare Dei cum silentio ». — Ad hunc ergo justitiae cultum, ad hanc omnium virtutum matrem, nutricem, custodem, et te et quicumque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito et provoco; quae bona ex hoc silentio nascantur, audi ex ore *Kempensis* de silentio (lib. II. c. 4) ita disserentis: « Silentium bene servando, obedientiam etiam servas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reverentiam exhibes, juvenibus exemplum praebes, levibus et dissolutis timorem inculcas, extraneis bonam famam, intraneis pacem et concordiam generas ». — « Ex quo principio natum », ait *Dionysius Carthusianus*, « ut nulla sit Religio, quae in regulis suis silentium non praescriberet. Cura silentii claustralis anima est disciplinae monasticae et vitae religiosae; sancta communitas, ubi cura haec viget, et sancti Religiosi, qui ab hac cura non discesserunt ». Terreant te, religiose Frater! et ad sedulam silentii observantiam te moveant verba Magistri divini apud Matth. 12, 26: « *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* », — quodnam autem verbum magis otiosum, quam quod loco et tempore silentii dictum?

Curam habe hujus sacrosancti silentii praecipue 1. in choro et templo Dei, ac sub officio divino. 2. Diebus sacrae communionis arctiorem ori tuo pone custodiam. 3. Tempus si-

lentii a superioribus statutum exacte observa. 4. Quod de tempore, idem de loco nota. Sile, ubi scis, ex voluntate superiorum tibi silendum esse. Consule, Frater neophyte! Speculum discipl.; leges ibi, coram superiore, maxime in capitulo, non loquendum tibi absque licentia, nonnisi praesente magistro, vel ejus substituto. Leges in eodem libello aureo (c. V. n. 5 et 6): « in locutione omnem praesumptionem vitandam esse ». Leges ibi n. 6 citatum Bernardum haec asserentem: « Superbus prima die, qua ingreditur habitare, incipit leges dare ». Leges citatum Eccli. (cap. 11): « *In medio seniorum non praesumas loqui* ». Leges citatum S. Prosperum dicentem: « Temperantiae esse, quod praestamus loquenti seniori silentium, et quod ipsius ad loquendum praestolamur imperium ». Leges « Speculi discipl. » cap. 20 totum de disciplina in modo loquendi et cap. 31 de disciplina verborum inter saeculares. — Et quid demum leges in hoc speculo? Summam nempe hanc: Sermo Religiosi sit modestus, benigne rigidus, placidus et dulcis, sit parcus, verus, honestus. Absit clamor, contentio et dissolutio. Loquendum tarde et caute. Bis ad limam, antequam ad linguam. Junior usque ad interrogationem taceat; interrogatus seniori, si respondere velit, responsionem relinquat. Vitanda omnis distractio, convitium omne, omnis nugarum congestio. Secreta Ordinis non evulganda; non extollatur Ordo religiosus cum injuria alterius; in loquendo utatur voce submissa. Haec, inquam, summa est doctrinae illius, quam citatus liber tironibus religiosis relinquit; summa, qua silere, et, quod consequens est, bene loqui docet.

4. *De refectione corporis ad mensam.*

Ad refectionem corporis confer te non captandae voluptatis causa; dic animo saltem: « *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes* » (Eccli.). 1. Comede

et bibe, ut vivas, et Deo vivas, non vive, ut comedas et bibas; homo es, imago Dei es; creatura ad finem supernaturalem condita es. 2. Appetitui tuo non indulgeas nimium, spurius is est, et plerumque ad superflua et deliciatoria tendit; natura paucis contenta, et pauperis non est in cibo et potu delectum quaerere. 3. Tempus refectionis sit et tempus mortificationis; cur enim Jesus tuus et anima tua esuriat, corpore tuo saginato et impinguato? — Sat pro Jesu, sat pro anima tua, si vel bolum amore illorum tibi subtrahas. 4. Nunquam ita in cibum potumque effundere, ut tibi cibus spiritualis, *lectio sacra*, non sapiat. Memento, quae pius poeta canit:

Pane cibans ventrem, scriptura pascito mentem,
Mensa tibi placeat sobria, parva, brevis.

Preces mensales singulari devotionis affectu persolve: praemitte actioni ex se animali intentionem bonam, ut omnino pia et spiritualis fiat. Eodem affectu dic gratias, quas nisi charitas aut obedientia aliud imperet, coram augustissimo Altaris mysterio repetes. Ipsi refectioni immisce, quasi sacra condimenta, honestos et pios discursus, ac sub illa intentionem praemissam innova. — Ad amussim demum observa regulas illas, quas et schola urbanitatis et « *Speculum disciplinae* » te docet. Cf. Speculum discipl. c. 21.

5. *In recreatione*

nota versus illos Ascetis commendatos:

Daemonis atque Dei recreas dum membra, memento:
Hi tua facta vident: hi tua facta notant.

Hora recreationis non sit hora dissolutionis; eo ex fine, ea cum intentione accede ad recreationem, quacum accedis ad orationem. Ora, ut Deum honores, — et recrea te, ut vires ad honorandum Deum reficias. Fiat recreatio 1. modeste; 2. non protrahatur nimium; 3. effundi in risus, in cacchinnos,

in gesticulationes, in clamores, in contentiones, in verba punctoria, irritantia, illusoria non est recreare se. Dum excessus vitari jubes, et a defectibus cave. — Jucundare ergo 1. in Domino; 2. gaude cum gaudentibus, nec tetrico aut moroso discursu nubila effunde, ubi honesta gaudia serenum diem explicant. 3. Evita singularitates et statuta recreationis hora compare. Finita recreationis hora mentem ad superna eleva; dic cum Paulo ad Philipp. 3: « *nostra autem conversatio in coelis est* », aut cum Psalmista (Ps. 110): « *Ego vero delectabor in Domino et exultabo in Deo Jesu meo* »; vel cum eodem (Ps. 16): « *Satiabor, cum apparuerit gloria tua, Domine* ».

6. *De conversatione cum saecularibus.*

Religiose Frater! ab initio vitae tuae monasticae usque ad finem ejusdem noli oblivisci Ordinis Nostri Seraphici relationis ad hoc saeculum seu homines saeculares. Profecto ad nullum alium Ordinem religiosum magis, quam ad nos Fratres Minores, respicit illud Spiritus S. verbum in epistola S. Pauli ad Corinthios (I. 4, 9 sqq.): « *Fratres, spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus. Nos stulti propter Christum, nos infirmi, nos ignobiles . . . tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema . . . Non ut confundam vos, haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo in Christo Jesu* ». Et illud divini Salvatoris verbum: « *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* ». — Quam obligationem suis filiis intimare volens *S. P. N. Franciscus* in quodam opusculo, quod inscripsit: « *Cur Fratres Minores dati sint mundo* », hanc quartam causam ponit: « Ut sint », ait, « testes et sequaces verbo et opere tantae charitatis et affectionis Christi ad salutem omnium animarum: per mundum discurrendo, ac verbo et *exemplo* praedicando, atque animas ipsius Christi pretioso

sanguine redemptas ad ipsum verum Creatorem et Pastorem ac Redemptorem animarum ducendo ».

Haec sedulo perpendere debemus, quotquot per orbem universum sub S. Francisci militamus vexillo; non enim vocavit nos Deus, ut otio vacemus aut solius contemplationis quietem eligamus, sed ut *pro modulo nostro* proximum aedificemus, eumque ad amorem Dei et observantiam mandatorum ejus verbo et exemplo inducere studeamus. Ab hac obligatione neminem excludit Seraphicus Pater; et quidem *omnibus et singulis praecepit*, ut *saltem exemplo*, honestis verbis sanctisque colloquiis proximum aedificent. Hinc in prima, quam conscripsit Regula, cap. XIV, expressum dederat mandatum, « *ut omnes fratres operibus praedicent* », et capite XXI. ejusdem Regulae, quod inscribitur « De laude et exhortatione, quam possunt facere omnes fratres », modum tradens, quo sanctis colloquiis proximum aedificare possint Religiosi, compendiose proponit exhortationes, quas omnes fratres, quandocumque placuerit et inter quoscumque homines, instituere possint, dicens: « Et hanc talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque placuerit eis, annuntiare possunt, et inter quoscumque homines, cum benedictione Dei. Timete et honorate, laudate et benedicite. Gratias agite et adorate Dominum Deum omnipotentem, in Trinitate et Unitate, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Creatorem omnium. Facite poenitentiam, agite dignos fructus poenitentiae, quia scitote, quod cito moriemur. Date et dabitur vobis. Dimittite et dimittetur vobis; et si non dimiseritis, Dominus non dimittet vobis peccata vestra. Beati, qui moriuntur in poenitentia, qui erunt in regno coelorum. Vae illis, qui non moriuntur in poenitentia, qui erunt filii diaboli, cujus opera faciunt, et ibunt in ignem aeternum. Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono » (verba S. P. Francisci in cap. XXI. Regulae primae).

Haec eadem sunt, quae in capite tertio II[dae] Regulae compendiosius expressit S. Franciscus, ubi ait: « Consulo vero,

moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, *honeste loquentes omnibus sicut decet* ». Huc etiam spectat haec, quae sequitur sententia S. P. N. Francisci: « Beatus ille Religiosus, qui non haurit jucunditatem et laetitiam nisi in sanctis eloquiis et operibus Domini, et per haec ipsa alios provocat ad amorem Dei cum gaudio et laetitia. *Vae autem Religioso, qui delectatur verbis inanibus et otiosis, illis alios ad risum provocans* »! —

Fratres igitur omnes, tam clerici quam laici, memores instituti, quod profitentur, et expressae voluntatis S. Francisci, virtutum omnium exempla praebeant mundo, splendentes in omni opere bono, tamquam luminaria posita super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo sunt: et boni, videntes sanctam eorum conversationem, glorificent Deum; mali vero, qui nos calumniantur, tamquam malefactores, ex bonis operibus eos considerantes, et ipsi glorificent Deum et quem misit Salvatorem Jesum Christum, vel saltem obmutescant, ac desinant blasphemare Nomen sanctum ejus. Haec est praedicatio, quam omnibus fratribus injunxit Seraphicus Pater.

Religiose Frater, ex dictis colligere potes, quomodo filius S. P. Francisci conversari debeat cum saecularibus, et jam ab initio vitae suae monasticae admonita beatissimi Patris exercenda assuefiat. Nota tibi, neophyte Frater, sequentia:

In conversatione cum saecularibus sis rarus; quo rarior inter illos, eo carior eris, juxta proverbium: « Si vis esse carus, esto rarus ». — Reliquisti mundum et ea, quae sunt in mundo, misisti manum ad aratrum, ut excoleres in te ipso terram bonam et fructum ferentem. Si vis ergo aptus esse regno Dei, non respice retro. Vix alia causa, nisi causa animae, Dei honor, necessitas et vera utilitas a solitudine tua te avocet. Tene regulas in loquendo, quas supra ex Ascetis et S. Patre tuo Francisco audisti; cogita, S. Pauli Apostoli verba illa: « *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* »

(ad Philipp. 4), Religiosis et animabus Deo sacris dicta velle. Saeculi inter tumultus solare mentem tuam, et dic tibimetipsi: « Melior est dies una in atriis tuis, o Deus! super millia millium dierum in tabernaculis hominum mundanorum »; et jam a saeculo ad monasterium regressus dic pleno ore et corde S. Ignatii illud symbolum: « Quam sordet mihi mundus, dum coelum adspicio »!

In solitudine memento, te solum non esse; siste te praesenti Deo. Huic, virgineae Matri et sancto Angelo tutelari saepius conloquere. Suspira ad Deum: « *Domine, ostende faciem tuam et salvi erimus* » (Ps. 79). Suspira ad Matrem: « Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta »! Suspira ad Angelum custodem etc. etc. — Ad hoc capitulum lege ex « Speculo disciplinae » cap. 27, 28, 29, 30, 31, 32.

7. *De lectione spirituali.*

Ante *lectionem spiritualem* vel *instructionem* erige te ad Deum, patrem luminum, orans: « Loquere, Domine, quia audit servus tuus et doce me facere voluntatem tuam ». Ad lectionem vel instructionem confer te cum desiderio audiendi voluntatem divinam, non ex curiositate, non tempus terendi causa. Elige, si penes te sit eligere, librum spiritu Dei plenum, qui instruit intellectum, movet voluntatem, et media suggerit ad acquirendam virtutem illam, quam intendis acquirere. Tractim et cum pausis lege, ne mens obruatur cibo spirituali. Dum sentis motus pios, inhaere iisdem per preces jaculatorias. Juxta monitum S. Bonaventurae ex lectione aliquid in ventrem memoriae reconde, ut habeas, quod alio iterum tempore cum fructu rumineris. Lege quotidie, terminato tempore et ordine.

Libri Novitiis et Clericis professis pro lectione spirituali commendandi sunt, e. gr. « Sponsa Christi » a S. *Alphonso Liguorio* aliaque ejusdem S. Doctoris opera; « Instructio No-

vitiorum » a Ven P. *Joanne a Jesu Maria*, Ord. Carm.; « Oratio et vita interna » a P. *Theresio a Jesu*, Ord. Carm.; *Thomas a Kemp.*, *S. Franciscus Salesius*, *Scupuli*, *P. Crasset*; *Ludovici Granatensis* et aliorum opera. — Ut autem spiritum seraphicum in te plantes et enutrias, lege iterum iterumque Ordinis nostri *s. Regulam*, eamque et Testamentum S. P. Francisci et praecepta Regulae ad verbum memoriae manda. Lege bonam et a superioribus commendatam *s. Regulae expositionem*, Statuta et leges disciplinares, easque ex amore Dei et ad animae tuae salutem exactissime observa. — Pro vita tua spirituali disce praeprimis ex opusculis nostri Doctoris Seraphici, S. Bonaventurae. Novitiis et Clericis studentibus ante omnia sunt commendanda ejusdem S. Praesulis « *Regula Novitiorum* », « *25 Memorialia* », « *Epistola de imitatione Christi* », « *Itinerarium mentis ad Deum* », « *Duae Legendae de vita S. P. Francisci* », « *Decem opuscula mystica* »; porro tres libros P. Davidis ab Augusta Vindelic., praesertim « *De septem processibus Religiosorum* », quae prius S. Bonaventurae adscribebantur, et « *Opera S. Francisci collecta* » (Colon. 1859). — Redeundum est nobis ad scolam et aurea litterarum monumenta priscorum Fratrum nostrorum, prout etiam praescribunt novissimae Ordinis nostri Constitutiones Generales sequentibus verbis: « Auctorum nostrorum documenta aurea, ea maxime, quae libello de Profectu Religiosorum et Speculo disciplinae continentur, frequenter ipsis (Novitiis) ingerantur » (Const. Gles. n. 40). — Ut amor erga Ordinem nostrum Seraphicum in te augeatur et disciplinae zelus fervescat, lege vitas Sanctorum Ordinis Seraphici, et inspice chronica et historiam Ordinis nostri. Charissime Frater! profecto, si Novitiatus et Clericatus annos ad lectionem spiritualem et ad acquirendam *scientiam Sanctorum* bene impenderis, absoluto studiorum curriculo thesaurum tibi comparatum habebis pro tua aliorumque vita spirituali! — Cf. « Specul. discipl. » cap. 13.

8. *De studiis litteralibus.*

Omnes omne tempus utiliter impendant, neque leve temporis spatium otiose praeterlabi permittant. Obolis etiam ditescimus, si continuo plures accedunt. Nulla lineola legitur, cujus non aliquando sit usus. — Sed, « *Novitii nullo modo probationis suae tempore studio litterarum attendant* », praecipiunt cum Statutis Generalibus etiam Statuta antiqua Provinciarum. — Incipit studium litterarum apud Clericos expleto Novitiatus anno et omni cum diligentia continuetur per Clericatus annos et ultra. Quilibet enim homo ad laborem nascitur. Qui ex communi naturae utilitate participat, laboris quoque partem pro sua facultate ad eandem fideliter conferat. Multo magis Evangelium nobis et s. Regula laborem inculcant. Poscit eum insuper observantia et gratitudo benefactoribus debita, qui laboriosos et non otiosos sustentare intendunt Religiosos. Sed etiam ipsi Ordini hoc officium debetur, qui juvenes alit et sustentat, ut ad varia munera subeunda se idoneos reddant. Quid demum tanta temporum acerbitas, quid tot animarum pericula requirunt? Numquid homini in sortem Domini vocato otiosum spectatorem agere licebit? — Absit a nobis tantum et tam multiplex nefas! Unde sedulo laborent omnes Clerici studentes, ut tot titulis satisfaciant, et ad futura officia aptos sese et habiles efforment. Nec refert, ad quid postea quilibet applicandus, aut quid effecturus sit; sufficit tempus bene impendisse, et conatum sedulo adhibuisse. Plus non est in nostra potestate, qui aliquando non ex effectibus, quos produximus, sed ex conatu, quem adhibuimus, et ex recto, quem nobis praefiximus, fine judicabimur. — Sed hic solummodo notetur, quomodo, charissime Frater! litteris vaces, ne spiritus orationis in te minuatur vel extinguatur.

Ad studia litteralia exora illuminantem Spiritus S. gratiam. Imbue te studiis *libenter*, *diligenter* et *devote.* Recordare saepius illius memoratu dignissimae *epistolae S. P.*

Francisci ad S. Antonium Paduanum, quae sonat: « Charissimo meo fratri Antonio frater Franciscus in Christo salutem! — Placet mihi, quod Sanctae Theologiae litteras Fratribus interpreteris, ita tamen, ut neque in te, neque in ceteris (quod vehementer cupio) extinguatur sanctae orationis spiritus juxta Regulam, quam profitemur. Vale ». — Ora saepius: « Domine! O ut te nossem, me nossem, quam doctus essem »! — Imo teste *Clemente Alexandrino* omnium disciplinarum pulcherrima est, se ipsum nosse; si quis se ipsum novit, Deum cognoscet. Fuge scientiam illam, quae (docente Apostolo ad I. Cor. c. 8) « *inflat* », *per quam quidem multa scis, non tamen multum.* Ama scire, non sciolus esse. Etsi multa multumve scias, *ama nesciri.* — Tamquam scientiarum Patronos autem praeprimis venerare: B. V. *Mariam*, « Sedem Sapientiae », *S. Catharinam* Virg. et M., Doctorem Seraph. *S. Bonaventuram* et Doctorem Angelicum *S. Thomam Aquinatem.*

CAPUT V.

De piis exercitiis quotidianis.

1. De bona intentione.

a. De bona intentione in genere.

Cum intentio sit omnium actionum nostrarum pondus et mensura, et Deus non tam ad manus, quam ad mentem respiciat, ut patet ex justitia supremi Judicis, qui plus ponderavit duo minuta viduae pauperis bona intentione in gazophylaceum posita, quam Pharisaeorum plurimam aeris massam ex vana gloria oblatam: viam perfectionis ingredi cupienti ad omnes actiones bona intentio imprimis est necessaria, qua minutissima quaeque et in se vilissima opera in Deum referat. Constat ergo bona intentio in eo, ut homo omne, quidquid cogitat, agit, dicit, omittit aut patitur, ad solum Dei beneplacitum dirigat, ut ametur, laudetur, glorifi-

cetur unice, qui unus omni amore, omni laude et glorificatione dignus est, vel per verba expressa dicendo e. gr. cum S. Ignatio Soc. Jesu fundatore: « *Omnia ad majorem Dei gloriam* » etc., vel tacite per piam mentis elevationem ad Deum juxta Davidis exemplum, qui de seipso testatur (Ps. 44): « *Dico ego opera mea regi* », i. e., omnia opera mea (ergo minimas etiam actiones) Deo meo dedico, offero ac mente devota in eum refero; vel, ut exponit doctissimus Thomas le Blanc: « Dico ego opera mea regi », i. e., in honorem regis, nempe Christi, illum unum prae omnibus amans et propter eum omnia negligens; ille enim omnia: « finis et scopus mei hujus cantici atque operum aliorum ». — Ex hac intentione operatus est conditor universorum, qui universa propter semetipsum operatus esse legitur (Prov. 16); ex hac intentione carnem induit, vitam pauperem et abjectam elegit, passus et mortuus est; ex hac intentione cuncta egit omnis sanctitatis norma et magister Christus Dominus; ait enim: « *Quae placita sunt ei, facio semper* » (Joan. 8); ex hac intentione ut operemur nos, omnimodis suadet et hortatur Paulus Apostolus (I. Cor. 1, 10): « *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite* ». Non rejicienda equidem intentio illa, quam praevidimus operibus nostris aut ex spe praemii, aut ex metu poenae. Ipse David, virorum perfectissimus, « *inclinavit cor suum ad faciendas justificationes Domini propter retributionem* » (Ps. 118), et S. Hieronymus, magnum illud Ecclesiae fulcrum, inter continua virtutum exercitia exclamasse fertur: « Ignem infernale timeo »: facile tamen operibus spe praemii aut metu poenae factis ob fragilitatem homini innatam et corruptionem naturae nostrae timor quidam naturalis aut amor proprius et commodi proprii studium admiscetur; opera vero ex purissima intentione, ex solius Dei amore, et ob beneplacitum divinum facta libera sunt a quocumque timore naturali, a quocumque amore et studio commodi proprii, sicut tibi supra in tractatu I. propositum est.

Intentio porro alia est *actualis*, qua quis cum actuali reflexione ad Dei amorem, laudem et gloriam agit; alia *virtualis*, vi cujus antecedenter ad opus elicitae ipsa actio ponitur, ut, si intentio illi non praecessisset, etiam vel ipsa actio omitteretur, vel saltem non eodem modo poneretur. Intentioni *generali* mane factae tanta quidem vis inest, ut in omnes diei actiones virtualiter nimirum influat; at quam facile est homini labili, ab intentione actuali et generaliter facta aut per peccata scienter commissa recedere, aut illam virtutum tepore, timore naturali, vanae gloriae studio, respectu humano infirmare vel omnino amittere! — Consultum ergo erit, intentionem bonam interdiu renovare prece quadam jaculatoria (e. g. « omnia ad majorem Dei gloriam », vel: « propter Te, Domine », vel: « ex Tui tantum amore, o bonum infinitum! et ea sanctissima intentione nunc cogitabo, loquar et operabor, qua tu mecum agis, de me cogitas, ad me loqueris: Tui solius beneplaciti causa »), aut simplici aliqua cogitatione ad Deum et explendum ejus beneplacitum.

Est autem potissimum renovanda intentio:

1. Ante quodcumque opus arduum et altioris momenti, aut longioris durationis. 2. Ante opera molesta, minus grata, vilia et abjecta: quo enim magis animali displicent homini, eo plus proderunt spirituali et placebunt Deo, si bona ad eum intentione elevantur. 3. Ante operationes sensualitati magis deservientes, uti sunt, comedere, bibere, dormire, se recreare. 4. Ante opera honorifica, proficua aut lucri vel commodi spem efficientia; facile enim in his homo sui amans finem falsum statuet, nisi bona intentione finem altiorem quaerit. Juvenis Seraphice! convertere expergefactus ad Dominum Deum tuum; aurea illa est hora, qua sementem optimam facis, qua thesauros tibi comparas incomparabiles, prudens et felix negotiator, si lucris meritorum summo jam mane inhias. Intentio bona clavis illa est, qua aerarium coelestium donorum tibi reseras: intentionem mane factam renova interdiu ante Missae sacrificium, ante preces tuas, praecipue canonicas,

ante, sub et post mensam; ante labores et negotia tua, ante actum quemcumque publicum, ante egressum e cella tua, ante somnum, ad sonitum horae. Sint opera tua plumba et massa cruda: polientur intentione bona, argentum et aurum fient.

Scire forsan petis, unde colligere liceat, an bona intentio informet actus nostros? Cape signa: 1. Si exercitia pia privata et secreta eo cum fervore et spiritu devotionis peragis, quo peragere soles publica, bona est intentio tua. 2. Itidem bona est, si indifferens es ad vilia et honorifica, ad ardua et levia; Abraham sis, qui intentione illa, qua eduxit filium Isaac jamjam immolandum, reduxit a monte vivum. Joseph sis, qui in cisterna sua et in Pharaonis aula fidelis Deo servus permanserat. 3. Bona est intentio tua, si aegre non fers, quod opera tua ad vota non succedant; aut si ex aliis laudem et aestimationem, quam sperasti, non capis. 4. Bona est, si laudibus aliorum non extolleris, vituperiis et contemptibus non deprimeris. 5. Bona est, si audiens, alios bene operari, laudari et aestimari, non tristaris, non conturbaris, sed animo adeo composito et quieto vivis, quasi tua forent, quae alii gloriose praestiterunt. 6. Bona est, si Deum propter Deum derelinquis, et ex praecepto charitatis aut obedientiae a bonis, etiam sanctissimis operibus te ad alia convertis. 7. Bona est, si in bonis operibus tuis soli Deo notis segnior non es, quam in publicis oculis omnium perviis.

NB. Notes tamen velim, intentionem illam purissimam, qua operamur ob Dei beneplacitum et ex solo illius amore, non excludere intentiones alias secundarias, quibus vel in adorationem et laudem Dei, vel in gratiarum actionem pro beneficiis vel Sanctis aut nobis collatis opera offeruntur. Non obest intentioni purissimae, se in operibus tuis bonis fructus etiam meritorios, impetratorios et satisfactorios respicis; vult enim, ut operemur in vinea et ita mercedem mereamur; vult exorari, ut impetremus, vult satisfieri laesae justitiae, ut ita reddamus novissimum quadrantem. — En! praesto tibi statim praxin intentionum specialium in dies singulos hebdomadae.

b. Bonae intentiones quotidianis quibusdam actionibus praefigendae.

In supra dictis notavi ex Doctore nostro Seraphico, optimam Religiosi perfectionem esse, communia, quotidiana et conventualia exacte observare: ausim etiam dicere, propositionem hanc aeternae esse veritatis. Erras, Religiose frater! si gradum perfectionis tuae metiaris ab operibus magnificis, applausu populi dignis. Multum ascendisti, multum profecisti, si ad observantiam statutorum, consuetudinis et laudibilis ordinis et ipsius Regulae attendis, et ad haec, quasi ad vitae tuae normam, singulas diei actiones dirigis. Ut opera tua rite perficiantur, cordi tuo impressa habe motiva illa et puncta, quae P. Crasset, in ascesi vir probatissimus, adnotat: « Memento, Religiose »! monet Religiosus ille, « quae agas, dum agis; memento:

1. Deus vult hac actione a me honorari.
2. Deus exspectat, ut hac actione homagium servitutis meae eidem praestem.
3. Gratiam suam huic actioni adpromisit et adfixit.
4. Vult ex hac actione agnoscere, an et quomodo amem.
5. Gloria Dei dependet ab hac actione.
6. Sapientia Dei ordinavit hanc actionem.
7. Majestas Dei pretium adscribit huic actioni.
8. Sanctitas Dei consecrat hanc actionem.
9. Voluntas Dei imperat hanc actionem.
10. Providentia Dei dirigit hanc actionem.
11. Magnitudo Dei illustrat hanc actionem.
12. Amor Dei exposcit hanc actionem.
13. Pax et tranquillitas cordis mei descendet ab hac actione.
14. Meritum meum nascitur ex hac actione.
15. Gradus perfectionis meae adnexus est huic actioni.
16. Deus offenditur, aut saltem spem Dei mei et desideria non adimplebo, si deficiam in hac actione.

17. Forsan et ipsa salus mea dependet ab hac actione ».

Haec motiva, haec principia, quin vel unum alterumve horum si perpendas, fierine possibile est, ut aliter quam nisu alacri, ausu heroico et spiritu ferventissimo opus etiam quodcumque aggrediaris? aut an devotiunculae et pia tantum ascetarum otia haec motiva et principia tibi esse videntur? parcius ista: fundantur in infallibilibus et divinis effatis. Deut. 16, 20 legis: « *Juste, quod justum est, persequeris* ». — Jerem. 4, 8: « *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* » (legunt alii: « negligenter »). — Eccli. 33, 23: « *In omnibus operibus tuis praecellens esto* ». — Matth. 16, 27 et alibi: « *Reddet (Deus) unicuique secundum opera ejus* ». — Eccli. 19, 1: « *Qui spernit modica, paulatim decidet* ». — Luc. 16, 10: « *Qui fidelis in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, in majori iniquus est* ». — En! quantum commendetur cura operum etiam minimorum, quantum intersit, ut quaelibet, etiam modica et communia exacte observemus, quam bene ergo et sancte illi agant, qui motiva et media suggerunt, ut bene curentur minima, ut exacte observentur quotidiana. O modica, minima, profecto magna sunt! a momento, a modico et minimo pendet aeternitas; a modico et minimo ipsa salus. Torrentes et fluvii e rivulis et fonte parvulo oriuntur: arbores ex semine modicissimo prodeunt, incendia e parva scintilla, et lapsus in peccata gravissima ex peccatillo. Horum sensa et placita pingui dextera et operibus grandibus saturantur; Deus et minima intuetur, intuetur etiam cor; Deus et minima nostra, sedulo ac rite praestita, acceptat. Cape fomenta piae intentionis, per quam communia et quotidiana ad gradum meriti et perfectionis elevantur.

Ad sonum horae dic: Maria, Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe. — Angele sancte Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie custodi, rege et guberna. — Ave Maria, gratia plena etc. — Gloria Patri etc. — Credo in te, o

veritas aeterna! Spero in te, o bonitas infinita! Amo te, o amor incomprehensibilis! abominor omnia peccata, doleo, et unice, quia te, o Deus, offendi! doleo; malo mori, quam foedari illo potissimum peccato N. (renova hic propositum particulare). Omnia propter Te, et ad majorem tui, o Deus, gloriam, et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen. (Tunc signa te signo Crucis.)

Ad lotionem: « Lava me, Domine, in Sanguine tuo, et per illam sanctificam lotionem, qua lavasti pedes discipulorum, lava me ab omni peccato, amplius lava me »!

Eundo per monasterium stude modestae compositioni membrorum. Tecto capite, ore quieto, pede non impetuoso, manibus intra manicas reconditis incede. Repete saepius in solatium defunctorum psalmum « De profundis », aut breviter dic: « Per dolorosissimam Crucis tuae viam, o Jesu, da, ut veniam ad patriam meam ».

Praetereundo imaginem Christi dic: « Domine Jesu! per amaritudinem illam passionis tuae, quam sustinuisti pendens in cruce: per sacratissimam horam illam, qua anima tua innocentissima egressa est e corpore, miserere animae meae in egressu suo ».

Transeundo imaginem B. Virginis: « Ave Filia Patris, ave Mater Filii Dei, ave Sponsa Spiritus S., ave templum Deitatis »! — aut dic: « Ave Maria » etc., vel: « Sub tuum praesidium » etc. (Venerare osculo filiali imaginem Matris tuae).

Cella egrediens aut eandem ingrediens: « Renovo intentionem bonam tibi, o Jesu, bonum infinitum! cui soli vivo et operor, me commendo totum; rege omnes sensus et cor meum; dirige omnia ad laudem et gloriam tuam. Omnia propter te, quia, quomodo et quae tu vis ».

Conventu egrediens: « Benedic mihi, Domine Jesu! tu esto comes meus, tu dux meus. Custodi me per misericordiam tuam, et averte oculos meos, ne videant vanitatem. Dei genitrix Virgo et sanctus angelus custos, defendant me ab hoste maligno ».

Incedendo per plateas cogita, te spectaculum factum mundo, angelis et hominibus, etc: « Viam mandatorum tuorum curram, Domine, cum dilatasti cor meum amore tuo ». Aut cum S. Augustino: « Coelum et terra clamant, Domine, ut amem te »! — Memor esto exempli S. P. N. Francisci, quando in silentio et maxima cum modestia ibat cum Confratre per civitatem et exemplo suo praedicasse ajebat; et illius admonitionis in S. Regula (c. III): « Moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet ».

Intrando domum dic, quod s. Regula monet: « Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea ».

Ad conventum reversus dic Ignatianum illud: « Quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio »: vel illud Davidicum: « Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam ». — *In cella tua* teipsum inspice et examina, qualis in mundo fueris. Si minor homo rediisti. dole; si verbo et exemplo profuisti, Deum lauda.

Ad locum Capituli (ubi iste antiquus regularis disciplinae usus adjuvante Deo adhuc conservatus fuerit) memento Christi tui ad iniquissimos judices raptati, accusati, coram iisdem confusi, ab iisdem condemnati. Propone, omnem humiliationem, accusationem, ac poenitentiam amore Christi tui patienter et cum gaudio sustinere; desidera etiam pati et contemni, reprehendi et objurgari, dic: « Ne intres, Domine, in judicium tuum cum servo tuo ». Si innocenter arguaris, dic: « In flagella paratus sum, o Deus! Quod tu pro me? Quod ego pro te »? — Age in corde gratias et offer confusionem illam levissimam, quam reprehensus sustines, Deo Patri in unione cum confusione illa maxima, quam unigenitus Dei Filius ab iniquissimis judicibus pertulit. Agnosce in Superiore Christum judicem, eique te totum animo promptissimo submitte. Nota verba Seraphici P. N. Francisci: « Beatus servus », ait

ille, « qui non est velox ad excusandum, sed sustinet humiliter ». — Dum alius reprehenditur, compatere, non gaude; nec contemne defectuosum, et te ea reprehensione, qua alius excipitur, centies et millies dignum reputa. Si factum fratris tui excusare non potes, excusa intentionem. « Saepius enim », teste S. Augustino, « species facti aliter se habet, et aliter facientis animus ».

Tempore disciplinae. Uni illam cum flagellatione Christi, in gratiarum actionem pro cruentis illis et acerbissimis doloribus, quos amore hominum flagellatus Jesus passus est: ad reparandas injurias illas, quibus et tua et aliorum hominum vita voluptuosa innocentissima Jesu membra dilaceravit.

Ecce, charissime Frater! tali modo ad omnes communes vitae quotidianae actiones bonas intentiones tibi comparare potes; non est enim locus in mundo, in quo piis ad coelum suspiriis, piis affectibus et precibus jaculatoriis locus non sit. *Ubique* ergo Deum ama, ubique Deum time (Cfr. « Speculum discipl. », c. 7, 10, 22, 26).

c. Bonae intentiones pro singulis hebdomadae diebus.

Pro die Dominica:

tua bona opera singulariter intendas in honorem SS. Trinitatis, in gratiarum actionem pro dono fidei et vocationis religiosae, pro conservatione et augmento S. Matris Ecclesiae.

Die Lunae:

in honorem SS. Angelorum, S. Michaëlis, Raphaëlis, Gabrielis et SS. Angelorum Custodum et reliquorum coelestium Spirituum, ad obtinendam perseverantiam in bono, gratiam finalem ac beatam mortem, nec non pro fidelibus defunctis.

Die Martis:

in honorem S. Patris Nostri Francisci, S. Antonii, S. Clarae et omnium SS. Ordinis Seraph., pro nostra Religione Sera-

phica, Superioribus Generalibus, Provincialibus et conventualibus, pro Fratribus et Sororibus Ordinis, parentibus, praesertim etiam pro vivis et defunctis benefactoribus Ordinis nostri, pro impetranda ac consequenda religiosa perfectione, humilitate et paupertate, quae duae virtutes notae sunt characteristicae Religionis nostrae, et generatim pro diversis intentionibus « *Piae Unionis a S. Antonio* [1] ».

Die Mercurii:

in honorem S. Josephi, Sponsi B. V. M., SS. Apostolorum et eorum SS. Patronorum, quos tibi unquam specialiter delegeris, vel quorum nomina in sacro fonte vel Religione accepisti; item ceterorum omnium SS. Coelitum; pro Summo Pontifice, Clero et Ordinibus religiosis, nec non pro omnibus Christi fidelibus ad impetrandam gratiam verae devotionis et perfectae obedientiae.

Die Jovis:

in honorem Sanctissimi Sacramenti Altaris, in gratiarum actionem tum pro institutis, tum pro perceptis Sacramentis; item

---

[1] Omnibus Novitiis et Clericis omnibusque Confratribus nostris valde commendata sit « *Pia unio S. Antonii Patavini* in Ecclesia Collegii S. Antonii de Urbe (via Merulana) canonice erecta ».

« Nota est omnibus singularis in S. Antonium de Padua universi populi christiani devotio et fiducia, ejusque cultus ubique terrarum mirabili modo propagatus similiter patet. Hinc templa, vel altaria aut statuae in memoriam ejus erecta, hinc imagines et picturae arte decoratae, Sancti effigiem varie illustrantes, hincque solemnia festa in ejusdem honorem ubilibet magno populi concursu concelebrata ». — « Causa tam vividae tamque diffusae erga Sanctum devotionis non aliunde procul dubio derivat, nisi ab ejusdem speciali privilegio, a Deo communicato, miracula operandi, favores innumerasque gratias dispensandi. Quae omnia in notissimo Responsorio « *Si quaeris miracula* » Seraphicus Doctor S. Bonaventura paucis expressit et complexus est, unde Sanctus noster gloriosum Thaumaturgi titulum in Ecclesia Dei quasi jure sibi acquisivit » (« *Collectio Indulgentiarum* » a P. Petro a Monsano, ex-Definitore Generali Ord. Min. et S. Congr. Indulg. Consultore disposita. Quaracchi 1897. nn. 2175-2179, pag. 1037-1047).

pro institutione SS. Missae, in compensationem injuriarum Christo in Eucharistia illatarum (Cultus sanctissimi Cordis Jesu), pro haereticorum et infidelium conversione, ad obtinendam veram contritionem et horrorem peccati maxime mortalis; item pro impetranda puritate cordis, mentis illustratione, praesertim ad digne suscipienda Sacramenta.

Die Veneris:

in honorem, memoriam ac gratiarum actionem vitae et passionis Domini N. Jesu Christi, pro constitutis in peccato lethali vel temporali calamitate, praesertim etiam pro illis, quibus aliquando scandalum. causam lapsus praebuisti; ad obtinendam gratiam compassionis, solidae passionis, perfecti amoris Dei et proximi. — Praecipuam autem venerationem et cultum singulis feriis sextis *SS. Cordi Jesu* praestabis.

Die Sabbati:

in honorem Immaculatae B. Virg. Mariae ejusque gaudiorum et dolorum, et SS. illorum, qui sunt de familia Christi; pro agonizantibus, operariis in negotio animarum, ad impetrandam gratiam filialis pietatis erga B. V. Mariam et Sponsum ejus, pro dono castitatis et seraphici zeli. Plura suadebit propria devotio, paesertim Sacerdotibus nostris, ut Missam votivam Immaculatae Conceptionis in Sabbato legant juxta privilegium Ordini nostro concessum.

2. De oratione vocali.

Oratio vocalis est devota vocis et mentis ad Deum elevatio. Dicitur « vocis et mentis » ; non enim oratio est nuda labiorum commotio, verborum sacrorum recitatio: Deum inhonoramus, si sine mentis elevatione oramus. — Ad bonam orationem vocalem requiritur: 1. Status gratiae, 2. attentio, 3. humilitas interna et externa, 4. fiducia, 5. ordo, 6. praeparatio, 7. perseverantia. An nimium dico, dum haec ad bo-

nam orationem requiri dico? — Quid rex, quid princeps a subdito exigit, ut litterae supplices placeant? Quantas submissiones, quantos honores, quantam titulorum congeriem jam frons libelli supplicis exhibeat necesse est! Repulsam haberent preces, nisi cum omni modestia, reverentia, demissione et abjectione majestati proponerentur. Fusius de hac re loquendi materia abundant omnia ascetarum folia. Ora, Frater charissime! id est, ore et corde cum Deo tuo colloquere. O quot horas habes, queis colloquia isthaec miscere tibi datur! Ad libertatem spiritus tui incursas colloquia distrahentia et mentem tuam alio avertentia. Sanctior non es Davide, et hic eandem querelam movet: « *Cor meum dereliquit me* » (Ps. 19); justior non es Job, et hic querulari auditur: « *Cogitationes meae dissipatae sunt* » (c. 17). Fac, quod tuum est, et oratio etiam inter evagationes mille, dummodo illas fortiter repellas, non erit mala oratio. Ne autem ullo modo voluntarie tibi sint, utere remediis, quae propono:

1. Praeparatio, 2. jugis memoria praesentiae Dei, 3. sensuum custodia, 4. loci et temporis convenientis electio, 5. curarum superfluarum et inanium sepositio, 6. affectuum inordinatorum moderatio, 7. tempore ipsius distractionis fortis animi resistentia et ad Deum praesentem conversio velox.

Praeparatio ad orationem vocalem habeat actum humilitatis, fidei vivae ac doloris de peccatis, et his actibus saltem oratiuncula: « Aperi Domine » addatur. Dum oras ad B. V. Mariam, dic saltem corde contrito et humiliato ac filiali affectu: « Dignare me laudare te, Virgo sacrata, da mihi virtutem » etc. Cura autem tibi sit maxima de

3. Sacra Psalmodia,

quae inter orationes primum locum tenet. Horae canonicae, quae sacram Psalmodiam constituunt, sunt preces publicae ac praescriptae ex sacrorum canonum decreto, a personis ecclesiasticis nomine Ecclesiae coram Deo persolvendae. Sacro-

sanctae preces: quas devote et studiose recitari praecipit Lateranense Concilium sub Innocentio III., « *Devote* », quoad officium cordis; *studiose*, quoad officium oris; *integre*, quoad materiam; *rite*, quoad formam sunt persolvendae. Dic preces tuas pronuntiatione vocali et integra, et implevisti *officium oris:* ora cum *attentione* et *intentione*, et satisfecisti *officio cordis.* Intende laudare Deum, ei placere, satisfacere praecepto Ecclesiae et regulae tuae. Intentionem habes optimam, si actualem. Non tamen nimium angere; si interrogatus, dum psallis et oras psallentibus et orantibus aliis, respondere poteris: laudo, adoro Deum, intentionem habes sat bonam, qua et Deo places et satisfacis obligationi; non satisfaceres autem, nec placeres Deo, si breviarium cantandi aut novi quid legendi gratia percurreres magis, quam orares. Attende, dum oras. *Attentio triplex* est: *prima* ad verba, ut haec distincte et reverenter ad Dei laudem pronuntientur; *secunda* ad sensum verborum; *tertia* ad pios virtutum actus, ad mysteria divina, ad Sanctos, ad ipsum Deum. Attentio haec ceteris praestantior exercitatis potissimum in contemplatione animabus usu venit; nihilominus consultum cuilibet, imo etiam ad gradum contemplationis evecto, sub sacra Psalmodia exercere actus fidei, spei, charitatis, humilitatis, laudis Dei, implorationis divini auxilii, desiderii coelestis patriae, compassionis, admirationis, oblationis, resignationis, — ad quos aliosque actus etiam sola attentio ad sensum litteralem movet. Oras, e. gr. in Vesperis Psalmum: « Dixit Dominus Domino meo » etc. Attendis, ut verba rite et articulatim proferas: advertis laudari Deum, qualiter et ignarus latini idiomatis advertere debet: Dei ergo laudandi causa distincte adeo verba sacra pronuntias; et en! *attentionem primam superficialem seu materialem;* attendis ad sensum verborum, intelligis haec loqui Patrem aeternum ad Filium suum unigenitum a passione gloriosum, ad coelos reducem; et en! *attentionem secundam litteralem.* Attendis ad ipsum mysterium cum piis affectibus, congratularis Christo, suspiras, inclamas coelos, desideras ro-

gasque consors fieri gloriae Filii divini; et en! *attentionem tertiam spiritualem.* — Cape specialia quaedam intentionis et attentionis subsidia ad horas singulas canonicas.

In Matutino ad invitatorium excita animum tuum ad fervorem et cogita, qua alacritate Christus ierit ad mortem; desidera cum omnibus Angelis praesentibus, quibus in choro commisceris, nempe tuo et tuorum confratrum Angelis custodibus Deum laudare. — *Ad Gloria Patri:* excita in te actum profundissimae reverentiae erga SS. Trinitatem, offerens Deo gloriam, quam ei praestat Filius et Spiritus Sanctus: Filio gloriam, quam ei reddit Pater et Spiritus S. etc.; porrige (ad exemplum S. Magdalenae de Pazzis) cervicem pro fide decollandam. — Horae canonicae recitari possunt in honorem et gratiarum actionem passionis Domini, cum reflexione ad ejusdem mysteria, ut sequitur:

Matutinum cum tribus Nocturnis in memoriam trinae orationis Christi in horto Gethsemani et ejusdem sanguinei sudoris.

Laudes in memoriam comprehensionis Christi; *Prima* in memoriam deductionis ignominiosae ab uno tribunali ad aliud; *Tertia* in memoriam flagellationis; *Sexta:* spineae coronationis; *Nona:* condemnationis et bajulationis; *Vesperae:* crucifixionis et mortis in cruce; *Completorium:* sepulturae Domini.

Demum oranti tibi aut psallenti regula illa notis versiculis comprehensa, mente nunquam excidat:

Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor;
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei; (item:)
Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum;
Inque choro non sis corpore, mente foris.

Seu juxta supra dicta:

Haec sunt septenis propter quae psallimus horis:

Matutina ligat Christum, qui crimina tollit;
Prima replet sputis, causam dat tertia mortis;

Sexta cruci nectit, latus ejus nona bipedit;
Vespera deposuit, tumulo completo reponit.

NB. Ceterum, successu temporis et clericatus annis, lege et iterum perlege sequentia de Psalmodia et Breviario opera tractantia: *Thalhofer,* Expositio Psalmorum; *P. Mauri Wolter.* O. S. B., « Psallite sapienter »; *Amberger,* De Breviario in tom. II. Theol. pastoral., et ante omnia tibi recommendatum sit egregium opus celeberrimi Abbatis *Prosperi Guéranger* « Annus ecclesiasticus ». In novitiatu etiam memoriae tuae manda, quae de divino officio dicuntur in « Speculo discipl. », cap. 14, 15, 16.

4. *De precibus jaculatoriis.*

Quid dicam? Bene jaculatorias nominamus: sagittae enim sunt hae preces et jacula a corde nostro ad Cor divinum emissa. Dulcia vulnera, quae sagittis hisce et jaculis Cordi purissimo Sponsi nostri infiguntur; dulcia, inquam, quia vulnera amoris. Ut ignis sarmentis et lignis fovetur, ita preces jaculatoriae ardorem spiritus nostri fovent nutriuntque. Sunt preces illae preces brevissimae, modo sola mente, modo corde et ore ad coelum factae. Domi forisque, in quovis negotio, quovis momento illis bene utimur. ut cor nostrum a fine suo ultimo non avellatur, aut frigescere incipiat. Duplicis autem sunt generis: quaedam sunt tantum *affectuosae,* consistentes solum in pio aliquo suspirio, absque relicto lumine ad vitandum vitium et virtutem amplectendam, quales sunt: « Amor meus, crucifixe Domine; amore tui vivam et moriar »! — « Jesu mi dulcissime, spes suspirantis animae; te quaerunt piae lacrimae, te clamor mentis intimae ». — « O bone Jesu, exaudi me, intra tua vulnera absconde me, ne permittas me separari a te »! — « Diligam te, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus »! — « Cupio dissolvi et esse cum Christo »! — « Deus meus et omnia »! — « Domine, noverim te, noverim me, amem te, oderim me »! — « Hîc ure, hîc seca, hîc non parcas, modo in aeternum parcas »! — « Deus, propitius esto mihi peccatori »! —

Hae preces nil nisi pium animi motum et affectum spirant. Sunt et aliae *illuminativae,* seu inductivae ad eradicandum vitium, ad implantandam virtutem. Hoc genus orationum meditando addiscitur; meditatio enim, ut infra dicetur, pro fine suo fructum aliquem specialem efficit, et affectus ad amorem et consecutionem virtutis et vitii eradicationem impellit. Hi ipsi autem affectus precum jaculatoriarum loco tibi inserviant; et has repete, ut amor virtutis et vitii odium magis incalescat: studeas, e. gr. humilitati: meditaris de virtute hac et sub meditatione affectu et compassione moveris ad Christum Jesum in terram usque ad pedes inimicorum suorum prostratum et humiliatum. Fructus meditationis sit studium humilitatis ardentius, amor intensior virtutis, odium et abominatio major superbiae; dices ex imo cordis tui ad Deum-Hominem amore tui adeo humiliatum: « Rex infinitae Majestatis! ad pedes vermiculorum, creaturarum tuarum, hostium et inimicorum tuorum provolveris, et quod pejus atque crudelius, pedibus eorundem conculcaris: et ego miser homo, peccator, pulvis et cinis, exaltari, honorari, aestimari quaeram, despici, contemni, vilipendi fugiam, aegre feram? Discipulus tuus non forem, nisi humilis forem; statutum est: elegi abjectus esse » etc. — Hos inter affectus finies meditationem tuam et his ipsissimis affectibus interdiu utere in aspectu Crucifixi, aut ad sonitum horae, aut tempore tentationis ad superbiam. — Praeprimis autem illarum precum jaculatoriarum usui assuescas, pro quarum pia recitatione Summi Pontifices *Indulgentias* elargiti sunt, quia insuper etiam a Sede Apostolica approbatae sunt. Ejusmodi sunt, e. gr.:

« Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto ».

Clemens XIV. 1769. Indulgentia 100 dierum semel in die.

Signum Crucis.

Pius IX. 1863, omnibus Christifidelibus toties quoties corde saltem contrito se signabunt signo Crucis, simul invocando

SS. Trinitatem verbis: « In Nomine Patris etc. » Indulg. 50 dierum; — et qui hoc fecerint aqua benedicta, tot. quot. 100 dierum.

« Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus ».

Pius VII. 1818. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Deus meus et omnia »!

Leo XIII. 1888. Indulg. 50 dier. tot. quot.

« Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen ».

Leo XIII. 1892. Indulg. 50 dier. bis in die.

« Aeterne Pater, Tibi offero Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in satisfactionem peccatorum meorum, ac pro necessitatibus sanctae Ecclesiae ».

Pius VII. 1817. Indulg. 100 dier. tot. quot.

« Mi Jesu, misericordia »!

Pius IX. 1846. Indulg. 100 dier. tot. quot.

« Jesu Deus meus, super omnia amo Te »!

Pius IX. 1854. Indulg. 50 dier. tot. quot.

« Domine Jesu, doce nos orare sicut Patrem orasti, ut omnes unum sint ».

Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator »!

Pius IX. 1851. Indulg. 50 dier. tot. quot.

« Laudetur et adoretur omni momento sanctissimum et divinissimum Sacramentum »!

Pius VII. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluja »!

Leo XIII. 1892. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Salvator mundi, miserere nobis »!

Leo XIII. 1891. Indulg. 50 dier. semel in die.

« Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum ».

Leo XIII. 1882. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Ubique ametur sacratissimum Cor Jesu »!

Pius IX. 1860. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum ».

Pius IX. 1868. Indulg. 300 dier. semel in die.

« Cor Jesu flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore tui ».

Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Dulcissime Jesu, da mihi fidei, spei et charitatis augmentum, cor contritum et humiliatum ».

Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Laudetur, adoretur, ametur et glorificetur omni momento Cor eucharisticum Jesu, in omnibus tabernaculis mundi, usque ad consummationem saeculorum. Amen ».

Pius IX. 1868. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Cor dulcissimum mei Jesu, fac, ut semper plus te amem ».

Pius IX. 1876. Indulg. 300 dier. tot. quot.

« Bone Jesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam ».

Leo XIII. 1884. Indulg. 100 dier. semel in die.

« O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te, per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen. ℣. Cor Jesu in agonia factum. ℟. Miserere morientium ».

Pius IX. 1850. Indulg. 100 dier. tot. quot.

« O Domina mea! O Mater mea! memento, me esse tuum. Serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam ».

Pius IX. 1851. Indulg. 40 dier. tot. quot.

« Maria Mater Dei et Mater misericordiae, ora pro nobis et pro defunctis ».

Leo XIII. 1883. Indulg. 100 dier. semel in die.

« O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus ».

Leo XIII. 1884. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei ».

Leo XIII. 1878. Indulg. 300 dier. tot. quot.

« Cor dulcissimum Mariae, sis salus mea ».

Pius IX. 1852. Indulg. 300 dier. tot. quot.

« Jesus, Maria et Joseph, vobis dono cor et animam meam. Jesus, Maria et Joseph, assistite mihi in ultima agonia. Jesus, Maria et Joseph, exspiret vobiscum in pace anima mea ».

Pius VII. 1807. Indulg. 300 dier. tot. quot.

« O sancte Joseph, exemplar ac patrone cultorum sanctissimi Cordis Jesu, ora pro nobis ».

Leo XIII. 1891. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Sancte Michael Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo judicio ».

Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die.

« Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen ».

Pius VI. 1795. Indulg. 100 dier. tot. quot.

Plures hujus generis preces jaculatoriae inveniri possunt in Raccolta Rom., in praelaudato opere « Collectio Indulgentiarum » a P. Petro a Monsano, aliisque de Indulgentiis tractantibus libris.

Religiose Frater! numquid ejusmodi affectus, ejusmodi preciunculae illuminant, ducunt ad virtutes et amorem Dei? — Certe, neque via breviore de virtute in virtutem itur, quam mediante usu precum jaculatoriarum.

5. *De visitatione SS. Sacramenti.*

Dolenda res! hominem, lucris suis inhiantem et commodi sui studiosissimum, tot occasiones, tot vias et media ad com-

parandas inaestimabiles gratiarum thesauros negligere, nec uti tempore illo, quo et serere et metere posset plenae messis et innumeros meritorum manipulos. Pudenda res! sitibundum canem currere ad fontem, et homines sibi fodere cisternas dissipatas, cisternas vanitatum et voluptatum, sitiri venena et aquas pestiferas, fontem vero omnis boni derelinqui. « *Quae alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis* », gloriabatur Moyses (Deut. 4). O quae major gloria nostra, quibus ter Optimus Deus Maximus non adpropinquat modo, sed proxime et familiarissime cohabitat? Caeca tamen et perversa mortalium voluntas convertitur ad nugas et quisquilias: aut oblita aut pertaesa Dei sui, mire adeo et amabilissime praesentis. — Devota anima! quae Deum amas, ama frequentiorem ad eundem accessum, adora eum sacratissimis speciebus contectum, et quem ore manducare non conceditur, manduca spiritu et desiderio. Sternitur tibi mensa regia momentis singulis, et Deus eucharisticus carni tuae et affectibus tuis intimus fieri desiderat.

Modus visitandi et adorandi SS. Sacramentum.

Nec de necessitate, nec de gratiarum multitudine ex visitatione Sanctissimi Sacramenti nobis redundantium hic sit sermo: sed solummodo *de modo* istius visitationis, quem aliqua verba de ejusdem convenientia praecedant. Sicut jam supra dictum est, Moyses aliquando gloriam gentis suae praedicans: « *Non est,* inquit, *alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris* » (Deut. 4). — Quid, quaeso, dicturus fuisset Moyses, si pro umbra, quam adeo venerabatur, rem et veritatem ipsam in ecclesia nostra vidisset inter nos assidue commorantem? — Sed quid dicere, quid cogitare debent sacerdotes et Religiosi, qui adeo familiari ipsius consuetudine utuntur? Certe, non est alia natio, nec alia homi-

num conditio tam grandis, tam honorata, tam beata, quae habeat talem ac tantum Deum sibi ita propinquum? Sed quid inde? Nonne aequum est, ut ipsi jugiter assistant, qui in ipsorum domo habitare dignatus est? Quod quia fieri non potest in hac vita, certe convenit, ut frequenter compareamus tamquam aulici coram Domino nostro obsequiaque ipsi praestemus et tamquam filii piissimi ad patrem amantissimum recurramus etiam tempore, quo officium divinum nos ad eum non advocat. Quare: Accessurus ecclesiam Dei, cogita te aulam supremi regis intrare. O quanta coram Majestate comparendum tibi! stupet orbis sedentem in throno Salomonem. « *Ecce, plus quam Salomon hic* » (Matth. 12). Ad thronum venis Dei viventis, stipatum Angelorum millibus, fulgentem a majestate deifica, a plenitudine gratiarum. Ad hunc in spiritu humilitatis te confer, adora in spiritu et veritate Deum praesentem:

Actus salutationis et adorationis.

« Laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum! laudo et adoro, o Deus abscondite, potentiam tuam; plus dare non potuisti! laudo et adoro sapientiam tuam; plus dare nescivisti! millies laudo et adoro amorem et benignitatem; plus nunquam dedisti, quam cum te sub minima panis mica, sub vini guttula recondere voluisti. O Jesu! Offer te Deo Patri pro debitis meis, sicut te in cruce pro peccatis totius mundi obtulisti. Offero tibi, o Pater aeterne! hunc Filium tuum in juge propitiationis sacrificium, in laudis tuae holocaustum perenne, Filium, in quo tibi semper complacuisti, dilectissimum. Memento copiosissimae illius satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris morte sua acerbissima exsolvit. Salve, pretiosissimum amoris lytrum, vera hostia in cruce immolata; adoro te, sicut humanitas tua adorat divinitatem, sicut chori Angelorum et Sancti omnes te adorant. Coram te, Rex immensae Majestatis! procidens, corde et ore credo et confiteor tuam

veram, vivam et personalem praesentiam. Ades Homo-Deus: ita fides, quam aeterna veritas revelasti, me docet. In hac fide vivam et moriar. Spero in te, o misericordissime, qui tanta mira nostri causa voluisti facere, et usque ad consummationem saeculi manere nobiscum; quid negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares? sperare me et bonitas, et fidelitas, et potentia tua jubent. Amo te, o amor unice! et posthac in aeternum te amabo; amorem tuum et teipsum in augustissimo Sacramento legasti mihi; o pium, o sacrosanctum legatum! tenebo hoc nec unquam dimittam. Irreverentias et injurias omnes, quibus in te peccavi, deprecor et defleo. Amo Te; et amoris mei tessera sit: centies et millies laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum.

NB. Varios alios in te potes excitare affectus juxta exempla in Evangelio tibi praesentata:

1. Accede ad Dominum Jesum eadem fide et devotione, qua Pastores et Magi ad eum recens natum festinantes venerunt, et procidens ante eum, in cujus Nomine omne genu flectitur, in actus humilitatis, fidei, spei, charitatis, oblationis, deprecationis etc. erumpe.

2. Accede sicut Publicanus in animo contrito et confusione sauciato, prae dolore singultiens et pectus prae amaritudine percutiendo actus cordis tui dicens. Hoc sacrificio spiritus tui contribulati ac cordis tui contriti et humiliati mirifice delectatur Dominus Jesus, et te justificatum in pace dimittet.

3. Centurionis humilitatem indue, — aut divinum hunc Sponsum et animarum zelotem velut Magdalena contemplare.

4. Adeas cum fiducia ut caecus, ut leprosi et alii aegrotantes; et quamvis velut importunus increperis, multo magis clama, — et aperi divino medico tuas infirmitates spirituales: hanc superbiam, hunc teporem etc.

5. Expedit etiam, ut Mariae instar, quae monita salutis a Domino Jesu petit, sedeas secus pedes ejus, ut pariter audias loquentis intus veritatem et documenta; — sed attente audi et docibili corde custodire contende, quid per suam gratiam in conscientia tua loquatur praeceptor bonus.

6. Multum proderit, ut instante tentationum procella, ad eum cum Apostolis trepidus confugias; — sed praesertim accede et festina, oraturus fidenter cum Chananaea, et avide pete quod Dominus Jesus tibi magis expedire scit ad suam gloriam et tuam salutem.

7. Recogitans in amaritudine animae tuae, quam juste iram Patris aeterni, ejusque flagella propter nimia peccata tua merueris, offer illi dilectum Filium in propitiationem delictorum tuorum et in plenam cum illo reconciliationem.

8. Praesertim feria VI. cujuslibet hebdomadae operae pretium erit incumbere satisfactioni et deprecationi ad *Sanctissimum Cor Jesu.* In genua ergo ante altaris Sacramentum provolutus et reconciliationem pro te et populo facturus, animo contrito ingemiscens ora veniam; et sicut Dominus Jesus orationes suas, dicta, facta et seipsum Deo Patri jugiter offerebat, fac tu idem in unione ejusdem intentionis Sanctissimi Cordis Jesu.

Peracta salutatione et adoratione Sanctissimi Sacramenti devotissime suscipe dulcissimum tuum Jesum per communionem spiritualem in cor tuum, eliciens congruos affectus.

NB. 1. *Formulae pro Communione spirituali* adsunt permultae; elige, quae animae tuae Jesum amanti placuerit. — Ad finem visitationis Sanctissimi Sacramenti semper ex toto corde saluta *B. V. Mariam,* dilectissimam Matrem tuam, et tandem ab altari nonnisi aegre discessurus, posce a Salvatore tuo benedictionem, sicut Jacob ab Angelo poposcit.

2. Ceterum credere noli, supra dictum modum visitationis SS. Sacramenti unicam esse methodum S. Eucharistiam visitandi. Proverbium: « Praxis est multiplex », etiam quoad hoc pietatis exercitium applicandum. Poteris pro hoc exercitio orationes tuas variare (sed hoc semper posito, ut precationes etc., tuae semper ad SS. Sacramentum sint directae). Lege visitationes S. Alphonsi, et multa invenies huic exercitio inservientia. Recita *cantica* e. gr. « Adoro te devote, latens Deitas » — « O Deus, ego amo te » — « Pange lingua » — « Lauda Sion » — « O salutaris hostia » et similia; aut *Litanias:* de SS. Sacramento — de sacratissimo Corde Jesu — de SS. Nomine Jesu etc.

6. *De veneratione et cultu B. V. Mariae.*

Per amicos et aulae proceres accessus subdito ad regem patet. Regis regum amici et ministri aulici coelites sancti sunt. Inter hos locum primum tenet *Regina sanctorum omnium B. V. Maria;* haec Mater, sponsa, domina et Regina tibi sit cordi; hanc ama et cole, secutus exemplum Seraphici Patris tui, qui purissimae Virgini totus devotus et Ordinis sui fundamenta non in alia aedicula, quam Mariae sacra (Portiuncula) ponere voluit. Quis non amet? Quis non colat Mariam? Moveant te ad ejusdem amorem et cultum prae millibus aliis verba solius S. Ignatii Martyris, qui ait: « Quos non salvat Dei justitia, salvat sua intercessione MARIAE misericordia ». Non autem salvat Mariae misericordia inertes ac viles animas, quae salvari non cupiunt, sed animas salutis studiosas, animas devotas, animas patrocinio materno dignas. Hoc patrocinio dignum te redde, Frater Mariophile! filiali et constanti amore, ac cultu Virginis Deiparae. Ama et cole MARIAM, si te et salutem tuam amas. Cultus praecipue Conceptionis immaculatae Virginis Mariae decus et ornamentum tuum sit, quo te super alios Mariae clientes efferas. Toto cordis affectu ama et cole Virginem sine labe conceptam. « *Beatus homo* », inquit ipsissima Mater gratiae (Prov. 8), « *qui vigilat ad fores meas quotidie* ». Quaenam hae « *fores* » ? — Exordia vitae Marianae sunt: conceptio ejusdem, interpretantur Septuaginta: Beatus, qui devotas agit vigilias ad colendam Virginis conceptionem; qui excubat et zelo ardet pro defendendo et promovendo honore conceptionis immaculatae.

Omni die dic Mariae laudes, Mariophile. In cultu Mariano nota sequentia:

1. Antequam oras ad Virginem Mariam, ore et corde humiliato dic: « Dignare me laudare te, Virgo sacrata! Da mihi virtutem » etc.

2. Nomen ejus suavissimum cum reverentia profer, scribe et audi.

3. Officium seu Cursum Marianum, nisi charitatis obsequiis, aut obedientiae officio impediaris, ora quotidie.

4. Singulis etiam diebus Rosarium seraphico-marianum (septem nempe decadum) recita.

5. Devota interdiu fige oscula imagini Sanctissimae Virginis, et ab ea benedictionem maternam exora, dicendo: « Ave Maria » etc., aut saltem: « Me cum prole pia » etc.

6. Frequentius meditare gaudia et dolores, aliaque sacra Marianae vitae mysteria.

7. Saepius eidem congaude et adgratulare ob praerogativas et virtutum, quibus excelluit, splendorem.

8. Sabbato aliisque diebus ejus honori sacris, aut saltem in pervigilio eorum specialem quendam mortificationis aut devotionis actum exerce.

9. Toti Familiae Marianae addictus esto. Venerare cultu singulari beatissimum Sponsum *Josephum* et parentes B. V. M. *S. Joachim* et Matrem *Annam, S. Joannem Evangelistam,* omnes demum Sanctos, qui Mariae singulari cultu et affectu adhaeserunt.

10. Cultum ejusdem apud alios promove, loquendo in ejus laudem, verbo et exemplo ad ejus amorem et imitationem alios inducendo.

11. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca (S. Bern.).

12. Ad Deum orans pro impetranda gratia, confuge etiam ad Dei Matrem: « Totum enim Deus nos habere voluit per Mariam » (Iterum S. Bern.).

13. Si contra propositum generale aut particulare deliquisti, precare etiam veniam errati a Matre sanctissima, et juxta doctrinam a Christo Domino S. Birgittae traditam, ora in satisfactionem saltem unum « Ave Maria ».

14. Ad signum salutationis angelicae, quasi ad alloquium reginae vocatus, verba illa divina et angelica reverenter et devote profer.

15. Mane, vespere, imo horis singulis in ore et corde tuo sit laus Virginis.

16. Ascende ad gradum devotionis Marianae praestantissimum, *imitationem nempe vitae et virtutum Marianarum.*

« Quicumque Mariae optat praemium, imitetur exemplum », hortatur S. Ambrosius (in lib. de Virg.). Speculum omnium virtutum Maria est; inspice: exhibeo tibi in illo praestantiores, quibus effulsit electa ut sol, evangelicas nomine, eo quod illarum vestigia in Evangeliis invenire sint.

1ª est virginalis illa et *summa castitas,* qua major (teste S. Anselmo) sub Deo nequit intelligi: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco » ?

2ª *humilitas profundissima:* « Ecce ancilla Domini » !

3ª *perfectissima resignatio* in divinam voluntatem: « Fiat mihi secundum verbum tuum ».

4ª *gratitudo erga Deum* pro acceptis beneficiis et laus Dei animo ferventissimo persoluta: « Magnificat anima mea Dominum ».

5ª *Paupertas altissima:* « Reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio ».

6ª *Obedientia exactissima:* « Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini » (Luc. 2).

7ª *Patientia invictissima:* « Ecce, pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te » (Luc. 2).

8ª *Caritas proximi:* « Vinum non habent » (Joan. 2).

9ª *Fortitudo et magnanimitas:* « *Stabat* juxta crucem Jesu mater ejus » (Joan. 19).

10ª *Oratio constans et devotissima, interna:* « Maria conservabat omnia verba haec conferens in corde suo » (Luc. 2), et *externa:* « Erant perseverantes unanimiter in oratione cum Maria matre Jesu » (Act. 1).

Mariophile! unum verbum: ama, ama Mariam, Matrem tuam. Ingeniosus est amor filiorum; hic ad colendam Matrem tuam, ad imitandum Matris virtutes plura te docebit.

7. *De cultu Sanctorum.*

Post Mariam Matrem *angelos tutelares* singulari amoris et devotionis cultu prosequere. O quanti hi custodes! Deus ipse mandavit, ut custodiant te in omnibus viis tuis. « Fi-

deles sunt », ait mellifluus Bernardus, « prudentes sunt, potentes sunt » ; « in quovis ergo diversorio », monet idem sanctus Doctor, « in quovis angulo angelo tuo reverentiam habe ». Time et ama angelum ; delicatus est spiritus ; S. Francisca Romana, quae familiari angeli consuetudine fruebatur, dulci hoc solatio semetipsam ob levem defectum privabat. Est benignus, misericors spiritus, in manibus portabit te. Memento ubique praesentis angeli tui, imo non angeli tantum, sed angelorum ; in medio enim angelorum es, quoties in medio hominum es. Sunt angeli provinciarum, locorum, ecclesiarum, angeli personarum honore omni et veneratione dignissimi. Saluta mane, saluta vespere custodem tuum, et quavis hora saluta. Quantulum est ad sonitum horae dicere : « Sancte angele Dei, qui custos es mei » etc., — et hoc quantulo, quantum eidem places !

Prae reliquis Sanctis honorem defer *Patri Seraphico et fundatori Ordinis, Sancto Francisco*. O quales ei debes gratias, maximas profecto ob vocationis tuae gratiam, ad quam interventu suo promotor erat. Ora ab eodem quotidie gratiam perseverantiae in bono, gratiam illam summe necessariam, quacum fructus vocatione tua dignos proferas.

Dies nulla transeat, qua homagium devotionis non praestes *Sanctis illis*, quorum nomen aut a baptismo aut religione sacra inditum habes : Sanctis, ad quos fiducia major et affectus tenerior te trahit : sanctis Provinciae et Conventus tui Patronis. Quodnam autem devotionis homagium Sanctis acceptissimum ?

1. Imitatio eorundem vitae. « Imitari non pigeat », ait S. Augustinus, « quod celebrare delectat ».

2. Saepius Deo gratias age pro gratiis Sancto concessis.

3. Venerationem et cultum exhibe etiam imaginibus Sanctorum.

4. Offer bona opera tua in honorem Sancti.

5. In ejusdem honorem cave a peccato, in quod proclivior es.

6. Mortificationem aliquam in honorem Sancti aut internam aut externam subi.

7. Litanias de sanctis Patronis quotidie recita.

8. Diem demum sancto Patrono sacrum quasi diem nuptialem et scaenopegiam cole: devotionis et pietatis studio totum te die illo impende. « Filii Sanctorum sumus » (Tob. 2); amemus ergo, veneremur Sanctos; instemus eorum vestigiis, simus sancti filii!

8. *De Indulgentiis.*

Propter magnum Indulgentiarum numerum, quibus Summi Pontifices Ordinem nostrum Seraphicum ditarunt, illarum enumerationem specialem cum particularium tum plenariarum omitto, et solummodo nonnullas ex praestantissimis infra adscribam. Reliquas ex elencho a S. Congregatione Indulgentiarum adprobato et in multis Ordinis Seraphici libris tibi occurrente cognoscas. — Pro primo autem hic nonnulla verba de S. Indulgentiis earumque lucratione adponam.

Recogita *fontem indulgentiarum.* « Indulgentiae fiunt », ait ven. Doctor noster irrefragabilis Alexander Halensis, « de meritis supererogationis membrorum Christi et maxime de infinitis supererogationibus meritorum Christi, quae sunt spiritualis thesaurus Ecclesiae » (Summ. P. IV. quaest. 23).

Indulgentia ipsa autem est poenae temporalis, peccato quoad culpam dimisso debitae, remissio; plenaria, quae totam remittit poenam, partialis, quae partem poenae. Requiritur 1mo ad lucrandam indulgentiam *status gratiae;* poena enim, quae per indulgentiam remittitur, non remittitur, nisi deleta culpa gravi. Culpa venialis non impedit, quin pro aliis peccatis jam deletis indulgentiam consequi possis. Statum gratiae acquiris aut per confessionem, quae ad lucrandas indulgentias saepius exigitur (ita constituentibus Summis Pontificibus) etiam a nullius peccati gravis reo, aut per contritionem. 2do *Intentio lucrandi Indulgentias,* saltem habitualis in recipiente, virtualis in operante. Si indulgentia sit applicabilis defunctis,

et his succurrere intendas et intentionem tuam determines ad hanc, aut ad illas animas. Plures quandoque dies una habet Indulgentias, quae minus notae nobis, aut quarum non recordamur; ut et hujus thesauri particeps fias, consultissimum erit, juxta exemplum S. Leonardi a Portu Mauritio precibus matutinis addere intentionem generalem, lucrandi hodie piis operibus et orationibus tuis omnes indulgentias lucrabiles, tibi et animabus defunctorum; 3ᵗⁱᵒ *Operum et precum praescriptarum per se, non per alium perfecta persolutio.* Ad ordinarias Indulgentias sufficit orare septem (aut saltem quinque) Pater et Ave; orentur autem in loco, tempore et intentione per Breve aut Bullam Apost. designatis. Locus est ille, ubi est Indulgentia; tempus, quod per Bullam designatur; intentio pacificatio Principum Christianorum, exstirpatio haeresum, exaltatio S. M. Ecclesiae, et si alia pro speciali casu foret intentio, non errabis, si preces persolvas ad mentem Ecclesiae aut Summi Pontificis.

Quoad lucrandas Indulgentias tria puncta sequentia saepius recogita:

1. Quam pretiosus thesaurus spiritualis nobis per S. Indulgentias a S. Matre Ecclesia est oblatus, ut tam facili modo pro peccatis nostris satisfacere et post mortem statim aut quantocius ad sempiterna gaudia pervenire possemus. Poenae purgatorii: quales et quantae!

2. Indulgentias plenarias lucraturus, memento: hoc impossibile esse, nisi in corde tuo adsit status gratiae, verum odium omnis peccati voluntarii (etiam minimi voluntarii peccati venialis) et spiritus poenitentiae; nam « *vere contritis* » solummodo Mater Ecclesia thesauros suos distribuit. Insuper opera a Summo Pontifice praescripta accuratissime et summa cum diligentia *juxta verba* Brevis Apostolici persolvi debent. Si tali modo Indulgentias lucrari studueris, easdem certe etiam lucraberis, et insuper spiritus pietatis et devotionis in te augebitur.

3. Tandem recogita, quam magnum adjutorium animabus in purgatorio detentis praestare possis Indulgentiis iisdem

adplicatis, et quanti momenti etiam pro propria nostra pietate et salute aeterna sit devotio et misericordia erga has pauperrimas animas! — Cogitatio de purgatorio nonne continua praedicatio est nobis, ut nos praeservemus ab illo? Quanta autem gloria externa Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto in coelo resultat ex unius animae liberatione?! Quot gaudia exinde B. V. Mariae, Angelo custodi, sanctis Patronis totique Curiae coelesti! — Quam gratitudinem animae, quarum liberationem aut acceleravimus aut perfecimus nobis praestabunt, intercedentes pro nobis apud Optimum Deum, ad cujus visionem et fruitionem beatificam nos eas perduximus! Inde vetus illud proverbium et axioma: « Nullibi tanta gratitudo, quam in purgatorio et apud animas aliorum adjutorio ex illo liberatas ». — Quapropter, charissime Frater, erga animas in purgatorio detentas semper misericordem te exhibe et pro illarum liberatione indefesse ora et labora. Hic videtur esse locus, ut in favorem animarum in purgatorio detentarum subsidium tibi ostendam, quo maximum eisdem animabus solatium procurare poteris, et hoc subsidium est:

Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas.

Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas in eo consistit, quod Christifidelis, *sive aliqua adhibita formula, sive etiam tantummodo mente*, offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii *omnia opera satisfactoria*, quae ipse, quoad vixerit, peraget: necnon *omnia suffragia*, quae post mortem quomodocumque ei obvenire poterint. Multi Christifideles B. Virgini Mariae devotissimi, auctore aut suasore b. m. Gaspare Oliden ex Ordine Clericorum Regularium Theatinorum, consueverunt hujusmodi opera satisfactoria et suffragia in manus quodammodo B. Virginis deponere, ab eadem pro suo beneplacito distribuenda in favorem animarum Purgatorii.

Hic actus heroicus charitatis iterum ac saepius ab Apostolica Sede fuit approbatus atque Christifidelibus commendatus; imo, ut defunctis evaderet utilior, a Benedicto XIII. a. 1728 indulgentiis fuit ditatus auctique privilegiis, qui illum emiserunt, quae omnia confirmata fuerunt a Pio VI. a. 1788. Rursus Summus Pontifex Pius IX. a. 1852 non modo favores omnes confirmavit, verum etiam voluit, ut infra declarare:

1. Quod Sacerdotes ipsam Oblationem profitentes *indulto altaris privilegiati personalis* gaudere possint *singulis anni diebus*.

2. Quod omnes Christifideles, qui idem Votum [1] seu Oblationem emittunt, *indulgentiam plenariam* fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant *quocumque die* ad sacram Communionem accesserint, et *qualibet anni feria secunda* sacrum Missae sacrificium in suffragium eorundem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint.

3. Quod ipsis Christifidelibus omnes et singulas indulgentias *quocumque modo* concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat.

Ecce, quot et quanta Privilegia concessa sunt iis, qui hunc heroicum charitatis actum emiserunt! — Lege de hoc themate in libro P. Guilielmi Faber « *Omnia pro Jesu* » (Alles für Jesus) (cap. II. § 4, et cap. IX. §§ 6 et 7); P. A. Maurel S. J. « *Indulgentiae* » (P. I. n. IV. et VI.) et « *Collectio Indulgentiarum* » a P. Petro a Monsano (P. II. cap 1. pag. 212-214).

Noli timere, talem propriorum meritorum cessionem pro te futurum esse damnum; econtra: S. Theologia, exempla et

---

[1] Quamvis actus heroicus charitatis designetur aliquando nomine *voti*, certum est tamen, ipsum nullatenus obligare sub peccato (*Raccolta Rom.* pag. 455).

doctrina Sanctorum te docent, hanc resignationem et condonationem tibi ipsi maximae esse utilitati ac lucro. Etenim per actum heroicum charitatis Christifidelis offert, ut ex supraposita definitione patet, *omnia opera satisfactoria* .... quae ipse peraget, necnon *omnia suffragia,* quae post mortem ei obvenire poterunt. Non ergo per hujusmodi actum offertur fructus operum, in quantum haec sunt *meritoria:* talis fructus alteri applicari nequit, sed operanti remanet, quem Deus in coelo superabundanti compensat praemio. Nec pariter per eundem actum charitatis *vis impetratoria* nostrarum precum impeditur, sed quisque liber est tum pro se, tum pro aliis orare ad aliquem favorem obtinendum. Per praefatum actum igitur offertur animabus Purgatorii fructus *specialis ac personalis,* qui nobis provenit ex nostris operibus, quatenus haec sunt *satisfactoria,* et ex suffragiis, quae nobis post mortem applicantur. Est revera eximiae charitatis actus, quem Deus justus magno compensabit praemio in coelis [1].

Ora ergo et labora pro fidelibus defunctis. Offer pro illis opera poenitentiae, abstinentiae, tui ipsius abnegationis aliaque opera bona; offer pro iisdem S. Missae sacrificia, S. Communiones, Indulgentias; adhibe pro his animabus pauperrimis aquam lustralem aliaque Sacramentalia, et semper memor esto illius verbi Salvatoris: « Videte, quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, *et adjicietur vobis* » (Marc. 4, 24).

Jam ex praestantissimis et innumeris fere Ordini Seraphico concessis Indulgentiis plenariis nonnullas tibi adponam:

1. *Indulg. Plen.* in die Induitionis, Professionis et primae Missae.

2. *Omnes* Indulg. plenarias partiales *omnium* ecclesiarum, basilicarum et Sanctuariorum Romae, Jerosolymis, Portiunculae et S. Jacobi Compostellae toties lucrari possumus, quoties devoto corde contriti et in statu gratiae, in quocunque loco et

---

[1] « Collect. Indulgent. » cit. pag. 214.

tempore 6 Pater et Ave cum 6 Gloria Patri recitamus ad utilitatem Ecclesiae et juxta intentionem Summi Pontificis.

3. Omnibus fere Ordinis Seraphici festis, i. e. Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri, expletis conditionibus consuetis possumus Indulg. plen. lucrari.

4. Quoties nobis tribuitur sic dicta absolutio generalis, si vera dispositione eam recipimus, Indulg. plen.; et aliam Indulg. plen., si una cum Benedictione Papali eam recipimus.

5. Indulg. plen. lucrari possumus, toties quoties sic dictam « Coronam Domini nostri » (et ad finem hujus Rosarii unum Pater et Ave ad intent. Papae), et toties quoties sic dictum « Rosarium Franciscanum » (et ad finem ejusdem unum Pater et Ave et Gloria Patri ad intentionem Papae) devote recitamus.

Per singulas Rosarii Franciscani decades unum ex septem gaudiis Immaculatae Patronae nostrae pie est meditandum, quem in finem nostris in Regionibus Salutationi Angelicae post verbum « Jesus » ad singulas decades sequentia addi solent: 1. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio de Spiritu S. concepisti. 2. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio ad Elisabeth portasti. 3. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio peperisti. 4. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio tribus Magis ad adorandum exhibuisti. 5. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio in templo invenisti. 6. Quem Virgo, Immaculata, cum gaudio prima a mortuis resuscitatum vidisti. 7. Qui te, Virgo Immaculata, cum gaudio in coelum assumpsit et Reginam coeli et terrae coronavit.

6. Indulg. plen.: toties quoties Officium defunctorum aut 7 Psalmos poenitentiales, aut Psalmos graduales pro fidelibus defunctis devote recitamus.

7. Deinde, quam multae Indulgentiae nobis sunt oblatae ex pia et devota gestatione quadruplicis aut quintuplicis Scapularis, scil. Scapularis Carmelitarum, nigri, caerulei, albi ac rubri! — Et tandem

8. *Via S. Crucis!* Quanta utilitas spiritualis cuivis animae fideli ex meditatione Passionis Domini nostri Jesu Christi, quae est essentia hujus pietatis exercitii; et quot S. Indulgentiae (animabus fidelium defunctorum applicandae), quas per hoc s. exercitium lucrari possumus, si devoto corde et juxta Summorum Pontificum mentem id perficimus! P. Franciscus Qua-

resmius (in suo opere: « Elucidatio Terrae Sanctae », tom. I. p. 448) 49 plenarias et 140 partiales Indulgentias (7 annorum et 7 quadrag.) enumerat; simulque loca sacra designat, pro quorum visitatione datae sunt; pro sola civitate S. Jerusalem 20 Indulg. plenarias!

Et *omnes* has Indulgentias per exercitium Viae S. Crucis lucrari possumus juxta Constitutionem Papae Benedicti XIII. « Inter plurima » (3. Martii 1727), qua laudatus Summus Pontifex declarat: « Propterea (viam S. Crucis visitantes) frui et gaudere Indulgentiis ac Privilegiis, quae Romani Pontifices locis sanctis ac illorum Stationibus *intra et extra* Jerusalem largiti fuerunt, *perinde ac si exercitium praedictum* (scil. Viae S. Crucis) *ibidem peragerent* ». Hanc Bullam confirmaverunt Summi Pontifices Clemens XII. (1731), Benedictus XIV. (1741.) et Pius IX.

Nota. Hic silentio praeterire non possumus *quaestionem: « An Indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae pluries in die lucrari possint » ?*

Praeclarus Auctor iterato citati ac commendati operis « Collectio Indulgentiarum » (— quod opus S. Congregatio Indulgentiarum ipsa adprobavit, testans, « nihil in eo fuisse repertum, quod minus conforme habeatur sive Constitutionibus RR. PP. sive Decretis, etiam recentissimis, necnon Rescriptis hujus S. Congr. » —) P. Petrus a Monsano, ipse Consultor S. Congregationis Indulgentiarum, firmissimis rationibus defendit sententiam affirmativam eamque ad evidentiam demonstrat. Et sane:

1. Hanc sententiam suadet *pius et singularis favor ipsius Apostolicae Sedis in piissimum Viae Crucis exercitium.* Summi enim Pontifices tum Bullis tum Brevibus singularem semper sollicitudinem ostenderunt in eo per Paroecias, per ecclesias, per aliaque loca propagando; sapientes regulas ac monita statuerunt tam pro canonica erectione stationum, quam pro directione fidelium in devoto exercitio peragendo; innumeris favoribus coelestibus ditarunt ad alliciendos Christifideles ad illud frequentandum.

2. Favet huic opinioni communis *persuasio fidelium,* qui iterantes pium Viae Crucis exercitium, non dubitant easdem denuo acquirere indulgentias.

3. Probatur *ex communi traditione in Ordine Fratrum Minorum,* in quo semper creditum est, indulgentias Viae Crucis toties acquiri, quoties sanctum exercitium iteratur.

4. Probatur *auctoritate Scriptorum,* qui communiter hanc sententiam tuentur. Omissis antiquioribus sufficiat commemorare inter recentiores clarum P. Lehmkuhl S. J., qui in sua Morali vol. II. n. 559 pag. 394, n. 2, edit. sexta, postquam dixisset, quod ex responsione S. Congregationis (— « Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari, quoties praefatum pium exercitium iteratur » diei 7 et 10 Sept. 1885 —) modo citata, *res neque affirmatur, neque negatur, sed relinquitur objective dubia,* subjungit: *Inclino tamen in eorum opinionem, qui putent, illas pluries,* i. e. *toties quoties acquiri posse etc.* — Quibus addere placet testimonium P. Rogerii Abbanii a Solerio, qui in sua *Historia.... Viae Crucis.* edita Fulginiae an. 1867, a S. Congregatione Indulgentiarum approbata, ita scribit pag. 226 n. 562: « Indulgentiae Viae Crucis semel tantum applicari utiliter possunt viventibus; nam semel remissa poena temporali plenariae indulgentiae acquisitione, nil ulterius remittendum restat. *Defunctis autem sunt applicabiles toties quoties visitatur exercitium ipsum dolorosum:* quod enim nunc prodest defuncto, in reiteratione prodest alteri, et quo plus repetitur exercitium eo magis augetur numerus fidelium paradiso inserendorum ».

5. Probatur argumento desumpto *ex authentico Summario Indulgentiarum seraphicae Chordigerorum Archiconfraternitati concessarum.* Ibi haec leguntur:

« Confratribus igitur et consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus et Brevi etiam « *Exponi nobis* » ven. Innocentii XI. (15 Maji 1688) communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, indulgentiae pro recitatione *Coronae septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, pro statione SS. Sacramenti,* et *pro exercitio Viae Crucis:* quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus *toties quoties* lucrari possunt, et Purgatorii animabus applicari » (*Rescr. auth.* Summ. 23. pag. 434 et seq. n. XII).

Meminisse quoque juvat, post editum responsum S. Congregationis supra relatum, nempe: *Ex documentis non con-*

stat etc., accessisse ad Rmum P. Ministrum Generalem Bernardinum a Portu Romatino quendam pium et doctum Consultorem S. Congr. Indulgent., qui eidem P. Ministro Generali declaravit, mentem S. Congregationis in hujusmodi negotio minime fuisse aliquid decidere, vel negare indulgentias Viae Crucis pluries in die lucrari posse, sed tantum declarare ex documentis ab ea hucusque examinatis non constare: ideo autem hoc modo respondisse, ut sibi relinqueret viam ad aliter definiendum, si forte in posterum aliquod favorabile vel contrarium documentum occurreret. De hoc, quod asserimus, extat brevis memoria in *Actis Ordinis Minorum* an. 1886, pag. 54 in nota, quae sic se habet:

« Ex praefato Decreto S. Congregatio declaravit tantummodo, *non constare ex documentis* indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas toties in eadem die lucrari posse, quoties illud iteratur; sed minime decidere voluit fideles easdem revera non lucrari, juxta explicationes Rmo nostro Ministro Generali viva voce datas. Multa etenim documenta, indulgentias Viae Crucis concernentia, temporum injuria vel diversis causis periisse compertum est. Fideles ergo pluries in die pium exercitium peragere possunt cum intentione indulgentias lucrandi, sicut in universo Ordine Fratrum Minorum et mente et praxi semper creditum est [1] ».

Requisita autem ad obtinendas has Indulgentias sunt: 1mo Status gratiae; 2do Intentio lucrandi Indulgentias (unam pro se, alias pro anima N. N. aut pro fidelibus defunctis); 3^{tio} S. Viae Crucis visitatio corporalis, nisi infirmitas seu alia rationabilis causa aliud postulet; 4to Brevis consideratio mysterii qualibet statione exhibiti.

Religiose Frater! Rogantur a Superioribus et monentur Novitii et Clerici, ut quotidie, si fieri potest, viam S. Crucis obeant et Rosarium Franciscanum recitent; haec enim pietatis exercitia Ordini Seraphico peculiaria sunt, et a viris Ordinis nostri pietate celeberrimis semper quam maxime culta et commendata. — Ceterum quoad S. Indulgentias tu ipse majorem de iis cognitionem tibi comparare debes, quam hisce pagellis

---

[1] « Collectio Indulgentiarum » P. II. § 11. pag. 543-547.

fieri potest, inspice libros de iis tractantes, ut easdem lucrandi conditiones bene cognoscas.

CAPUT VI.

De conscientiae examine particulari et vespertino.

A. De conscientiae examine particulari.

1. De examine particulari in genere.

Quemlibet Religiosum sub mortali obligatum esse ad majorem perfectionem tendendam, nullus est Religiosus, qui ignoret. Medium autem principale illuc facili perveniendi multos latet. Fingunt enim laborem in praecepto, et illic trepidant timore, ubi non erat timor. Culmen perfectionis inaccessibile putant, quia viam ignorant, cum tamen illud conscendendi variae reperiantur viae, inter quas principem locum tenet examen particulare. Hoc est enim via regia, et facilis, imo facillima cito ad perfectionem deveniendi juxta illud Ven. Thomae Kempensis: « Si omni anno unum vitium exstirparemus, cito viri perfecti efficeremur » ; hoc autem principaliter intendit examen particulare, et huc collimat, ut unum certum vitium post alterum *funditus* eradicetur, et una virtus post alteram profunde implantetur, *et ideo examen particulare* dictum ad distinctionem examinis generalis seu nocturni, quod circa totius diei varios commissos errores versatur, et generaliter emendare proponit. Est autem iste

2. Modus examinis particularis.

1. Accipe ab initio cujuslibet mensis certum *vitium* aut punctum, ad quod proclivis es, eradicandum: *virtutem* quoque certam elige implantandam.

2. Bis in die ad minimum, ante prandium scil. et post coenam, fac examen supra vitium et virtutem. Supra vitium,

an vitaveris, supra virtutem autem, habens occasionem exercendi illam, an omiseris.

3. Utrumque numerum commissionum scil. et omissionum tuarum circa praefixum vitium aut virtutem adnota.

Secundum methodum seu instructionem a S. Ignatio traditam examen particulare consistit in quinque actibus:

1. Concipe mane firmum propositum nunquam admittendi defectum illum, quem ope examinis particularis emendare desideras: idem propositum renova tempore meditationis.

2. Si lapsus contingat, admota pectori manu concipe dolorem de errato addito cautius in posterum procedendi decreto.

3. Sub vesperam discussa generali examine conscientia, oculum fige in defectum illum, quem exstirpare specialiter proposuisti; ac de admisso peculiarem elice dolorem ac propositum firmius innova; adnota errorum numerum; duc, e. gr. in charta tot lineas, quot dies hebdomas habet; nota ad quamlibet lineam defectuum numerum punctulo aut alio signo (vide infra talem figuram).

4. Post hebdomadam, aut etiam plurium hebdomadarum lapsu, inspice numerum collectum tuorum peccatorum; compara diem cum die, hebdomadam cum hebdomada, et diligenter observa, num in studio tuo processeris, aut potius defeceris. Si progressum perspicis, humiliter age Deo gratias; si defectum, de novis remediis applicandis cogita. Consule confessarium, ac eidem in sacro tribunali de defectu tuo exactam rationem redde. « Fortius insta, et contra audentior ito ».

5. Juxta admissorum peccatorum seu mendorum numerum qualitatemque tibi ipsi impone opus quoddam mortificationis, ac salutarem poenitentiam. Possunt autem poenitentiae esse hae vel similes:

1. Jejunare aliquo die; 2. abstinere a certo ferculo appetitui magis placito; 3. durius cubare vel cilicium portare; 4. expansis manibus aliquot Pater et Ave recitare; 5. extra tempus chori chorum frequentare, praesertim eo tempore ad modicum tempus SS. Sacramentum visitare, quo alii recreationibus interim vacant (si hoc sine laesione fraternae charitatis fieri potest); 6. benefacere proximo et maxime inimico; 7. certas preces pro

conversione obstinatorum haereticorum vel peccatorum fundere: item pro defunctis orare; 8. per integrum diem exactum silentium servare etc.

Nota tamen, ne rigidiores poenitentiae actus (ut sunt durius cubare, cilicium portare, per integrum diem jejunare etc.) sine praevio Magistri aut Confessarii consensu facere praesumas.

Sequitur figura pro examine particulari juxta instructionem S. Ignatii:

Feria II.	Antemerid.	» » » » » » » » » » » » »
	Pommerid.	» » » » » » » » » » » »
Feria III.	Antemerid.	» » » » » » » » » » »
	Pommerid.	» » » » » » » » » »
Feria IV.	Antemerid.	» » » » » » » » »
	Pommerid.	» » » » » » » »
Feria V.	Antemerid.	» » » » » » »
	Pommerid.	» » » » » »
Feria VI.	Antemerid.	» » » » »
	Pommerid.	» » » »
Sabbato.	Antemerid.	» » »
	Pommerid.	» »
Dominica.	Antemerid.	»
	Pommerid.	—

Haec eadem figura etiam applicari potest pro exercenda virtute ejusque exercitii omissione [1].

3. *De quibusdam virtutibus et vitiis principalioribus per examen particulare exacte discutiendis.*

Unacum Apostolis suis nobis quoque Religiosis Salvator noster Jesus Christus inculcavit verbum illud: « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est ». — Enimvero quia perfectum esse non est in potestate nostra, et

---

[1] Religiose Frater! noli hanc examinis particularis praxin tamquam rem minutiam aut novam vilipendere vel despicere; S. Ignatius, S. Alphonsus Liguori, Ven. Alphons. Rodriguez aliique praeclarissimi vitae spiritualis Magistri hanc methodum docuerunt ac recommendarunt; innumeri Sancti eam in usu habuerunt, nostrique Patres antecessores eandem nobis sequendam reliquerunt, uti ex manuscriptis eorum videndum. Idcirco tu quoque perseveranter eadem utere, ejusdemque in te experieris effectum.

solum perfectum fieri velle nostrae subjacet voluntati, atque ad perfectionem perveniendi facillimam viam dixerim esse examen particulare circa vitia eradicanda et virtutes implantandas: hinc perfectionis cupido tyroni religioso insinuare consultissimum judico quasdam virtutes ac vitia quaedam, in quorum exstirpatione, ac illarum acquisitione principalius eidem insudandum. Itaque prima et principalis virtus est

1. Humilitas.

quae juxta S. Laurentium Justinianum est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibimetipsi vilescit.

Hujus virtutis gradus seu actus principaliores secundum S. Benedictum et S. Thomam sunt duodecim sequentes:

1. Seipsum apud seipsum vere despicere: hic actus ex ipsa humilitatis definitione in tribus patet:

2. Sibi ipsi diffidere; juxta illud Christi apud Joan. 15: « Sine me nihil potestis facere ».

3. Se omnium minimum reputare, ut dicit Thomas Kempensis (l. II. c. 2): « Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias ».

4. Se divinis donis indignum judicare, prout fecisse legitur centurio Capharnaiticus gratia a Christo sibi oblata indignum se reputans dicendo: « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum etc. ».

5. Nolle laudari et honorari: nam teste S. Bernardo « verus humilis vult vilis reputari, non humilis judicari ».

6. Cupere ab aliis contemni: hinc S. Bernardus dicit: « Non est tantae virtutis honores contemnere, quam contemptum appetere ».

7. Defectus proprios libenter detegere; unde S. Gregorius: « Haec sunt verae humilitatis testimonia, iniquitatem suam agnoscere, et cognitam voce confessionis aperire, et enuntiatam poenitentiae satisfactione delere ».

8. In omnibus dispositioni divinae se subjicere. De hujus gradus excellentia legitur in S. Bernardo: « Totius humilitatis

summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinae, ut dignum est, subdita sit voluntati », sicut ait Propheta: « Nonne Deo subdita sit anima mea » ?

9. Proximo libenter se subjicere, ut monet S. Petrus (I. Epist. cap. 2): « Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum ». Hinc bene S. Ambrosius: « Vera humilitas est, quando cedimus iis, qui nobis videntur minores ».

10. Humilia officia appetere, exemplo Christi Domini, qui elegit Parentes pauperes et officium fabri lignarii subire voluit.

11. Se ad omnia inutilem reputare, hinc Christus Apostolos monuit dicens: « Et si feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus ».

12. Silentium in accusationibus et increpationibus servare, etsi innocenter accusatus vel increpatus fueris: unde S. Ambrosius: « Justus accusatus tacet, laesus remittit, dissimulat lacessitus ».

Hi sunt principaliores humilitatis gradus, quos si *vere* et non *ficte* possederis, vere humilis dici poteris. *Vere,* inquam, et non *ficte* possederis; attendendum namque diligenter est, ne fictam pro vera quis humilitatem eligat. Nam, ut bene S. Hieronymus dixit: « Multi humilitatis umbram, veritatem pauci sequuntur; perfacile est aliquem habere vestem contemptam, salutare submissius, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite oculisque dejectis humilitatem atque mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspirare crebrius, et ad omne verbum peccatorem sese ac miserum proclamare: sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuo videbis attollere supercilium, levare cervicem et delicatum illum oris sonum insano clamore repente mutare » etc.; haec S. Hieronymus. Hoc ergo ut caveas, illos ut data occasione exerceas neve quidquam eorum intermittas per examen particulare procurabis.

Secunda virtus per examen particulare implantanda est:

2. Fraterna charitas.

Inter omnia enim, quae Christus Dominus praecepit, nihil ita eminet, quam charitas fraterna. Apostoli nihil ita inculcant ac explicant, quam sanctam charitatem: hanc enim nominant « plenitudinem legis », ac tantae faciunt dignitatis ac valoris, ut sine ea omnis eloquentia, sapientia, prophetia, miraculorum donum, liberalitas in pauperes, paupertas, patientia, et omne quod speciosum est in mundo, nihil sit. Diligere siquidem proximum tamquam seipsum majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis, ut dixit legis peritus ad Christum Dominum (Marc. 12, 33).

Gradus autem vel actus principaliores sincerae charitatis fraternae sunt sex:

1. Sincerum cordis affectum gerere erga confratrem suum propter Deum; est enim haec definitio charitatis fraternae, quod scil. sit virtus, qua proximus diligitur *propter Deum.*

2. Ipsi ex corde optare omne bonum: etiam temporale, quatenus scil. conducit ad consecutionem boni aeterni. « Non enim » (ut loquitur S. August.), « diligis proximum sicut teipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducis ».

3. Ipsi omnia bona procurare per media proportionata; econtra damna studiose avertere; aut ubi proximus jam incurrit, iterum reparare, quia « omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis », dixit Christus (Matth. 7). Hinc in veteri Testamento sancitum est: « Non videbis ovem fratris tui aut bovem errantem, et praeteribis, sed reduces fratri tuo ». Ergo a fortiori, si videris fratrem tuum errantem non praeteribis, sed eundem reducere conaberis.

4. Jucundam, affabilem et gratam cum fratre tuo conversationem instituere, atque adeo sedulo cavere, quae hanc impedire possent, qualia sunt: contemptus, suspiciones, temeraria judicia etc.: hinc et actiones et dicta illius quantum potes in bonam partem interpretaberis, imo si nulla ratione

factum excusare potes, saltem intentionem excusa, ut monet S. Bernardus.

5. Perfectam cum ipso concordiam tenere, ejusque defectus patienter sufferre; « charitas enim patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet », ut ait Apostolus. Haec omnia punctatim in conversatione fraterna observabis.

6. Compati infirmitatibus illius, et afflictum, tentatum, infirmum solari; unde monet Ecclesiasticus (c. 7): « Non desis plorantibus in consolatione et cum lugentibus ambula; non pigeat te visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis ».

Hi sunt dilectionis fraternae gradus principaliores. Cave autem, ne ex nimia charitate fraterna oriatur amor inordinatus. qui ex hoc facile dignoscitur, si in tantum amas fratrem, ut amore illius dimittas legem patris, transgrediendo scil. praecepta Dei vel Regulae, aut Majorum et Superiorum tuorum leges et statuta; « ut enim perfecta fiat justitia in dilectione proximi, Deum in causa habere necesse est », inquit S. Bernardus, « alioquin proximum diligere pure non potest, qui Deum non diligit. Oportet ergo Deum diligere prius, ut in Deo diligatur et proximus »; sic S. Bernardus. — Hinc tertia virtus per examinis particularis diligens studium acquirenda, est

3. Spiritus devotionis,

seu devota per frequentem orationem mentis elevatio ad Deum. Difficulter enim poterit quis in virtutum exercitio perdurare, qui devotione tamquam confortativa unctione caruerit. Ideo bene S. Bernardus: « Non est familiaris Deo, qui non est amicus orationis ». Et S. P. N. Franciscus in sua S. Regula (cap. 5) cavet, ne fratres sinant extingui per otiositatem, aut labores excessivos spiritum devotionis, cui debent cetera tem-

poralia deservire. Est autem spiritus devotionis impulsus quidam religiosus et suavis ad colendum Deum maxime per actus eum immediate respicientes et honorantes; quales sunt:

1. Reverenter persolvere officium divinum ad normam supra (in cap. V.) fusius traditam, scil. attente, devote etc.: « *Deus enim est spiritus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* », dicit Apostolus (Joan. 4, 24).

2. Orationi mentali, seu meditationi de rebus divinis (et praesertim passionis dominicae) sedulo incumbere (de qua fusius in Parte III.), « quia », ut ait Psalmista, « in meditatione mea exardescet ignis ».

3. Colere Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, illud saepius per diem, et praesertim post mensam devote visitando; per talem enim conversationem magis cognoscitur ejus amabilitas, dignitas, infinitus amor, animaque vicissim ad amorem mutuum incitatur. Hinc S. Catharina Senensis intuens S. Hostiam videbatur intueri fornacem ardentem ad inflammandos eos, qui propius accessissent.

4. Ad minimum unum saltem Sacrum audire quotidie, et diebus festivis ac dominicis haud minus quam duo, eo quod nullo sacrificio honorificentius laudetur Deus, quam per Altaris immaculatam hostiam, « quam praecipue ob divinae laudis exhibitionem complendam Ecclesiae suae offerendam Christus instituit », ut dicit S. Laurentius Justinianus.

5. Specialem devotionem erga B. V. Mariam gerere, frequenter scil. cum illa tum per quotidianas et magno cum affectu peractas preces, tum per constantem et filialem prorsus fiduciam, vel in templo ejus honori specialiter dicato, vel certe coram pia quadam et ad affectum reverentiae amorisque excitandum idonea imagine de suis negotiis ac necessitatibus colloqui et tractare. Dici quippe vix potest, quantum ex tali familiaritate incrementum capiat Marianus amor, et spiritus devotionis; de ipsa enim apte explicatur illud Proverb. (c. 8): « Beatus homo, qui audit me, et vigilat ad fores meas quo-

tidie, et observat ad postes ostii mei: qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino ».

6. Semper orare; id est per preces jaculatorias et bonas intentiones piasque aspirationes frequenter mentem ad Deum levare: « quodsi enim teipsum » (ut cum S. Chrysostomo loquar) « destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris; ut enim pisci vita est ex aqua, ita tibi deprecatio frequens ».

Hi sunt spiritus devotionis principaliores gradus: tu solum caveas, ne eis adeo pertinaciter inhaereas, ut data forsan occasione obedientiam Superiorum exinde negligas, aut communia negotia, quae dilationem non patiuntur, omittas, ut tuis privatis devotionibus commodius insistere valeas. Talis enim spiritus non est spiritus devotionis, sed spiritus privatus, qui ex Deo non est, sed ipsi displicet, quia ipse dixit: « Melior est obedientia, quam victimae » (cf. Speculum discipl. c. 12).

Hae tres virtutes, si firmas in te radices posuerint, secundum omnes actus suos et gradus, sufficiens fundamentum sunt, ut de virtute valeas ire in virtutem. Oportet ergo hoc facere, sed oportet et alterum non omittere, i. e., oportet sese occupare in studio acquirendarum virtutum, sed non intermittenda diligentia eradicandi vitia. Quid enim juvaret te esse humilem, si non es temperans? quid prodest diligere proximum, si tu otio putrescis? et quid valet oratio frequens ad Deum, si nescis perfecte obedire Superioribus, qui sunt loco Dei? — Ergo praeprimis desudabis in eradicandis vitiis principalioribus, quae sunt:

4. Intemperantia in cibo et potu.

Non est hic sermo de gula et ebrietate, in quantum peccatum mortale et capitale constituunt, bibendo scil. usque ad rationis, vel etiam sensuum externorum privationem: vel comedendo et ventrem cibis replendo usque (sit venia) ad vomitum et sanitatis destructionem. De his enim non in examine particulari tractandum; quoniam per confessionem sacramentalem et firmissimum emendationis propositum serio

tolli debent; — sed solum hic agendum de excessu in bibendo et edendo, ita, ut in illo ratio quidem non tollatur, sed tamen aliqualiter perturbetur, in isto vero sanitas corporis manifeste quidem non destruatur, mens tamen ad spiritualia segnis reddatur. Horum autem actus principaliores sunt:

1. Ante tempus comedere vel bibere, de quo Eccl. (c. 10): « Vae tibi terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ». — Hinc bene S. Philippus Nerius dixit: « Certe neminem fore virum spiritualem, qui extra tempora prandii vel coenae aliquid bibit et comedit ».

2. Nimis lautos et delicatos cibos aut potum appetere: « qui enim », ut ait S. Ephrem, « corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit » ; « quare (ut cum Petro Blessensi loquar) plerumque evenit, ut vitium gulae meritum eorum destruat, qui viam religionis elegerunt ». « Illud prae ceteris (prosequitur idem Petrus Blessens.) mihi doloris materiam importat, quod hodie viri religiosi et s. Ordinis professores de ferculorum numerositate contendunt ». — Addo et ego: et haustus vini frequentiores cum excessu repetunt. « Omne siquidem bonum », dicit Bellovacensis, « omne, inquam, bonum spirituale dissipant ebriosi seu meribibuli; quia ebrietas (et consequenter etiam excessus in vino) est mors omnium virtutum et morum; ebrietate fit jactura omnium bonorum. Si habet homo humilitatem, mansuetudinem, prudentiam etc., omnia projicit in pelagum iniquitatis; et sicut ebrii saepe vestibus suis materialibus spoliantur, quin advertant, sic eorum animae inadvertenter virtutibus denudantur »; hoc Bellovac.

3. Nimis comedere et bibere. Contra hujusmodi conqueritur Apostolus ad Philipp. (c. 3): « Multi ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem flens dico) inimicos crucis Christi; quorum finis interitus, quorum Deus venter est ». De hac ventris ingluvie inquit S. Gregorius: « Inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensuum circa illegitima propagantur et quae Dei sunt, obliviscuntur ». — Unde

Propheta Oseas bene de talibus: « Juxta pascua adimpleti sunt et saturati sunt; elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei » (hoc Propheta in persona Dei).

4. Nimis ardenter cibum aut potum appetere; « quod enim », ut ait S. Chrysost., « necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est; satietas morborum omnium origo »; — et S. Gregorius: « Edacitas usque ad luxuriam protrahit; quia dum de satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur ». — Hinc monet Ecclesiasticus (c. 37): « Noli avidus esse in omni epulatione, et ne te effundas super omnem escam ».

5. Studiose nimis praeparatum alimentum appetere, aut electuariis et stomachalibus in cibo vel potu inhiare. Bene contra hoc vitium infert doctissimus Josephus Mansius: « Ad quid ars coquorum nobis prodest: imo vero, ad quid non obest, cum tam corpori quam animae non mediocriter officiat »? — Imo comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem (etsi non obsit valetudini) ut peccatum ab Innocentio XI. Summo Pontifice damnatum fuit. Ubi autem magis quaeritur voluptas, et quandoque sola voluptas, quam in electuariis, et nimis delicate praeparatis cibis? — « Sit ergo vilis et vespertinus cibus », suadet S. Hieronymus; « qui Christum desiderat illo pane vescitur; non quaerit magnopere, quem pretiosis de cibis stercum faciat ».

Hi ergo sunt principaliores excessus, qui in cibo et potu committi possunt. Tu vero, religiose Frater! ex consideratione gravissimorum damnorum corporis et animae ex his excessibus provenientium per diligens examen particulare illos evitare summopere studeas: « et si gulam in hoc vitio continueris, paradisum habitabis », inquit S. Basilius Magnus.

Secundum vitium eradicandum erit:

5. Otium.

Quod communiter definitur, quod sit cessatio seu vacatio ab utili negotio. Hic ergo non tractamus de otio spirituali,

seu acedia, cujus actus principaliores essent: meditari sine fructu, orare sine devotione, conscientiam suam cursim examinare, legere, quae delectant, non quae moveant, in confessione durum, in sacra communione lapideum et sine sensu existere: in exhortationibus spiritualibus sponte ad alia distrahi, in bonis propositis inconstantiam, et in obligatoriis nauseam ostendere: — de hoc, inquam, otio spirituali hic non, sed de corporali sermo movetur, cujus actus sunt:

1. Somno plus temporis tribuere, quam recta ratio postulat: « pigredo enim », inquit Sapiens (Prov. 19), « immittit soporem ». — Hinc idem Sapiens (in Prov. 6, 9 sqq.) invadit pigrum dicens: « Usquequo, piger, dormies? quando consurges e somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi armatus vir. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longe fugiet a te ». — « Certe », dicit S. Leo, « ad dormientes non venit Regnum coelorum; nec otio desidiaque torpentibus beatitudo aeternitatis promittitur ».

2. Otiosis et inutilibus cogitationibus se occupare, negotia belli tractare, Imperatorum et Magnatum secreta et arcana rimari, de politicis sapienter nimis velle scire et discurrere, in ephemerides inhiare, novellas ter quaterque revolvere et ruminare etc. —; his omnibus tamquam otiosis dici potest illud evangelicum: « Quid hic statis tota die otiosi »? et illud Ecclesiastici (c. 7): « Fecit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis immiscuit quaestionibus ».

3. Otiosis et inutilibus verbis tempus terere: contra quos Christus in Evangelio: « Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines super terram, reddent rationem de eo in die judicii ».

4. Operibus inutilibus se occupare; quando scil. varia quidem negotia tractant, sed tempori, loco, personae non accommoda, vel inutilia et nociva. Hi enim sicut pueri in construendis casulis luteis, aut in arundine equitando per inte-

grum diem occupatissimi sibi videntur, cum tamen nostro judicio nonnisi nugas tractent.

Sic omnes occupationes terrenae, in quibus Dei gloria, vel salus proximi aut nostra non quaeritur, etsi nobis seriae et graves videantur, Deo tamen et Angelis ejus displicent, ac sapienti cuique inane otium et nugae videntur; unde recte concludit Seneca, totam fere hominum vitam otiosam esse, dum ait: « Si volueris attendere, magna vitae pars elabitur male agentibus: maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus ».

Hi sunt otiosorum principaliores actus. Tu vero hos omnes per diligens examen particulare declinare elaborabis; hujuscemodi enim negotia non sunt labores, sed otia; et « talis otiosi hominis mens », inquit Ven. Cassianus, « nil aliud cogitare novit, quam de escis et ventre, donec inventa quadam societate aequali torpore torpente rebus eorum ac necessitatibus involvatur, et ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tamquam serpentinis spinis obstrictus nunquam deinceps ad perfectionem professionis suae se valeat enodare ». Haec Cassianus. Facito ergo aliquid operis utilis, ut te semper diabolus inveniat occupatum; « otium enim », ut ait S. Bernardus, « tentationum omnium et cogitationum malarum est colluvies ».

Tertium vitium eradicandum venit:

6. Irreverentia et inobedientia erga Superiores.

Definitur hoc malum, quod sit vitium, quod renitentem aut tardam reddit hominis voluntatem ad adimplendam voluntatem praecipientis. Cujus actus potiores sunt:

1. Per verba expressam voluntatem Superioris legitimi voluntarie transgredi vel non implere mandatum. Contra hos scribit Apostolus ad Thessal. (II. 3, 14): « *Quodsi quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur* ».

2. Impositum a legitimo Superiore negotium sine sufficienti ratione recusare; « non enim Superiorem, sed seipsum fallit Religiosus, qui per nolle dicit se non posse ». Sic S. Bernard.

3. Mandatum seu praeceptum Superiorum impatienter, cum taedio, tarde, luride et perfunctorie, aut contemptibiliter exequi.

4. Examinare rationes, cur hoc vel illud tibi et non alteri praeceptum fuerit.

5. Jussa Superiorum in corde despicere, vel in Superioribus praecipientibus non respicere personam Dei.

6. Contra dispositiones Superiorum murmurare, illas immutare, aliis imponere negotia tibi commissa.

7. Displicentiam contra Superiorem praecipientem verbis punctoriis, impetuosis etc. vel moroso intuitu aut averso vultu, irreverenti gestu, vel alio indecenti signo ostendere.

8. Superiorum actiones et vitam disquirere, eorum defectus et vitia aliis propalare, aut Superiores non magnificare.

Hi sunt potiores actus inobedientis vel irreverentis filii, aut Religiosi erga Superiores suos legitimos: quos actus ex oppositis verae obedientiae notis facilius colligere poteris, quae juxta S. Bonaventuram in his verbis sunt comprehensae: «Ut obedientia Religiosi Deo sit grata et acceptabilis, debet esse *prompta* sine dilatione, *devota* sine dedignatione, *voluntaria* sine contradictione, *ordinata* sine deviatione, *jucunda* sine turbatione, *strenua* sine pusillanimitate, et *universa* sine exceptione». Unde S. Bernardus: «Vere obediens nescit moram, mandatum non procrastinat, sed statim parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri et totum se interius colligit, ut imperantis faciat voluntatem».

Hic alia duo pro Novitiatus et Clericatus annis puncta maximi momenti adjici debent, scil.

7. Quoad modestiam religiosam.

Quia autem de his alibi fusius tractatur, pro examine particulari puncta capitalia hic tibi in memoriam revocasse sufficiat.

1. Quoad modestiam religiosam. Memento, virtutem istam complexum esse multarum virtutum; continet enim in se: decorum clericale, pudicitiam, humilitatem, exer-

citium praesentiae Dei, mansuetudinem, veracitatem, simplicitatem, prudentiam, officiosam voluntatem et comitatem. Si desunt modestiae religiosae istae virtutes, aut simulata et ficta est, aut saltem non diuturna. — Virtutis hujus necessitas ex respectu triplici patet, scil. *a) confessionis christianae, b) finis Ordinis religiosi, c) ejusdemque bonae famae.*

a) Hac ex causa Salvator dicit: « *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* » (Matth. 11, 29). S. Paulus (ad Cor. II. 10, 1): « Obsecro vos per mansuetudinem et *modestiam* Christi »; et ad Coloss. 3, 12: « Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti ... benignitatem, humilitatem, *modestiam* »; « Rogamus vos, Fratres ... ut *honeste* ambuletis ad eos, qui foris sunt » (I. Thess. 4, 11); dein simpliciter praecipit Apostolus: « *Modestia* vestra nota sit omnibus hominibus » (Philipp. 4, 5).

b) Quoad finem Ordinum religiosorum; ad quos enim magis spectat illud Christi verbum, quam ad nos Religiosos: « Vos estis lux mundi. Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent (non nos, sed) Patrem vestrum, qui in coelis est ».

c) Tandem: quid S. P. N. Franciscus de hoc puncto nobis commendat? — Taceam hic de Regula prima; sed ex Regula secunda sequentia tantum verba adponam (cap. III): « Moneo et exhortor Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum ... sint mites, pacifici, *modesti*, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet ».

2. Quoad exercitium virtutis hujus universalis te examines:

a) De conversatione cum aliis; cum saecularibus et confratribus tuis. — Quomodo te geris? potesne Angelo custodi placere hac et illa conversatione? Et quid dices de beneplacito Dei? — Num familiaritatem contraxisti cum quodam Confratre (aut quibusdam Confratribus), quae odio est communitati? Quomodo cum omnibus Confratribus tuis pacem,

concordiam et mutuam dilectionem conservas? — Quaenam est modestia tua in choro, in dormitorio, in refectorio, in cella tua, in schola?

b) Quomodo te geris in colloquio cum confratribus tuis et saecularibus? — Docetur in « Speculo disciplinae » (c. 20 n. 1.): « Loquentis gestus debet esse modestus et humilis, sonus demissus et suavis. Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate, nec turbulente inter loquendum membra moveat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione, vel alio non decenti alterationis modo vultus honestatem deformet, aut faciem ipsam mollitie quadam resolvat humilitatis ostentu; sed in eadem semper vultus constantia permanens, severitatem benignam et constantem, et quodam modo rigidam benignitatem praetendat ».

Loquere de seriis, utilibus et necessariis rebus; otiosa enim colloquia displicent Deo. Si aliquando leporis seu eutrapeliae usus convenit ad aliorum hilaritatem, non excedat modum et sit sale evangelicae sapientiae aut saltem rationali doctrina conditus. — Absit a colloquiis tuis omnis litigatio, calumnia, ignominia, objurgatio, murmuratio, superbia, rusticitas, ruditas, inurbanitas etc.; quemque juxta ipsius statum et dignitatem decenti reverentia tracta. — (Lege de modestia in loquendo « Specul. discipl. » c. 20 « de disciplina in locutione servanda »; et c. 31 « de disciplina locutionis »).

c) Examina te de modestia tua ad mensam: Quomodo te geris in actionibus tuis et gestibus externis? Quid dicendum de temperantia tua in cibo et potu? Quaenam attentio tua ad pias lectiones mensales? Quid de silentio tuo etc.? — Tandem *te examina de modestia tua in ecclesia, in conventu, in dormitorio, in cella tua.* Quomodo te geris coram SS. Sacramento? — Observasne praeceptum silentium; vitasne strepitus et tumultus januas aperiens vel claudens, scalas descendens vel ascendens etc.? — *In cella tua:* Esne munditiei studiosus? suntne omnia ibidem ordinata: supellectilia, vestes, libri etc.? — Suntne gestus et habitus corporis tui,

quando solus in cella permanes, tam honesti et decentes, prouti esse decent ex reverentia praesentis Dei et Angeli custodis? — An forsan sine necessitate vel rationabili causa et sine Superioris licentia aliorum cellas visitas? — In quiete nocturna in strato tuo esne semper honeste coopertus et in honesto et casto corporis situ, habitu saltem et cingulo vestitus ac castitati magis quam commoditati intentus?

De his aliisque modestiae religiosae punctis te examines et exempli D. N. Jesu Christi, S. Patris N. Francisci Sanctorumque Ordinis Nostri Seraphici recorderis (Cf. « Speculum discipl. » cap. 1, 5, 6, 18, 19, 23, 24, 25).

8. Quoad observationem legum disciplinarium:

te examines de earum observatione in ecclesia, in choro, in sacristia, in cathedra; de ceremoniis ibidem, e. gr. de praeparatione ad officia Versicularii etc., de praelegendo, de psallendo, de inclinationibus, de mansione in pavimento, in sedilibus, de orando flexis genibus et expansis manibus, de sedendo, de oculorum custodia, de orandi modo externo etc. — Quomodo te geris dormitorium transiens, Superioribus, Patribus curatis, aliis confratribus aut notis saecularibus obveniens etc. An statim et ad nutum obedire paratus audito campanulae sono te conferas ad officium tuum in choro, in sacristia, in ecclesia, in schola, ad studia, vel ad mensam in refectorio; aut pro consuetudine tua ad haec et illa nimis tarde et sero venis? — Quomodo te geris in refectorio ante et inter preces mensales, in servitio ad mensam; postea in visitatione SS. Sacramenti in ecclesia, in choro? — Quomodo te geris erga Superiores, Magistrum et Lectores, erga condiscipulos tuos, in schola, tempore recreationis, solus deambulans in horto etc.? Quomodo in his et aliis ritus, ceremonias, leges et consuetudines Ordinis Nostri Seraphici observas? — Quaenam erga illas veneratio et aestimatio in corde tuo? — Memento: sacras ceremonias et consuetudines Ordinis Nostri venerabiles esse et antiquissimas, ac fere omnes descendentes

a tempore fundationis ejusdem per S. P. N. Franciscum, ut dicit S. Bonaventura. Qua aestimatione et veneratione, quo zelo et diligentia easdem semper observarunt omnes pii et sancti Confratres, et quantum adjumentum ex earundem diligenti observatione hausit Ordo Seraphicus pro ipsius S. Regulae observantia? Sequere ergo piorum sanctorumque Confratrum exempla[1]! — (Cf. de « Speculum discipl. » cap. 2, 3, 4 et 16.)

---

[1] Atqui non defuerunt suo modo prudentes, qui non paucas disciplinae regularis consuetudines pias, ritus et ceremonias antiquas tamquam res minutias saeculique moderni ingenio inconvenientes vilipenderunt et illuserunt; hisce auctor « Speculi disciplinae » (Prolog. n. 2) minimos vitae monasticae ritus piasque consuetudines exercendas Novitiis proponens, respondet: « Primus autem ad profectum gradus est defectus cognitio, magnaque omnino prudenti securitas vivendi modum novisse congruum pro varia rerum et accidentium qualitate, nec minimum est contemnere minima, quae non minimam moribus maculam eo turpius, neglectui habita, ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerunt. Proinde qui Spiritu Dei aguntur (Rom. 8, 14), moralibus documentis intendunt; quae tamen superbi et fatui contemnentes, nunc superstitiones, nunc ceremonias vocant, aut certe calumniis fucatis impugnant; ‚nec enim stultus verba prudentiae recipit, nisi ea dixeris, quae versantur in corde ejus' (Prov. 18, 2) ». « Infirma haec parvulis exprimens, grandium oscilla non vito, sed ubi humilis proficit, parvi ducendus est illusor » (Spec. discipl. c. 26 ad fin.).

Tu autem, charissime Frater! memoriae manda, quae in prooemio « Speculi discipl. » scripta sunt: « Speculum disciplinae ad honesta tendentes imprimis necessarium habent, ut per exercitium cognitae disciplinae virtutis titulum citius apprehendere possint. Nam, ut ait Hugo de S. Victore (De Institut. Novit. Prolog.),.... ‚exercitium disciplinae esse debet inchoatio, virtus perfectio, praemium virtutis aeterna beatitudo'. — Verum qui disciplinam in novae conversationis initio negligit ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit. ‚Adolescens namque juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea' (Prov. 22, 6) » (Prolog. n. 1). — Quare, quidquid in exercitio disciplinae monasticae tibi agendum, ex recto fine et unice propter Deum agere stude. Sic etiam actus, qui leves videntur, magni momenti sunt coram Deo. Viva fides ex vita, passione et morte Christi copiosa semper et ignea motiva homini religioso suppeditabit, ne ex consuetudine tantum aut necessitate aut inanium ceremoniarum instar monasticos ritus observet. Exercitationes

Haec pro materia principaliori ad examen particulare sedulo deducenda sufficiant. Hoc tamen notes velim: ut examinando vitia, vel virtutes earumque actus percurrendo non omnes simul eradicare vel implantandas intendas; sed sicut virtutem post virtutem, aut vitium post vitium ad examen trahis, sic in utrisque actum post actum principaliter evellere vel implantare studiosius incumbas. Fructus siquidem erit major et maturior: radix firmior in virtute ac minora zizania remanebunt de vitio. — *Post hoc examen* petitio veniae et emendationis propositum, ut supra.

NB. ad hoc confer indicem copiosiorem materiae pro examine particulari et generali ex Ven. P. *Alphonsi Rodriguez* S. J. Parte I. « Exercitium perfectionis », tract. VII. c. 5. — Confer etiam: Ven. P. Joan. a Jesu Maria, Ord. Carm., Disc. « *Instructio Novitiorum* » Pars II. de virtutibus (a cap. 1 usque ad cap. 24), p. 81-382.

B. De conscientiae examine vespertino.

1. De examinis vespertini necessitate.

An nunquam observasti, Frater mi! curam illam et diligentiam, qua pater familias subditam sibi domum regit? Administrum suum singulis diebus ad se vocat, indagat expensas, quae factae sunt, et accuratam earundem rationem exigit; tum vero ipsas has expensas solerter discutit, num superfluae immodicaeque, aut e contrario nimium parcae fuerint, ut nil expendatur superflui, nec circa necessaria quid-

---

istae, e. gr. coram Superiore se prosternere, osculari humum, culpam dicere, et quae sunt hujusmodi, praeter quam, quod nos Christi Salvatoris nostri commonefaciunt, qui humiliavit se usque ad mortem Crucis, etiam ex eo commendationem merentur, quod sensus et affectus naturales compescant et mitigent, sicque mens ferocitate affectuum compressa ad magis ardua praeparetur et disponatur ad adimplendum Apostoli verbum: « Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo » (Gal. 6, 14), et ad unicum finem nostrum, qui est: se totum Deo tradere, — juxta ignitum Seraphici Patris Nostri verbum: « Deus meus et omnia » !

quam desideretur. Latebras et angulos domus suae perlustrat, et si furunculum aut suspectae fidei hominem offendat, convocato etiam grege domestico ejicit. Ita et nobis in animae nostrae regimine procedendum. Ratio dominatur; potentiae et sensus servi sunt et administri, qui obedire et subesse tenentur. Potentiae ergo quotidie in jus vocandae, ac ad reddendam rationem adigendae sunt. Reposcatur ab intellectu ratio cogitationum, discutiaturque, num fuerint vanae, superbae, queribundae, indignabundae, inhonestae aut fraternae charitatis oblitae; num voluntariam aut negligentem in iis moram traxerimus. Ad judicium citetur voluntas, ineaturque cum ea ratio affectionum: num peccaminosae aut imperfectae, praestitusque eisdem quidam consensus. Rationes suas edere jubeantur omnes sensus: exquiratur ab oculis, quales eorum obtutus fuerint, num curiosi, immodesti, liberi, aut licentiores, quam par est. Exigatur a lingua, qualia ejusdem verba fuerint, num injuriosa, insolentia, iracunda, otiosa, charitati aut honestati repugnantia. In exactam actionum suarum rationem inducantur aures, tactus, ac gustus. Excutiantur anguli; fures, praedones, latrones habes, quotquot peccata per diem commissa habes: ejiciantur maligni hospites. « Completo jam die », monet S. Basilius (serm. de instit. monach.), « omnique opere tum corporis, tum etiam spiritus absoluto, praeclare fiet, si diligenter unusquisque, antequam cubitum eat, cum animo suo conscientiam suam exquirat ». Examinanda necessario est conscientia, ut major in dies de miseria et infirmitate propria adfulgeat cognitio. Languet vitae emendatio, virtutum profectus, cordis compunctio sine examine conscientiae. Ex omissione examinis vespertini oritur 1. gratiarum generalium per totam vitam a Deo collatarum et beneficiorum particularium per diem ab eodem exhibitorum ingrata oblivio. 2. Defectuum, etiam quandocunque gravium contemptus, aut vilipensio. 3. Emendationis leve, et tendendi de die in diem ad majorem perfectionem nullum propositum, et consequenter perfectionis taedium, et tandem mors animae.

Complectitur hoc examen quinque partes seu puncta: 1. *gratiarum actionem* pro omnibus beneficiis toto vitae tempore, praesertim autem die illa a benignissimo numine acceptis. 2. *Petitionem luminis*, et invocationem divini auxilii ad cognoscenda rite peccata, et eliciendum dolorem verum. 3. *Diligentem inquisitionem* in omnia peccata, quae conscientiam remordent. « Constituto in corde judicio », ait *S. Augustinus* (homil. Quadrag. ex 50. hom. c. 6), « adsit accusatrix cognitio, testis conscientia, carnifex timor: et ascendat homo adversum se tribunal mentis suae ». 4. *Actum doloris.* « Reminiscens peccatorum tuorum », inquit S. Chrysost. (in psalm. 50. hom. 2), « effunde lacrymas, et poteris in lectulo tuo positus ea delere ». 5. *Propositum firmum*, Deum nunquam amplius offendendi. — Itaque, dum cubitum te confers, prius diligenti et accurato examine conscientiam tuam discute, quid per integrum diem boni malive cogitaveris, dixeris, feceris etc., quod, ut cum fructu fiat et ordinate sequens observa distichon :

Solve Deo grates, pete lumen, discute mentem,
Delicti veniam posce, rescinde malum.

Pro cujus clariori intelligentia sit expositio sequens

2. *De quinque punctis examinis vespertini.*

1. *Solve Deo grates.* Imprimis Domino Deo debitas gratias reddere debes pro omnibus beneficiis generalibus et particularibus, communibus et specialibus, tibi toto tempore vitae tuae et praesertim hac die liberaliter et paterne concessis, hoc vel simili modo:

Oratiuncula. Redemptor amantissime! osculor vulnera *dexterae* tuae! O vulnus mille osculis dignum! Ah vulnerari non debuisset manus illa, quae alias et hodie praecipue ad benefaciendum mihi extenta erat. O sacra manus! quae bona in me a te profluxerunt! quot et quanta mala avertisti, e qui-

bus periculis et occasionibus me eripuisti! Misericordissime Jesu! laudetur et exaltetur paterna tua in me benevolentia! subscribo nunc corpus et animam meam in gratiarum actionem: at quam sero eheu, subscribo! quid reddidi tibi usque in horam hanc? teneor, cogor fateri: malum pro bono, odium pro dilectione!

2. *Pete lumen.* Invoca Spiritum S., ut mentem tuam illuminare et memoriam excitare dignetur, ut recordari possis eorum, quae per diem cogitatione, verbo et opere commisisti vel omisisti; quomodo et quam exacte, qua intentione etc. perficienda perfeceris; quam prompte et resolute omittenda dimiseris etc.

Oratiuncula. Ah quid? malum pro bono? odium pro dilectione? — Oro te supplex, Jesu mi! per vulnus *sinistrae* tuae. Intellectum illumina, ut ingratitudinem meam et peccata mea agnoscam; affectum inflamma, ut illa detester; cor contere, ut illa defleam, vitamque meam emendem. Emitte Spiritum tuum! Veni, veni S. Spiritus! — (Pater et Ave).

3. *Discute mentem.* Examinabis tuam conscientiam totiusque diei decursum repetes: ubi fueris, quibuscum egeris, quid cogitaveris, dixeris, feceris, perpendes. Memento pro ratione status, officii, et vocationis tuae examen instituere, et sic facile quid commissione, quid omissione peccaveris, agnosces. Antequam autem ad actum examinis progrederis, hanc dicas oratiunculam:

« O Scrutator cordium et renum Deus! infelix ego peccavi hodie in coelum et coram te, qui praevidisti omnes vias meas et intellexisti cogitationes meas de longe. Quid faciam tibi, o custos hominum! heu mihi, Domine, peccavi et delicta mea ante te non sunt abscondita, sed etsi memetipsum dijudicavero, tamen reprehendet me cor meum in his maxime ».

NB. Hic conscientiam tuam examina. Pro juvanda memoria, saltem primo novitiatus tempore, poteris inspicere sequentem catalogum peccatorum, ut eum facilius memoria teneas eumque in posterum conscientiam tuam examinans sequaris. — Hoc

persuasum tibi habeas, religiose Frater! Quousque specialiori et firmae cuidam conscientiae examinandae methodo assuetus non fueris, quotidianum conscientiae examen speratum fructum tibi non feret; et si in tirocinio tuo non assueveris, vix aetate provectiore huic assuesces.

3. *Catalogus peccatorum pro examine vespertino vel confessione instituenda.*

Ut actuale conscientiae examen, tam pro confessione sacramentali faciendum, quam pro exacte discutiendis nostris totius diei actionibus, accuratius fiat, attendas velim ad omnes tuas cogitationes, verba et opera, quid eisdem contra Deum, proximum et teipsum illo die, vel ab ultima confessione peccaveris. Cum autem memoria quandoque sit labilis, aut quivis super omnia adeo exacte reflectere sese non valeat, sequens, ut jam supra dictum, attextus est catalogus peccatorum eorum, quae communius fieri solent aut possunt. Tu selige ea tantum, quorum conscientiam habes, omissis aliis, de quibus leviter tantum suspicaris.

I. Circa curam officiorum erga Optimum Deum.

Mane e lectulo surgens, eratne prima cogitatio mea ad Deum directa? Quomodo persolvi prima mihi proposita diei exercitia pia? — *Preces matutinas?* bonam intentionem etc.? — Quomodo me praeparavi ad *Officium divinum* in choro? quomodo illi interfui? — Num Breviarii recitationem consideravi ut magnam strictissimamque obligationem meam? — An recitavi Breviarium digne, attente, devote et cum observatione ceremoniarum nobis pro choro praescriptarum? — Nonne distractionibus ansam praebui? — Quomodo interfui *S. Missae sacrificio?* — *Preces quotidianae,* quot? quomodo? — *Meditatio quotidiana:* quomodo me ad eam praeparavi; quomodo in ipsa meditatione me gessi; quemnam fructum ex ea percepi? — (Si es Sacerdos) *Praeparatio ad Missam* remota et proxima? in ipsa Missae celebratione, qualis intentio? attentio? devotio? an fideliter servatae rubricae? quaenam gratiarum actio post

Missam? — Quomodo me praeparavi *ad S. Confessionem?* Num confessus sum vera cum sinceritate, contritione et emendationis proposito? etiam circa venialia, quae confessus sum? Quomodo me praeparavi? — Quomodo me praeparavi ad *S. Communionem?* quomodo gratias egi, quomodo interdiu ejusdem sum recordatus? — *Lectio spiritualis:* quomodo hanc tractavi? — Vita *in praesentia Dei?* quaenam conversatio mea interna cum Deo, Jesu Christo, B. V. Maria et Sanctis? — *Oratio vocalis?* — Preces jaculatoriae interdiu? — *Visitatio SS. Sacramenti*, communio spiritualis; quomodo haec perfeci? Num bonam intentionem per diem pluries renovavi etc. etc.?

II. Quoad Confratres et proximos meos.

Si contrariis tuis factis proximo ex professo molestus fuisti; — si cum eo rixas habuisti; — si ad simplicem usum eidem concessa tibi sine licentia Superiorum appropriaveris; — si de communitate comestibile aut potabile quid clam surripuisti; — si pravo tuo exemplo proximum ad malum induxisti; — si invidiam vel odium erga illum factis ostendisti; — si particularia vel communia charitatis officia et signa eidem non exhibuisti; — si Superioribus debitam obedientiam denegasti, aut tarde et impatienter adimplesti.

III. Circa reliquam vitam meam quotidianam.

Fides: Cogitationes? Colloquia? lectiones? studia? — *Tria vota monastica: Obedientia:* quomodo obedivi Superioribus meis? Quomodo eosdem veneratus sum? vel in corde meo indignationem, vel quod pejus foret, odium enutrivi adversus eos? — Num murmurationis reum me feci? — Quomodo observavi *s. Regulam* et Statuta Provinciae? — Quomodo *leges disciplinares* in choro, in dormitorio, in refectorio, in schola, in cella mea, ad mensam, in conversatione cum confratribus, in recreatione? — Quomodo praescriptum s. silentium observavi? — Quomodo pretiosum tempus adhibui? Num satisfeci diligenter officio meo in schola, in studio etc.? — Quare non? — *Castitas:* cogitando? non repellendo tentationes? desiderando? loquendo? legendo? videndo? tangendo? — *Temperantia:* in cibo, potu, ad prandium, ad coenam, ad merendam, extra monasterium? somno?

lusu? relaxatione animi? recreatione? — *Mortificatio:* An et quosnam actus hodie perfeci? quomodo? — *Modestia religiosa:* in ecclesia, in choro, in dormitorio? quando solus in cella permansi? in conversatione cum confratribus? cum saecularibus? Exercitium praesentiae Dei et Angeli Custodis? — *S. Paupertas:* eramne contentus in iis rebus, quas Superiores ad simplicem usum mihi assignarunt? in cibo? potu? vestibus? utensilibus etc.? — Num saepius illius verbi S. Patris Francisci recordor: ut simus « tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo? » — Sustinuine Seraphicae paupertatis molestias patienter et ex amore Dei? — Quaenam verba, opera et desideria mea in puncto paupertatis Seraphicae? — Quomodo *in virtutibus* hodie me exercui: in humilitate, in patientia, in resignatione in voluntatem divinam etc. etc.? — Quomodo et qua intentione hoc examen incepi?

NB. Tali vel simili modo te examines generaliter; dolorem propter offensionem summi boni elicias, et emendationem efficaciter proponas.

CAPUT VII.

De Confessione generali.

Admonent novissimae Constitutiones Generales (n. 24.): « Ante habitus susceptionem candidatus faciat Confessionem generalem, nisi Confessario ab ipso electo aliter visum fuerit ».

Hac ex causa adjecta est haec:

§ 1.

Methodus examinandi conscientiam suam, semetque in sacro poenitentiae tribunali de peccatis accusandi pro maturioribus adolescentibus Confessionem generalem instituere volentibus.

Priusquam methodum hancce apponam, monere oportet, quod, si commissa peccata mortalia sint, necesse sit declarare

illorum numerum, item illorum speciem, et circumstantias aliud peccatum mortale in se complectentes. Cum autem non tenearis ad illorum peccatorum confessionem, quae tantum sunt venialia, illorum numerum et circumstantias posses quidem omittere; omni modo tamen tibi suadeo, ut de illis venialibus te saltem accuses, quae sunt commissa majore cum malitia, addito etiam illorum numero etc. Ex hac spontanea accusatione multum utilitatis colliges, si id non fiat mera ex consuetudine, sed vero cum dolore serioque proposito emendationis. —

Contra primum praeceptum Decalogi.

Cogitationibus contra fidem voluntarie immoratus fui, vel: negligens fui in repellendis tentationibus fidei adversantibus.

Aliquem fidei articulum credere pertinaciter nolui, vel voluntarie dubitavi de aliqua veritate fidei catholicae.

In corde meo propter adversitatem aliquam contra Deum murmuravi.

De certi peccati remissione et emendatione, de salute consequenda ter vel quater desperavi.

Valde negligenter repuli cogitationes desperationis atque blasphemiae.

Nimirum praesumpsi de misericordia Dei, vel ex praefidentia, aut praesumptione quadam de misericordia Dei licentius peccavi, distulique emendationem.

Ob patratum a me gravius peccatum delectatus fui.

Opem daemonis optavi, vel invocavi.

Auguriis et somniis fidem certam habui, vel tantum levem.

Verbis sacrae scripturae et Ecclesiae ceremoniis abusus fui ad jocos turpes, facetias, scurrilia.

Valde tepidus fui in obsequio divino.

Ex respectu humano potius, quam ex motivo amoris Dei actiones meas peregi.

Preces consuetas ex devotione, vel ad quas teneor, luride et accediose persolvi.

Inter precandum immodestus fui.

Sub oratione occasionem dedi oculorum curiositate distractionibus, quas negligenter repuli, vel quibus deliberate sat diu inhaesi.

Pias imagines, vel alias res sacras irreverentiis affeci. Vel aliquam contumeliam Sanctis ex contemptu intuli, vel ex joco tantum, non deliberate.

Irrisi, vel contempsi personas Deo dicatas, Religiosos, Sacerdotes.

Longe magis de corpore, quam de salute animae meae sollicitus fui.

Legi scienter libros haereticos, quos usque modo habui.

Aqua lustrali, rebusque aliis benedictis non usus fui debita cum reverentia.

Superstitionibus usus fui, magicisque carminibus ad malum tollendum, iisque fidem habui; ad talem usum alios induxi, quamvis scirem, esse prohibitum.

Ex vultus signis atque manuum lineis curavi mihi praedici futura ex curiositate tantum, vel fidem certam his praedictionibus habens.

Studui malis et prohibitis artibus (Declara, quales hae artes fuerint).

Sacrum Poenitentiae tribunal accessi conscientiae meae examine non sufficiente praemisso, vel absque requisita contritione, vel non elicito firmo proposito vitandi hoc peccatum.

Ex praeparationis defectu ad confessionem oblitus sum hujus N. peccati, vel, ex pura oblivione in prioribus confessionibus, me non accusavi de isto N. peccato.

Ex industria talem Confessarium elegi, a quo non cogerer ad emendationem, vel fugi meum ordinarium Confessarium, ne etc.

Sciens ac volens ex damnoso pudore hoc peccatum N. reticui inter confitendum; et hoc factum est jam duobus abhinc annis. Interea confessus sum singulis mensibus, et sacram synaxin, etiam tempore paschali, sacrilege recepi.

Studio malitioso inter confitendum submisse locutus fui, in re gravi mentitus sum, commissa peccata extenuavi, verum illorum numerum gravesque circumstantias voluntarie non expressi (Nota: quod omnes Confessiones sacrilegae repetendae sint).

Injunctam a Confessario hanc N. poenitentiam valde distracte et inadvertenter quidem, vel non integre peregi, vel adimplere omnino neglexi, vel nimium distuli.

Ex desidia necdum executus fui, quae Confessarii mihi praescripserunt, v. gr. non satisfeci proximo pro damno illato ipsius honori, bonis etc., quamvis potuissem facile.

Grave scandalum, vel inimicitiam, quamvis ad id tenerer, non sustuli, proximas peccandi occasiones non fugi, quamvis potuissem.

Ex curiositate voluntaria confitentium peccata audivi, eaque manifestavi aliis.

Confessarium meum apud alios traduxi et diffamavi.

Mensam Eucharisticam accessi exigua cum devotione et praeparatione.

Non horrui percipere divinam hostiam cum dubia, vel cum certa conscientia peccati mortalis, vel quamvis jejunus non essem.

Post sacram Communionem dedi valde breve tempus gratiarum actioni.

Plerumque tempus diei Communionis colloquiis vanis, risui, lusui, rebus profanis etc. impendi.

Consuetas preces matutinas, vespertinas, vel devotionis liberae ex supina negligentia omisi.

(Si ad certas preces ex voto, vel alia de causa teneris, hanc obligationem declarare oportet).

Multas actiones peregi inordinate et praecipitanter, non facta praevia intentione.

Perraro gratias Deo meo peregi pro beneficiis ab eo acceptis.

In observandis factis piis propositis valde inconstans et negligens fui.

In eliciendis actibus amoris Dei, spei, fidei, aliarumque virtutum christianarum valde negligens fui.

Ex pravo motivo alteri dissuasi ingressum in Religionem.

Malitiose impedivi proximum ab exercitio bonorum operum.

Peccandi graviter occasiones proximas, quamvis a Confessario monitus, ex desidia non fugi.

Supina ex negligentia, vel ex contemptu sacras indulgentias lucrari non conatus fui.

Contra secundum praeceptum Decalogi.

NB. Ut peccata contra istud peccatum distinctius dignoscantur, sciendum est, quod jurare sit vocare Deum in testem alicujus rei, quae affirmatur. Quod fieri potest duobus modis, scilicet expresse, ut fit, quando quis per Deum jurat, altero vero modo tacite, ut cum juratur per Sanctos, per animam suam, vel aliam creaturam, quatenus in ea relucet divina bonitas. Non tamen est juramentum, si dicas haec: « Vere, certissime, in veritate ».

Deum in testem accepi unius rei, quam sciebam falsam, vel quam sciebam dubiam (Ita jurare deliberate semper est mortale peccatum).

Juravi per Deum, per animam meam equidem cum veritate, sed absque necessitate.

Ex prava consuetudine per Deum, per animam meam singulis diebus frequenter juravi, nunquam perpendens, an verum vel falsum esset.

Juravi et promisi quidpiam vetitum facere (Si quis promisso stat, duplex committit peccatum).

Cum juramento aliquid promisi, sed absque animo illud adimplendi.

Neglexi adimplere promissa juramento facta hominibus.

Coram judicibus false scienter juravi cum damno proximi, vel in perturbatione animi falsum juravi etc.

Deo meo vovi aliquid absque voluntate illud adimplendi.

Vota Deo meo legitime facta deliberate violavi.

Facta vota exsolvere sine justa causa nimium distuli.

Contra Deum et Sanctos scienter et deliberate voces blasphemas protuli, vel ex ira praecipiti.

(Blasphemia est contra Deum vel Sanctos aliquid dicere contumeliosum, ut quando quis Deo vel Sanctis maledicit, Deum immisericordem, injustum esse, non curare humana etc., aut cum quis in indignatione Christi et Sanctorum membra contumeliose nominat. Haec autem peccata sola cogitatione,

sed cum deliberato consensu, possunt committi, optando, v. gr. ut Deus peccata nostra nesciat, non sit justus etc.).

Jurando cum veritate, vel contra veritatem, ex inconsiderantia, vel deliberate imprecatus fui, ut Deus me damnet, daemon me auferat, mors vitam mihi capiat etc.

Pro ludibrio SS. Nomina Jesu, Mariae etc. invocavi.

Contra tertium praeceptum Decalogi.

Die festo vel dominico per plures horas opus servile absque legitima causa exercui.

Impuli proximum sine sufficienti necessitate ad opera servilia mei causa exercenda (Opera servilia vocantur, quae ad artes mechanicas fabrorum, sutorum etc. pertinent).

Dies festos et dominicos ludendo, saltando, potando etc. consumpsi.

Diebus festis absque legitima excusatione Missae non interfui, vel notabilem ejus partem ex desidia omisi. (Juxta plerosque doctores notabilem partem Missae ille omittit, qui primum comparet post Evangelium, vel, qui ante Sacerdotis communionem recedit).

Sub Missae Sacrificio valde notabili tempore, vel modico temporis spatio voluntarie, vel semiplene distractus fui.

Durante Missa res profanas legi, studui, nugatus fui, oculis per templum vagatus sum vel fabulatus, et ad id alios induxi.

Sacras aedes accessi mala intentione, ex curiositate etc.

Cum aliorum scandalo fui in iis immodestus, hoc N. peccatum commisi.

Ex pura negligentia diebus festis et dominicis non interfui officiis divinis, concioni etc.

Ex verbo divino aliisque spiritualibus instructionibus nullum animae fructum propria culpa collegi.

A Sacro audiendo etc. diebus festis proximum impedivi.

Contra quartum praeceptum Decalogi.

Majores natu, Ecclesiasticos, Deo sacratas personas, praeceptores, parentes, aliosque Superiores meos in animo despexi. Vel gravem rancorem et aversionem contra eos fovi. Ipsis grave

malum, mortem etc. in animo imprecatus fui. Ipsos audientes maledictis lacessivi.

Eorum defectus ipsis exprobravi. Eos non honoravi, eos irrisi, explosi eorum dicta.

Eos contristavi illis obloquendo, dure respondendo, vel pravis meis moribus.

Malitiose ipsis causam dedi irascendi, jurandi, imprecandi.

Eorum salutaria monita legesque observare neglexi. Sine justa causa de illis conquestus sum. Ipsos, quamvis innocentes, in re satis gravi apud plures diffamavi.

Eorum mores aegerrime tuli.

Debitum honorem et reverentiam ex contemptu vel vindicta ipsis non exhibui. Eos contumelia affeci.

Eorum, qui mihi praesunt, justis mandatis in re notabili vel levi non obtemperavi (Declaretur, an ex contemptu factum sit). Vel, me meis Superioribus refractarium, obstinatum, immorigerum exhibui.

Ex vindicta damnum, contemptum ipsis procuravi.

Manum elevavi ad eos percutiendos. Ipsos graviter percussi.

Ipsos oculo obliquo cum indignatione aspexi.

Parentibus meis opitulari neglexi, quamvis potuissem.

Meis parentibus, Superioribus, benefactoribus malum pro bono rependi.

Pro ipsis vix unquam Deum oravi.

Me meorum parentum ex superbia puduit, eo quod essent pauperes.

Meos praeceptores aliosve superiores falsis dictis in odium apud socios vocavi; eos concitavi ad contemnenda eorum mandata, eos irridendos etc.

Contra quintum praeceptum Decalogi.

Ex subito irae motu, vel serio et deliberate grave malum mihi vel meo proximo imprecatus sum, ut fulmen, mortem, diabolum etc.

(Maledictio, vel imprecatio in materia gravi serio prolata contra creaturam aliquam rationabilem est grave peccatum).

Vindictam contra proximum meditatus fui cum voluntate ipsi graviter nocendi; et hanc pravam voluntatem renovavi toties . . .

Diu in animo fovi gravem, vel levem inimicitiam, vel aversionem animi contra meum proximum (Declara istius inimicitiae malos effectus et num in ea perseveres adhuc).

Verbis mordacibus, foedis agnominibus, conviciis, dictis acerbis et aculeatis etc., proximum meum insectatus sum.

Calumnia, vel contumelia gravi, vel levi proximum offendi.

Ex mero contradicendi studio cum proximo litigavi, altercatus sum etc. Ipsi suos defectus, paupertatem etc. exprobravi in ira.

Indignis modis ex inimicitia proximum habui, gravi cum ejus offensione, diffamatione (tunc teneris ad reparationem honoris).

Cum aliis studiosis rixatus sum, vel pugnis contendi, vel proximum percussi in iracundia etc. (Declara, num illatum malum sit grave, et an is, quem percussisti, sit Clericus, Religiosus etc.)

Repetitis helluationibus non leve damnum valetudini meae intuli.

Immoderate studendo ex motivo superbiae meae sanitati graviter nocui.

Memet exposui gravi periculo submersionis in balneatione etc.

Dedi auxilium, consilium, favorem ad alios verberandos etc.

Ex inimicitia, vel quodam rancore nolui proximum alloqui, eum salutare, ipsi ignoscere, quamvis veniam petierit. Veniam petere ab illo detrectavi, quem graviter offenderam.

Inter studiosos iras, vindictas, rixas induxi. Vel inimicitias, discordias seminavi veris, vel falsis delationibus (Declara, quale malum inde secutum fuerit).

Alium provocavi ad pugnas, rixas, digladiationem.

Humano ex respectu meos contubernales a peccato non averti, quamvis sat facile id praestare potuissem. Vel, peccantes non corripui, quamvis ad id obligarer.

Meo pravo exemplo satis advertenter proximum induxi ad peccatum committendum. Ipsum seduxi etc. (Si grave sit peccatum, in quod tua culpa proximus lapsus est, id declarare oportet).

Alieni peccati particeps factus sum, illud imperando, suadendo, id Superioribus non manifestando, illud approbando, laudando etc.

Pacem inter rixantes, verbis contendentes etc. cum facile potuissem, procurare non studui.

Pauperes personas acerbe repuli, quamvis ipsis opitulari facile potuissem.

Contra sextum praeceptum Decalogi.

NB. (Circa cogitationes et tentationes huic praecepto adversantes nota sequentia: Vel illas habuisti omnino inadvertenter ad peccati malitiam, aut voluntate fortiter renitente, tunc nullum est peccatum. Vel his cogitationibus semiplene advertens te inhaesisti, tunc est veniale peccatum. Si vero hisce cogitationibus delectatus es, plene advertenter ad gravitatem peccati, voluntate approbante, tunc peccasti mortaliter).

Segniter restiti, vel curiosius inhaesi cogitationibus castitati contrariis.

Impuris cogitationibus scienter et voluntarie sat longo tempore delectatus fui.

Vel timeo, ne impugnatus carnis tentationibus gravibus consensum illis dederim; accuso me sub dubio, prout coram Deo reus esse possum.

Proposui advertenter, vel desideravi opere ipso peccare contra castitatem; hanc perversam voluntatem renovavi toties . . . quaesivique occasionem graviter peccandi (Declara quale peccatum committere statueris, quoties pravam voluntatem renovaveris, circa quod objectum).

Scurriles et crassas voces, verba impudica protuli, vel cantiones impudicas ex joco tantum animique levitate cecini. Voces impudicas ex prava consuetudine toties . . . usurpavi, iisque voluntarie delectatus sum. Vel colloquia impura, quibus delectatus sum, ipse incepi perversa intentione, multis audientibus personis, quibus non levi scandalo advertenter fui, vel nihil de scandalo, quod dabam, cogitans.

In templo, vel in schola valde immodestus et petulans fui non sine condiscipulorum indignatione.

E lecto surgens, vel iens cubitum coram contubernalibus valde indecore corpus denudavi.

Consortia non fugi perversorum sociorum, quamvis propterea saepius monitus fuerim, illaque fuerint mihi occasio proxima peccandi.

Cum altero sexu nimium familiariter et libere egi.

In quaedam objecta turpia ex sola curiositate, vel animo lascivo conjeci oculos.

Contra castitatis virtutem opere ipso graviter peccavi.

(Plura alia peccata, quae committi possunt contra istud sextum et nonum praeceptum, hîc adnotare studio nolui, sciens, quod haec materia picis speciem habeat, quae, quomodocunque tangatur, inquinat, quod odorem foedum etiam remotis afflet. Contra haec praecepta peccantes, remordente conscientia, satis ista intelligunt. — Tu vero, religiose tyro! Si quoad hoc punctum adhuc innocens es, fac, ut, divina ardenter petita gratia tuaque cooperatione integer vitae scelerisque purus semper illibatam vitae conserves innocentiam, sic [extra studium Theologiae moralis] te non oportebit scire, quidnam sit istud peccatum, de quo Apostolus monet: « Nec nominetur in vobis »; peccatum in animam et corpus secum innumera mala eaque gravissima invehens: peccatum quod in saeculo plures ex adolescentibus in infernum praecipitat, quam reliqua omnia peccata, quamvis simul sumpta; peccatum animae adeo perniciosum, ut omnis delectatio per illud plane voluntarie admissa ipsi animae mortem infinite deflendam inferat. Ceterum si contigerit, quod Deus a te avertat, ut, pro innata homini fragilitate, hujus abominabilis peccati, etiam una tantum cogitatione voluntaria, reus aliquando fias, quam primum recurre ad sacram confessionem, in qua humiliter confitere conscientiae tuae arbitro, honestis, sinceris simulque claris terminis hoc peccatum tuum, prout coram Deo te reum in conscientia agnoscis. O quot, praesertim in saeculo, confessiones invalidae sacrilegae ab adolescentibus fiunt, qui rei facti istius pudendi peccati ex damnabili pudore atque superbia id celant confessarium, quos tamen minime puduerat coram oculis divinis abominabilia patrare)!

Contra septimum praeceptum Decalogi.

Alienas opes injuste appetivi.

Determinatam voluntatem habui proximum decipiendi, damnum ei inferendi, debita contracta quamvis possem, nun-

quam solvendi, aliquid furandi etc. (Si damnum, quod inferre statueras, sit grave, id manifestare oportet).

Toties . . . iteravi hanc perversam voluntatem damnum inferendi, illudque exequi tentavi. Majus damnum, illo a me illato, si potuissem, intulissem.

Emi vel vendidi rem, quam sciebam furto sublatam fuisse.

In emptione, vel venditione fraudibus usus sum.

Illicite usurpavi rem alienam. Vel iteratis furtis proximo sustuli rem magni, vel rem parvi pretii (Exprime, num alicui templo damnum illud intuleris).

Pauperibus personis plurimum nocui.

Damnum grave, vel leve bonis alienis injuste intuli, ut hortis etc.

Praeceptoris domestici officio mihi concredito negligenter functus fui.

Falso sigillo, fictis litteris damnum intuli proximo.

Res notabilis valoris, vel, exigui pretii inventas retinui, quamvis mihi constaret, ad quem hae spectarent, vel quamvis id rescire facile potuissem.

Ab aliis studiosis vestes et alia emi, quamvis praeviderim solutum pretium ab illis impensum iri ad instituendas compotationes.

Periculo me exposui, chartis ludendo, gravem pecuniae summam perdendi.

Res mihi commodatas notabiliter destruxi, vel non restitui.

Pecunias, ad solvendum meum convictum, vel ad necessaria emenda mihi a parentibus submissas lusu et compotationibus impendi.

Mala fide pecuniam mutuatus sum, vel debita contraxi animo nunquam solvendi, vel quamvis praeviderem illa non expunctum iri.

Toties . . . neglexi uti commoda occasione damnum proximo illatum resarciendi, ablata restituendi etc., quamvis potuissem; ex quo novum damnum proximo creavi.

Nummos adulterinos empta solvendo sciens expendi.

Juniorem studiosum instruendum suscepi, quamvis ad id munus me non idoneum scirem.

Ex aedibus paternis res parvi, vel magni pretii alienavi, vel aliis donavi absque licentia.

Sumptus propter me a parentibus factos mea in studiis supina negligentia tot . . . annis reddidi inutiles.

In vestes etc. sumptus inutiles, vel immoderatos feci.

Contra leges ludentium cum gravi damno proximi fraudes adhibui.

Utendo fraudibus inter ludendum aliis occasionem dedi altercandi et imprecandi.

Ab imperitis ludendi notabilem summam injuste lucratus sum.

Furti alieni participem me reddidi, suadendo aliis furtum gallinarum etc., furantes juvando, furta custodiendo, partem ablatorum mihi reservando, cum furibus compotando, qui ex rebus ablatis cauponi satisfaciebant, vel alios laudando ob ingeniosa furta.

Notabile damnum proximi non impedivi, quamvis id valde facile praestare potuissem.

Alterius lucrum ex odio impedivi.

Porrecta stipe pauperes, quantum tenebar, non juvi.

Charitatis officia, atque auxilia proximo non exhibui, quamvis potuissem, isque summopere indigeret auxilio.

Contra octavum praeceptum Decalogi.

Aversas cogitationes contra honorem proximi valde negligenter repuli.

Sinistris suspicionibus, vel male fundatis dubiis adversus famam proximi in rebus magni momenti diu voluntarie inhaesi.

Absque ulla ratione, vel ex conjecturis levibus dicta et facta proximi ob odium, invidiam etc. in pessimam partem interpretatus fui. Vel:

Certo et definite apud me statui facto judicio omnino temerario, quod proximus meus graviter peccasset.

Bonis actionibus proximi ex odio, vel ex animi levitate intentionem perversam attribui.

Mea dubia, judicia temeraria, measque suspiciones aliis manifestavi non sine detrimento famae alienae (Temerarium judicium in re gravi est mortale peccatum; si autem mera fuerit suspicio, vel dubium plerumque erit tantum veniale peccatum).

Voces ambiguas, aequivocas, fraudulentas animo decipiendi protuli.

Ex prava consuetudine plurima jocosa et officiosa mendacia protuli.

Vel notabile damnum mendaciis prolatis meo proximo creavi: ista mendacia etiam jurando, Deum in testem vocando et pertinaciter defendi.

In narratione exaggeravi nonnulla contra veritatem.

Verbis fallacibus et adulatoriis frequenter usus sum, aliorum favorem mihi conciliaturus.

Culpam injuste a me amoliturus falsas adhibui excusationes non sine damno proximi.

Inter confitendum in re gravi. vel levi mentitus sum.

Coram judicibus falsum testimonium scienter dedi, quod meo proximo grave vel leve damnum intulit.

Praeceptores meos, patremfamilias etc. apud meos parentes, vel alios falsis delationibus ex odio diffamavi (In tali casu teneris modo efficaci cuncta retractare, si dictis tuis fides adhibita sit).

Innocentes studiosos etc. ex odio accusavi apud Superiores meos, vel gravem turpitudinis notam ex aliqua invidia aliis injuriose aspersi atque effeci, ut graviter punirentur.

Alienae famae ex odio detraxi, grave vel leve quodpiam crimen, sed adhuc occultum aliis pluribus manifestando, falsa spargendo, nimium exaggerando proximi delicta etc.

(Universim nota circa detractiones, quod declarare oporteat, utrum hae fuerint in materia gravi vel levi; utrum illud, quod asseruisti, fuerit notorium, vel non; num detraxeris coram uno vel pluribus; utrum res sit vera vel falsa, dubia vel certa; utrum detractio damnum intulerit proximo et quale; an hanc detractionem protuleris animo in aliquem offenso, vel ex inconsiderantia. Etiam advertas velim, non parvam esse illorum illusionem existimantium, quod manifestare proximi delictum nullo modo sit vetitum, modo illud sit verum. Insuper sciendum, quod famae laesores damnum honori illatum resarcire teneantur, quamvis non malo animo illud intulissent, praesertim, quando id facile fieri posset; quanto major erit ista obligatio, si injustum grave damnum proximi honori malitiose illatum fuerit).

Alterius repertam scriptam confessionem legi, aliisque communicavi.

Injuriam mihi illatam cum auxesi divulgavi atque de illa conquerens proximum infamavi.

Detractionibus, murmurationibus etc. faciles aures praebui ex curiositate tantum, vel ex odio in meum proximum. Vel ad magis detrahendum proximo dedi occasionem, approbando dicta, provocando ad peragendum etc.

Absque ratione sufficienti fidem detractoribus habui.

Detractiones auditas ulterius vulgavi.

Contra detractores famam alienam tueri neglexi ex humano respectu, quamvis ad id tenerer, vel quamvis id facile potuissem efficere.

Contra datam fidem juramento firmatam secretum non observavi.

Susurrationibus, falsis delationibus rixas suscitavi, discordias seminavi.

Foeda et probrosa agnomina meis Superioribus, studiosis etc. imposui.

Meos Superiores praesentes contumeliis conviciisque impetivi: contra eos murmuratoribus, vel obstinatis etc. applausi.

Ex odio conatus fui laudem impedire proximi.

Veros vel falsos defectus meo proximo coram pluribus in faciem exprobravi ex irae impetu vel ex malitioso odio ad ipsum confundendum.

Hypocrisi conatus sum hominibus imponere.

Meos Superiores, quamvis ab iis interrogatus ex humano respectu proximi delicta, quae scire debuissent celavi.

Induxi alios ad mentiendum, decipiendum, calumniam struendam.

NB. Peccata contra 9^{m} et 10^{m} praeceptum Decalogi reperies in 6to et 7mo.

Contra praecepta Ecclesiae.

(Supposito examine circa Dei mandata tantum sequentia occurrunt consideranda).

Omisi confessionem et communionem, ad quam eram obligatus.

Diebus ab Ecclesia statutis non jejunavi, gulae satisfacturus.

Extra consuetae refectionis tempus absque necessitate aliquid comedi. In collatione nocturna levem excessum commisi, cibos prohibitos, ut carnem etc., absque dispensatione et necessitate comedi.

Pravo meo exemplo alios induxi ad frangendum jejunium, carnem comedendam etc.

Ecclesiae censuras, excommunicationem etc. contempsi. Peccata commisi sciens, quod censurae iis essent annexae etc.

Circa peccata Capitalia.

Circa superbiam. Superbas cogitationes habui, quibus voluntarie delectatus fui. Ab aliis laudatus vane mihi complacui.

Ex superbia nimium pertinax in mea opinione fui.

Ex vana mei aestimatione despexi alios; de illis et cum illis contemptim locutus sum.

In vestibus meis aliisque rebus nimium fastum habui.

Jactanter de meis rebus, quandoque etiam mendacia immiscens, locutus sum.

Modo feroci et arroganti egi cum proximo, me pluris aliis aestimans.

De rebus malis, commissis peccatis me ex superbia jactavi.

Proximum laudavi ob perversa ejus facta, ut ab eo aestimarer.

Stimulante superbia ea in me suscepi, quibus par non eram.

Ex humano respectu multas actiones feci, vel vanae ostentationis causa etc.

Proximum irrisi, atque contempsi ob ejus defectus.

Officia honorifica ex superbia ambivi.

In studiis meis tantummodo vanam laudem et aestimationem quaesivi.

Superbia impellente alicui studioso praemium furtivo themate surripui.

Virtuti meae nimium confidens me in periculum conjeci graviter peccandi.

Aliorum consilium de me superbe praesumens, acceptare nolui.

Irrisiones hominum metuens pias actiones omisi.

Circa avaritiam. Pluris pecunias feci bonaque temporalia quam spiritualia.

Nimia sollicitudine pecunias corrasi illasque asservavi.

Ludendo ex avaritia magis lucro inhiavi, quam recreationi honestae.

Ob spem hereditatis mortem parentibus optavi.

Ex avaritia nullam stipem erogavi, non solvi debita; egi immisericorditer cum meis debitoribus etc. (Vide 7m praeceptum Decalogi.

Circa luxuriam. (Vide 6m praeceptum Decalogi).

Circa invidiam. Proximo invidi bonum, quo ipse careo.

Graviter tristatus fui, quod ipsi studia feliciter succederent, quod ob suas virtutes laudaretur et amaretur, quod Deus ipsi plus gratiarum, quam mihi contulerit etc.

Ex maligna invidia gavisus fui vehementer de gravi malo proximi, de ejus infortunio, de minus prospero in studiis successu, de ipsius contemptu et humiliatione, de ejus lapsu pudendo in aliquod peccatum etc.

Ex invidia de proximo male locutus sum, ipsum diffamavi, impedivi ejus laudes, ipsum ad peccandum induxi, ne ita diligeretur a suis Superioribus etc.

(Vide 8m praeceptum Decalogi).

Circa gulam. Cibos exquisitos atque superfluos nimis sollicite et avide ex gula appetivi.

Ex immoderato cibi appetitu preces consuetas ante refectionem neglexi.

Gratiarum actionem ex negligentia post refectionem omisi.

Saepe alimenta sumpsi non praevia recta intentione, sed ex sensualitate.

Cibos ex gula nimis avide comedi, vel extra consuetum tempus etc.

In cibo et potu intemperans fui, vel bibendo et comedendo excessum levem, vel notabilem commisi cum damno valetudinis.

Magno periculo ebrietatis me voluntarie exposui (Quamvis non factus fuisses ebrius, tamen peccasti, sic te periculo exponens).

Frequentavi hospitia contra Superiorum prohibitionem aliosque studiosos ad idem induxi.

Me voluntarie inebriando rationem oppressi, vel inebriatus fui, quin id intenderem, vel praeviderem, sed tamen fortassis ex aliqua mea culpa.

Alios studiosos ad potandum provocavi, et inebriare studui, vel me incitante alius inebriatus fuit.

Gloriatus fui, quod proximum induxissem ad ebrietatem.

Circa iram. Impatientiae, irae, indignationis motus valde negligenter suppressi.

Verbis iracundis, acerbis, injuriosis meam impatientiam prodidi, vel ex subito irae motu non perpendens, quid proferrem, invectus sum in proximum verbis contumeliosis, amarulentis exprobrationibus, conviciis etc.

Ex ira et impatientia mihimetipsi, vel proximo lingua praecipiti diversa gravia mala imprecatus fui.

Rebus parum ex animi sententia fluentibus ex iracundia grandinem, fulmina etc. labori meo, bestiis etc. imprecatus fui.

Ira diuturna et gravi commotus serio et deliberate mihi, vel proximo imprecatus fui mortem, diabolum etc.

Ex iracundia mihi ipsi, vel proximo grave aliquod damnum intuli, aliquid frangendo, laedendo etc. (Nota, quod si grave damnum, praesertim deliberate, alteri intulisti, ad hujusce damni reparationem tenearis, quod ultro promittendum confessario).

Importunis vexationibus, foedis agnominibus alios ad iram advertenter provocavi.

Meo proximo pertinaciter contradicendo fui in causa, cur in graves imprecationes etc. eruperit.

Nullum adhibui conatum, quamvis a confessariis saepius monitus, ad tollendam pravam consuetudinem meam irascendi, imprecandi etc.

Circa accediam. Officiis pietatis et religionis valde ignave et tepide functus sum.

Valde inconstans fui in observandis factis piis propositis, vel facta pia proposita ex incuria supina omnino intermisi.

Ex nausea et taedio in obsequio divino preces consuetas, examen conscientiae, lectionem spiritualem etc. omisi.

In colenda Deipara aliisque Patronis valde negligens fui.

Quae sunt mei officii praestare neglexi (Examina te circa tui status et officiorum obligationes. Vide, num tua negligentia damnum spirituale, vel temporale alicui intuleris).

Tempus deperdidi res inutiles agendo, vel operando absque recta intentione, vel nugas tractando, confabulando, dormiendo immoderate. Vel ex pigritia somnum matutinum produxi ultra necessitatem. Vel studiorum tempus lusui etc. impendi.

Injuncta themata aliis furatus fui, vel tantum tumultuarie absque fructu composui.

Potiori anni parte otio totus deditus ita neglexi studia, ut me indignum ascensu reddiderim.

In rebus discendis saluti necessariis negligens atque incurius fui.

Saepe neglexi occasionem rudes instruendi, alienos errores corrigendi etc.

In proximo periculo peccandi constitutus, auxilium divinum implorare neglexi.

NB. Si alia peccata forte commisisti, quae sint graviora, et non reperiantur in hoc catalogo, remorsus conscientiae durante examine tibi haec manifestabunt.

Hoc examen, ut jam dixi, est pro maturioribus adolescentibus confessionem generalem instituere volentibus.

Excussa sufficienter tua conscientia, cave, ne diabolus tuae salutis acerrimus hostis tibi suis fraudibus imponat. Cum non ignoret, quod sacra confessio sit fons gratiarum Dei, ex quo peccatores salutem consequuntur, omnem conatum impendit, quo nobis hunc salutarem fontem pessumdet, praesertim nos inducendo ex damnabili timore ad subreticenda pudenda quaedam graviora peccata, si in ea lapsi simus. O quot millia superborum adolescentum nunc in infernalibus flammis cruciantur, quia isti perniciosissimae tentationi misere succubuerunt! Si quando te adverteris illa impugnatum, mox ad preces recurre, Refugii Peccatorum, B. V. Mariae, tuorumque Patronorum opem ardenter implora, atque ante effigiem Christi e Cruce pendentis prostratus sequentem considerationem lente et attente legas, tibi persuasum habens, quod tuae salutis sitientissimus Jesus ad cor loqui ipse dignetur, quo fortiter animeris ad te ipsum, et pudorem pravum strenue vincendum.

§ 2.

Efficacia motiva, quibus adolescens candidatus vel tyro religiosus induci potest ad vincendum pudorem ante confessionem generalem.

Uti modo supra dixi: B. V. Mariae tuorumque Patronorum ope ardenter implorata, atque ante effigiem Christi Crucifixi prostratus sequentem considerationem lente et attente legas, quasi revera Christum patientem et morientem et ad te loquentem audiens his verbis: « Infelix peccator, miserande adolescens! ecce, sto ad ostium tui per peccatum vulnerati cordis: id aperi mihi tuo Salvatori sua merita, suam gratiam et misericordiam tibi offerenti, si ea nunc utaris pro tua salute. Ah! noli me repellere. Vide torrentem sanguinis e tot meis vulneribus tui causa erumpentem, in eo salutem quaere. Quam primum accede sacrae Poenitentiae tribunal, tamquam pretiosum animae balneum. Time ah! time, in diem crastinam istud rejicere. Commissorum peccatorum integram veniam hodie tibi offero, modo tantum illa corde sincere contrito integre confitearis. Pro tanta gratia quid minus petere possem? Ecquis erit laesae majestatis reus, qui tergiversetur sua confiteri crimina, si pro certissimo habeat, quod ista confessione veniam atque gratiam a Rege sit obtenturus? Morbi tui fatalis statum perito medico aegrene panderes, si hac declaratione integrae valetudini certo certius restituendus esses? Cur igitur statum miserandum, in quo nunc es, tuo confessario a me constituto tuae animae medico aperire horres, quamvis tibi constet, hanc confessionem tibi futuram aeternae vitae atque sanitati? Tua superbia, fateor, hinc humiliabitur; sed nonne justissimum est, qui toto coelo spectante turpissima peccata absque rubore patrasti, ad pedes Confessarii, mei locum tenentis, prostratus, qui fortassis te non novit, modicum nunc erubescas? Si te non puduit te peccato denigrare, quare te

lavando erubescere deberes? Tibi persuasum habe, quod ego tuus Redemptor sacrum tribunal occupem; utique culpam fateri, aliunde jam mihi cognitam, non tergiversaberis, cujus confessionem tantummodo peto, ut tibi ignosci possit? O quanto pudore tunc perfusus fui, cum spoliatus vestibus columnaeque alligatus cruentis flagris laniatus fui, cumque coronatus spinis, probrosae cruci nudus affixus sum innumeris hominibus tunc inspectantibus, mihi conviciantibus. Ergo Dei tui et Redemptoris exemplum, tui causa usque ad crucis probrum humiliati, te non inducere poterit ed brevem hanc confessionem christiane subeundam, qua toti coelo summopere placebis, sanctamque filiorum aeterni Patris libertatem recuperabis?

Sed quid cogitabit sacerdos tuorum scelerum confessionem audiens?

Scito et pro certo crede, quod ille, meo animatus spiritu, corde paterno et compatiente tuis miseriis, te sit excepturus; industrie te juvando ad confessionem integram, tuam conabitur minuere difficultatem. Sibi persuasum habens, quod ipsemet in longe graviores culpas, quam sint tuae, lapsurus sit, nisi eum mea gratia sustentem, non audebit cor contritum et humiliatum spernere, cor, quod est charum objectum et mei amoris et meae aestimationis. Cum ipsi jam compertum sit, quod humilis confessio graviorum peccatorum sit actus tam heroicus, ut vix ullus in hac vita excelsior illo exerceri possit, eo pluris te faciet, teque dilaudabit, tuam fortitudinem admirans, qua sanctos Davidem, Paulum, Augustinum, aliosque poenitentes imitatus fueris, qui ex humilitate suorum peccatorum spontaneam notitiam toti orbi dedere. Quantum ipsi tum placebis tuae animae salutem illius curae concredens, eique occasionem optatam praebens sui zeli exercendi meritisque ditescendi? Sciens, quam severa sit illa ratio, quam debebit aliquando de pretiosa tua anima mihi reddere, ipsi a me commissa, te piis monitis atque consiliis paterne juvabit iste tuus Director; Missas, preces et alia pia opera pro tua

salute mihi saepius offeret. O quanta cordis sui voluptate sacram absolutionem ex me tibi impertiet! Te non aspiciet amplius, qualis accessisti, nigrum, deformem, ipsoque daemone horribiliorem, sed ut appares coram me post confessionem, candore nivibus, splendore Angelis nihil cedentem. Nec time postea, ne tuorum peccatorum notitia abutatur. Confessionis sigillo lingua ejus erit adeo stricte ligata, ut crudelissima tormenta eam non valitura sint solvere. Ne quidem vel ullum edere signum audebit, quod tuorum peccatorum ullam memoriam conservet, quamvis de lucrando toto mundo ageretur; nam ipsum non latet, quod ob fractum hoc sigillum poenis sempiternis a me in inferno puniendus esset.

Et quamvis sat certus fores, quod confessarius te spreturus esset, tene propterea perdere animam tuam oportet? Ergone unius solius hominis vana aestimatio erit praeferenda supremi Numinis, atque omnium Sanctorum aestimationi et amicitiae? Integra confessione peracta, o quanto gaudio, quanto solatio eris delibutus! « Deo sint aeternae laudes », gaudio exultans dices, primos victoriae tuae fructus gustando: « Deo sint aeternae laudes, conscientiae meae tortura tandem sublata est, omnia peccata mihi remissa sunt, o quam horribili pondere sum liber! Nunc est conscientia pacata, divina gratia est recuperata, mortis et inferni timor me cessant angere; majorem spem nunc habeo, quam prius unquam, fore, ut coelesti beatitudine potiar. O quam tranquillus, quam felix nunc est meae conscientiae status! ad fruendum tanta interna beatitudine, cur tamdiu exspectavi »? Totum coelum interea, Angeli et Sancti ob tuam conversionem festum celebrabunt, teque ad cantandas cum ipsis meae erga te bonitatis laudes invitabunt.

Ex adverso considera, in quale barathrum malorum tandem lapsurus sis, nisi praeteritam in peccando audaciam mature expiaveris, injustam, quam habes, a confessionibus aversionem generose superando, quamvis tibi constet, quod quivis peccator, sive sit Rex, vel Pontifex, non sit minus ac tu lege

confitendi obstrictus. Quamvis vel unicum peccatum grave celares, nullum tibi remittitur, quin evadis magis reus, cum sacrilegium horribile committas, peccatum millies severius plectendum, quam sit illud, quod tegis scelerato silentio.

Hoc fatali lapsu facto longe graviores difficultates contrahes integram instituendi confessionem, cum non solum oportebit peccatum omissum pandere, sed et sacrilegium commissum. Daemon interea suam tyrannidem firmabit; mea, qua summe indiges, gratia, minus efficax evadet; tuus vero pudor atque confitendi horror tantopere crescet, ut impossibilis tua conversio tibi visura sit. Itaque desperabundus catenam nectes sacrilegiorum ex tuis confessionibus et communionibus.

Sed quale gaudium, qualem quietem habere poteris vivens in adeo deplorando statu? Lusui tunc vaca, canta, curre, quo lubebit tibi, omnibus oblectamentis repertu possibilibus fruere, haec tamen omnia tuam conscientiam pacare nequibunt, scelerum tuorum terrifica imago in medio voluptatum te constanter lancinabit; laesae conscientiae remorsus crudeles te comitabuntur ubique et immisericorditer torquebunt. Constanter interim timebis, ne tuis sacrilegiis, meaeque patientiae abusu lassatus et irritatus, furoris mei fulmina tristi quodam casu morteque subitanea tandem exonerem, quae te in inferni flammas pro meritis praecipitet, uti multis quotidie minus te reis accidit.

Fortasse sperabis, fore, ut aliis viis quam confessione meae justitiae abunde satisfacias: sed quam fallax est talis spes! — Jejuna severissime plurimis annis integris, carnem tuam quotidie dilacera flagellis, immensas opes inter egenos disperge, hisce piis operibus nihil mereberis, obligatus semper ad confitendum manebis; vel isti obligationi satisfaciendum erit, vel aeternum pereundum.

« Certe confitebor », inquies, « et integre confitebor morte imminente ». Ah insane; quantopere tibi ipsi sic imponis! futuro tempori ad te non spectanti noli confidere; tempus est, quod non mereris, si mea patientia et tempore abutaris. Mor-

tem omni hora, quin omni momento time; nam quo minime putabis tempore, certo certius veniet. Et quamvis per me tibi revelatum esset, quod non subitanee, sed post diuturnum morbum in lecto moriturus sis, qua ex ratione spe tibi blandiri potes, quod doloribus oppressus, mortis metu perturbatus, integris legionibus diabolorum impugnatus, qui tuorum peccatorum horrificum catalogum ob tuos oculos ponentes, omnem impendent conatum, quo te in desperationem adigant; qua ex ratione, inquam, tuta spe laetari potes, fore ut tunc illam vim singularem animi, et praesentiam habeas summopere necessariam ad tot, tam potentes hostes superandos, ad integre obeundam ultimam confessionem, quae omnes defectus tollat in prioribus commissos, quae singula manifestet patrata sacrilegia aliaque innumera a te commissa peccata, tu qui modo, quamvis sanus, in unico manifestando tantam difficultatem habes? Crede mihi, vix poteris unius contritionis verum actum dicere, longe minus operosam hanc confessionem integre peragere, idque ex propria culpa tua non poteris, cum ipsa impotentia morae culpatae, tuaeque negligentiae futura sit effectus, qua non excusaberis coram tribunali meo. Hinc omnino de salute tua desperabis; morieris in peccato, prout in peccato vixeris.

Ergo tibi, onerato tot pudendis sceleribus coram supremo divino judicio, cui nihil est absconditum, judice tunc inexorabili et absque misericordia, quem tuis peccatis graviter irritaveris, comparendum erit? O quanto pudore tunc suffunderis, cum cunctae infames tuae actiones, tot abominanda scelera, tot sacrilegia patrata in tuis confessionibus et communionibus, detecta patebunt cunctorum oculis, cum omnibus et singulis turpibus circumstantiis. O quanta tua erit confusio et ignominia, quando, universali instituto judicio, tot milliones coelestium spirituum atque hominum, quos inter erunt tua hypocrisi decepti confessarii, quando, inquam, illi omnes in tua conscientia scelerum tuorum turpissimum catalogum grandi charactere a daemonibus conscriptum clarissime intue-

buntur? Tu, qui vel levem contemptum tantopere horres, quomodo diras imprecationes audire poteris, quas singulae creaturae in te evibrabunt? Tunc, sed frustra, petes, ut montes super te cadant, quo tantam ignominiam et execrationem vitare valeas. Quid cogitabis, quid dices, ex ore divini judicis ira implacabili adversus te inflammati hujus sententiae fulmen proferri audiens: « I maledicte, i sacrilege profanator mei fusi in cruce Sanguinis, in ignem aeternum; a me in sempiternum recede, tuus esse pater nunc cesso, faciem meam divinam in aeternum non videbis »! — O sententiam horrendam, terribile decretum ex eo maxime, quod sit irrevocabile. Tum vero daemones, tamquam feroces belluae, in te ingenti rabie irruent, atque catenis constrictum ad inferos raptabunt. Ibi infinita justissimae meae irae potentia in caput tuum sceleratum effundetur, quandoquidem in vita tibi a me oblatam paternam misericordiam divinamque bonitatem obstinate contempseris. Ibi totus quantus ignito mari immersus patieris omnes possibiles dolores atque cruciatus excogitabiles durante tota immensa aeternitate absque ullo solatio, ullaque intermissione, poenas tam immanes atque horribiles, ut omnia tormenta, quae unquam homines ac martyres passi sunt, in unum collecta, poenarum umbrae vocari debeant, si cum inferni cruciatibus comparentur.

Nunc edic mihi sincere, miserande adolescens! credisne omnino, fore, ut haec sempiterna tormenta perpeti possis, tu, qui tantopere horres vel unicum momentum in aqua fervida digitulum detinere? Interim te oportebit in hoc igne infernali inter catenas et ungues daemonum tota aeternitate, toto corpore, tota anima torqueri: quamdiu in coelo permanebo Deus, tamdiu a diabolis in carcere infernali captivus detineberis: nunquam, nunquam, nunquam exinde liberaberis! — O quoties ejulabis, immani rabie in te ipsum fremens et incassum dicens: « Eheu, quid infelix feci! quo miser sponte deveni? tam facile potuissem meam operari salutem, paradisi claves jam in manibus habebam, liberrimum mihi erat coelesti bea-

titudine aeternum perfrui, atque inter Sanctos feliciter regnare; et nunc orci mancipium sum inter damnatos sine fine cruciandus. Ad salutem operandam tantum oportebat brevem pudorem vincere, peccatum hoc confidendo: ad istud praestandum me Deus, Angeli, mea propria conscientia vehementer impellebant: centenae occasiones mea rumpendi vincula oblatae mihi fuerunt, quas tamen omnes stultissime neglexi! Cur meam confessionem ad mortis tempus distuli? Eheu me! eheu me! eheu me! perdidi omnia: tempus, occasio, coelum, gratia divina, propria anima, cuncta ista sunt perdita, nulla mihi est spes reliqua, in aeternum perii! O millies et millies maledictus pudor! O millies et millies maledicta superbia! O millies et millies maledictum silentium! vos estis causa unica meae damnationis »! —

Haec, o formidolose juvenis! pro tua salute, quae mihi tanto Sanguine, tanto dolore, tanto pretio constitit, tibi proponere volui. Eloquere nunc sincere, quid tibi videtur? Quam partem amplecti praestat? hic modo stans delibera; alterutra tibi est inevitabilis. Vel haec difficultas, quae te torquet, confitendi nunc superanda est, vel ille acervus malorum, eorumque aeternorum simul et temporalium, impendet tuo capiti; vel tua peccata in poenitentiae sacro tribunali sunt integre confitenda, vel haec coram meae justitiae tribunali, coram universitate et Angelorum et hominum manifestanda sunt; vel ad pedes unius benigni Confessarii modicum erubescendum est, vel ad pedes luciferi in aeternum ardendum. Ah, fili mi! noli diutius haesitare. Dei tui amore aude aliquid fortiter, tuum hunc horrorem vince et daemonem confunde, tui timoris auctorem, juratum illum et mei honoris et tuae animae hostem. Nullam mihi gratiorem tibique utiliorem offerre potes satisfactionem, quam hanc tui victoriam. Quo difficilius erit pro te vincendo certamen, eo dulciores erunt victoriae fructus, eo gloriosior erit tuus in coelis triumphus.

Ecce, incipis nunc vitam monasticam: o quanta gaudia spiritualia, quaenam gratiarum copia et quinam in virtutibus

progressus te exspectant, si omnibus peccatis tuis sincerissima confessione generali confessis et coram Coelo deletis, puro corde incipis vitam vere Seraphicam! Quam facilis tibi erit vita monastica et quam jucunda, si istam inceperis et continuaveris conscientia pura et quieta! — Veni ergo intrepide in Confessarii persona ad me tuum Redemptorem Patremque tuae salutis amantissimum et cupidissimum. En, cerne mea brachia in cruce nunc expansa, queis te revertentem paterne complectar, queis te poenitentem potenter tuear. — Vel, si mavis, in Cor meum audacter penetra; tibi apertum est, tibi totum est paratum. Veni, o fili mi! ah veni ocius »! —

§ 3.

Exempla quaedam memorabilia de sacra Confessione.

1. Obstrinxerat se quidam gravi peccato, votum violando pridem a se conceptum, neque ullo pacto inducere se poterat, ut pro sacro tribunali commissam noxam sacerdoti aperiret. Cum hac difficultate atque confessionis horrore jam sat diu laboraret, recurrit ad Divinum B. V. M. Sponsum Josephum, novendiali devotione in ipsius honorem instituta, ut eo juvante impium istum pudorem tandem exueret. Simul explevit numerum horumce novem dierum, simul sensit, sibi addi novos ac meliores animos ad manifestandum pio Sacerdoti sincero candore vitae suae statum, quo dein praestito Divi Josephi ope, probiorem vitam imposterum vixit (Barry et Iwaneck, S. J, in « Lilio Josephino »).

2. In fastis Benedictinis Pelagii nomen est valde celebre, cujus vita non dissimilis uni tragoediae fuit, quae primos actus laetos et felices habuit, finem vero tristissimum. Hic a piissimis parentibus progenitus, optimis moribus imbutus fuerat. Aetate crescens virtute non minus crescebat, assiduus in templis, deditus orationi omnisque generis piis operibus, donec parentibus morte e vivis sublatis mundo valedicere statuit.

Quare suis divitiis inter egenos generose distributis in eremum fugit vitam angelicam in terris ducturus. Ibi, sibimet constructo tuguriolo, in eoque altariolo, totos fere dies contemplationi et orationi dabat, tantaeque virtutis coelestem odorem spargens a viciniae incolis tamquam Sanctus habebatur.

Daemon, ipsi tam felicem in virtutis via progressum invidens, coepit eum partim vi, partim fraudulentis tentationibus vehementer impetere, ipsius mentis oculis foeda et abominanda quaeque identidem objiciens. Sed cum Pelagius has impugnationes viva fide, jejuniis et orationibus fortissime repelleret, diabolus ira frendens socios in opem vocat, quibuscum pium juvenem molestis et vehementibus tentationibus die noctuque impetit, ut tandem manus victas ipsi dederit impura cogitatione voluntarie oblectans. Vix isti consensum dederat, cum tanto moerore mox correptus fuit, ut pacem nullibi invenire posset. Nonnunquam humi prostratus dicebat suspirans: « O Pelagi! quid fecisti? unde cecidisti? ah miser! a coelo in infernum dilapsus es; eras paulo ante dilectus Dei filius, nunc es mancipium Satanae! Heu, unico consensu totius transactae vitae merita perdidi! Sed quomodo Dei vindicantis iram vitare potero? Si hoc pudendum peccatum cuiquam confessus fuero, sanctitatis famam ingenti labore paratam eodem momento deperdam ».

Hisce turbulentis cogitationibus actus cellulae januam aperit, e qua peregrinum videt illuc transeuntem, ipsumque sic alloquentem: « Pelagi, eccur nocuae melancholiae praeda fis? quisquis Deo infinite bono servit, nunquam tristis esse debet: si forte peccasti, an ideo cares omni remedio mali? Fac poenitentiam, tum vero priorem pacem recuperare poteris ». Attonitus eremita ad blandas adeo hujus peregrini voces, ad ipsum accedit, sed cum ex ejus oculis subito evanuisset, exindeque agnosceret, quod is haud dubie monens Angelus fuisset, firmiter statuit agere poenitentiam. Quare istud propositum executioni daturus se confert ocius ad quoddam S. Patris Benedicti coenobium, atque ad Abbatis pedes humillime

prostratus eum pro susceptione in sacrum Ordinem rogat, quam gratiam facillime ob sanctimoniae famam a Praesule obtinuit. Exprimi sat nequit, quanta exactitudine Neoreligiosus regulas constanter observaverit, quanta humilitate in vilissimis etiam muniis cunctis inservierit, quantoque rigore in propriam carnem cruentis flagellationibus, assiduis jejuniis, horridisque ciliciis quotidie saevierit.

Verum his omnibus Deo parum gratus erat, quia peccati venenum e conscientia ad Confessarii pedes necdum ejecerat. Plures annos Pelagius in Monasterio transegit a suo primaevo externo rigore nihil unquam remittens, frequenter obiens sanctissima Sacramenta, sed nunqam pudorem sacrilegum vincens. Tandem gravissimo morbo corripitur ex austeritatibus contracto, jubeturque a medicis se ad mortem praeparare, cum pharmaca nulla morbi vim frangere possent. Ergo Pelagius extremis Sacramentis muniri flagitat; quae ut reciperet majore cum fructu, Superiorum suasu anteactae vitae noxas omnes in confessione aperire statuit. Verum miser sacrilego silentio assuetus suum impuritatis peccatum hac in confessione revelare non ausus est, quamvis jamjam moriturus, seseque fortius solito sentiret a gratia divina ad se vincendum impelli. Igitur sacrilege, ut alter Judas, sacrum Viaticum recipit, atque paulo post moritur in oculis Dei tanquam induratus peccator, sed apud homines in opinione magnae sanctitatis. Quare singulari cum veneratione sepultus est a Monachis, defuncto beatam mortem sortemque invidentibus.

Sed, o rem inexspectatam! nocte insequente cum Sacristanus per templum transiret, signum campanis ad matutinum daturus, advertit, jacere demortui cadaver extra suum sepulchrum. Ad hoc spectaculum supra modum attonitus sibique persuadens, quod errore quodam defuncti corpus terrae non recte mandatum fuisset; illud denuo sepelit, nulli hunc eventum aperiens. Verum cum idem cadaver extra sepulchrum denuo sequente altera nocte repertum fuisset, clare agnovit, quod illud a terra non casu ejectum fuisset. Tunc enimvero

ingenti horrore correptus ad Abbatem currit, cui totum rei eventum aperit. Ille convocatis omnibus Monachis recte se ad templum confert, Deoque fit cum illis supplex, ut suam voluntatem ipsis aperire dignetur, num fortasse velit, ut sui fidelis servi sacrae reliquiae in honorificentius sepulchrum ab iis transferantur. Tum ad cadaver conversus voce elata dixit: « O Pelagi, serve Dei! qui vivens meis mandatis tam obediens fuisti, ut mihi edicas, jubeo, num divina sit voluntas, ut corpus tuum in magis decenti loco quiescat »? — Et en! ad istud mandatum defunctus se movet atque terrificum edens suspirium elata voce dicit: « O me infelicem! o me infinite miserum, poenis sempiternis in inferno cruciandum, eo quod impurum quodpiam desiderium, cui adolescens consensi, confiteri noluerim; propterea in orci flammis sacrilegus sepultus sum, absque ulla spe liberationis: quamdiu Deus permanebit Deus, tamdiu manebo infelix damnatus. Ut fides detur hisce meis dictis, accedite, et cernite maledictum corpus meum ».

Abbas accedit, videtque cadaver candentis ferri instar totum rubere. Quo perterrefactus mox recedit. At infelix Pelagius: « Hinc, o Pater, non abeas, quin antea illud sustuleris, quod supra linguam habeo ». Denuo accedit Abbas, videtque sacram Hostiam, quae morienti porrecta fuerat ad animae Viaticum, in ore mortui integram adhuc jacere: hanc manu tremente extrahit curatque in loco decenti asservari ad lamentabilis hujus facti memoriam. Tunc Pelagius subjunxit terrifica voce: « Dei voluntas est, ut illud meum execrabile corpus non sit in posterum in loco sacro sepultum; exinde raptetur tamquam emortuae bestiae cadaver, atque inter sordes extra monasterium lateat, donec jubetur uniri animae aeternum cum ipsa in inferno puniendum » (Vega de Conf. c. 13. — Rossignoli « Veritates aeternae »).

3. Inciderat quidam in enormia scelera, quae plurimis annis ex mala verecundia in confessione sacrilege tacuerat, verum suo malo; nam post talem factam confessionem se mox pati sensit morbo gravissimo, atque ad extrema deduci. Cum

anxia cogitatione secum perpenderet, quid tandem coelo vindice ipsi eventurum esset, ecce has voces percepit: « Haec, scelerate, pateris ob admissa peccata; illa confitere omnia et morbo liberaberis ». Paruit ille quam citissime, et en! simul atque animae contritae per integram confessionem sua est reddita sanitas, sua quoque est reddita morbido corpori, ut inde nosceret, illius aegritudinem etiam in hoc derivatam fuisse. Ex quibus alieno doctus malo, adolescens candidate et religiose tyro! tibi bene consule, et fac, ut os tibi non sit claustrum, sed ostium, quod scilicet aperiatur ad peccata confitenda, et claudatur ad illa excusanda vel pallianda (Lobbetius Dom. 15. post Pent.)

TRACTATUS V.

Regulae vitae apostolicae observandae.

Pro Patribus junioribus, qui absolutis studiis theologicis Clericatus Magisterio valedicentes curam animarum suscipiunt.

CAPUT I.

De filiali amore, summa obedientia ac omnimoda subjectione Fratris Minoris erga S. Matrem Romanam Ecclesiam.

§ 1.

Primum pro apostolica Fratris Minoris vita caput et regula principalissima esse debet filialis amor, summa obedientia ac omnimoda subjectio erga S. Matrem Romanam Ecclesiam; etenim ipsa est corpus Christi mysticum, sponsa Salvatoris nostri, tabernaculum Spiritus Sancti; sanctissima a Spiritu S. animata, inhabitata, inspirata, edocta et directa indeque infallibilis, catholica et apostolica Magistra divinae veritatis ad vitam aeternam. O magna ac tremenda, simulque omni consolatione divina plena fidei nostrae mysteria! Jesus, Dei Filius, praesens in Sanctissimo Sacramento! Christus « *caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur* » (Ephes. 1, 22. 23), et Spiritus Sanctus inhabitans in Ecclesia Romano-Catholica!! — Virtutibus, donis, effectibus suis et praesentia sua Spiritus S. omnia in et pro Ecclesia Dei ordinat, dirigit atque gubernat, ita quidem, ut, qui dixerit verbum contra Ecclesiam, hoc dixerit contra Spiritum Sanctum, qui in Ecclesia peccaverit, aut eidem, quae est corpus Christi mysticum, non obe-

dierit aut vim fecerit, hoc fecerit contra Spiritum S., et qui Ecclesiam contristatus fuerit, Spiritum S. contristetur. — Hinc illa alias mitissimi Salvatoris nostri verba tremenda: « *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro* » (Matth. 12, 32). Nonne hoc dictum est de Spiritu S. in S. Ecclesia operante? Quapropter verbum: Qui « *autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* » (Matth. 18, 17); et factum illud ac verbum in historia Ananiae et Saphirae (Act. 5, 1—11): « *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri? ... Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias haec verba, cecidit et exspiravit.... Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes, qui audierunt haec* ».

Ex hac adoranda Spiritus Sancti inhabitatione in Ecclesia Dei sequitur continua per eundem Ecclesiae conservatio usque ad consummationem saeculi, quidquid portae inferi contra eandem moliri tentaverint; inde venit visibilis Ecclesiae capitis absoluta infallibilitas in doctrina fidei et morum cum gubernatione mirabili Ecclesiae Summique ejusdem Pastoris: « *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis; ... ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* » (Joann. 14, 16. 17. 26); exinde unitas et sanctitas Ecclesiae cum omnibus donis ac proprietatibus, quae Sponsam Jesu Christi exornant in Liturgia. Disciplina, Sacerdotio, Magisterio et Imperio ecclesiastico, ita quidem, ut temerarium esset discernere velle, quaenam in S. Ecclesia sint plane supernaturalia atque divina, et quae plane naturalia atque humana; est enim Ecclesia juxta usitatissimum S. Lucae Evang. verbum [1] « *plena Spiritu Sancto* ».

[1] Act. 2, 4; 4, 8; 31, 5; 32, 6. 8. 10 etc.

Hoc dogma de Ecclesia Dei et Spiritu Sancto in eadem inhabitante: nonne fons est omnis consolationis praeprimis in diebus nostris? — Haec de S. Ecclesia recogitantes nonne cum patriarcha Jacob exclamabimus: « *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est,* inquit, *locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli* » (Genes. 28, 16. 17).

Immensitate igniti sui amoris Spiritus S. Ecclesiam semper circumdat et amplectitur. Diligit Ecclesiam immenso, activo aeternoque amore, quia est tertia SS. individuae Trinitatis persona; diligit Ecclesiam, et quidem intimo amore, quia est Ecclesia Christi ejusque sacramentale habitaculum usque ad consummationem saeculi; etenim ipsius ineffabili obumbratione sanctissima humanitas Christi fuit formata; habitavit in sanctissimo Corde Jesu, sicut in nulla alia re creata; explicavit in sanctissima anima Jesu omnem suorum donorum gratiarumque gloriam, prout nullibi easdem explicare potest; erat ipsi gaudium super gaudia omnia, quod Jesus voluerit, ut veniret et opus suum continuaret, et quasi ipsius esset successor in officio suo pro Ecclesia, non pro triennio tantum, sed usque in aeternum. — Quomodo autem Jesus Spiritum S. dilexit ac diligit, patet ex illis verbis ignitis simulque tremendis: « *Qui autem verbum dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro* » (l. supr. cit.).

Quid autem dicam de operatione et amore Spiritus Sancti erga nos miseros? — « *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* » (I. Cor. 3, 16)? — « *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* » (I. Cor. 12, 3). — « *In quo* (Christo) *et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus haereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius* » (Ephes. 1, 13. 14). — « *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus; Abba (Pater). Ipse enim*

Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei » (Rom. 8, 15. 16). — En, charissime Frater! hisce verbis Spiritus S. ipse suum erga nos testatur amorem; de hoc autem jam non sit sermo.

Sed praedictam mirabilem adorandamque S. Spiritus inhabitationem operationemque in S. Romano-Catholica Ecclesia tecum recogita ac mente revolve, et intelliges, cujus momenti pro interna et externa vita sacerdotali sit summa obedientia ac amor filialis erga S. Matrem Ecclesiam, et qua ex causa Sancti Dei tantam ac tam stupendam reverentiam in iis quoque, quae minima esse videntur, eidem exhibuerint; cur S. Theresia dixerit, « *se propter minimam ab Ecclesia praescriptam ceremoniam mori esse paratam* »; cur S. Carolus Borromaeus dicere solitus fuerit, « *se minimum a Sede Apostolica provenientem nutum tamquam pro verbo a coelo emisso habere* »; cur S. Ignatius in libro suo de « Exercitiis spiritualibus [1] » summam reverentiam atque obedientiam erga

---

[1] « *Exercitia spiritualia S. Ignatii* ». *Regulae S. Ignatii ad sentiendum cum Ecclesia.* Dr. Alois Schlör, Der « Kleriker in der Einsamkeit », oder « Ignatianische Exercitien », Graz, Kienreich, 1884, S. 296.

« Ad sentiendum vere, sicut debemus, in Ecclesia militanti, serventur regulae sequentes:

Prima: Deposito omni judicio proprio, debemus tenere animum paratum et promptum ad obediendum in omnibus verae Sponsae Christi, Domini nostri, quae est nostra sancta Mater Ecclesia, Hierarchica, quae est Romana.

Secunda: Laudare (commendare) confessionem, quae fit sacerdoti, et susceptionem Sanctissimi Sacramenti semel in anno, et multo magis quovis mense, et multo melius octavo quoque die, cum conditionibus requisitis ac debitis. —

NB. Nota, quod S. Ignatius his similibusque monitis praesertim indigentias sui temporis respiciat; attamen quisque has regulas attente legens ex iis id addiscet, quod iisdem intendit S. Ignatius, scil. « *sentire cum S. Ecclesia* ».

Tertia: Laudare (commendare) Missae auditionem frequentem, item cantus, psalmos et longas orationes in templo et extra illud; item horas

S. Ecclesiam tantopere commendet suo modo fortiter dicens: « *Deposito omni judicio* (proprio) *debemus tenere animum*

---

ordinatas tempore destinato ad omne officium et ad omnem orationem et omnes horas canonicas.

Quarta: Laudare multum Religiones, virginitatem et continentiam, et non tantopere matrimonium, quantopere ullum ex istis (praedictis statibus).

Quinta: Laudare vota Religionis, obedientiae, paupertatis, castitatis et aliarum perfectionum supererogationis. Et advertendum est, quod, cum votum sit circa res, quae propius accedunt ad perfectionem evangelicam, in iis, quae ab illa recedunt, non debet fieri votum: v. gr. de negotiatione exercenda, vel de matrimonio ineundo etc.

Sexta: Laudare Reliquias Sanctorum, praestando illis (Reliquiis) venerationem, et faciendo orationem ad illos (Sanctos); laudando stationes, peregrinationes, indulgentias, jubilaea, Cruciatas et candelas accendi solitas in ecclesiis.

Septima: Laudare statuta (Ecclesiae) circa jejunia et abstinentias, ut Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, Feriae sextae et Sabbati; item poenitentias non solum internas, sed etiam externas.

Octava: Laudare ornamenta et aedificia ecclesiarum, item imagines, easque venerari secundum id, quod repraesentant.

Nona: Laudare denique omnia praecepta Ecclesiae, animum gerendo promptum ad quaerendas rationes in eorum defensionem, et nullo modo in eorum impugnationem.

Decima: Debemus esse magis prompti ad probandum et laudandum (quam ad reprehendendum) tam statuta et commendationes, quam mores nostrorum Superiorum, quia, etiamsi aliquando ea non sint vel non essent talia (i. e. laude digna), tamen loqui contra illa, sive praedicando in publico, sive sermonem habendo coram personis ex vulgo, generaret potius murmurationes et scandalum, quam utilitatem; atque ita indignaretur populus contra Superiores suos, sive temporales, sive spirituales. — Verumtamen, sicut damnosum est, male loqui ad plebem de Superioribus absentibus, ita potest utile esse loqui de malis (eorum) moribus ad illas ipsas personas, quae possunt iis remedium afferre.

Undecima: Laudare doctrinam tum positivam tum scholasticam, quia, sicut magis proprium est Doctorum positivorum, ut S. Hieronymi, S. Augustini, S. Gregorii etc. movere affectus ad amandum in omnibus Deum Dominum nostrum, eique serviendum; ita est magis proprium Scholasticorum, ut S. Thomae, S. Bonaventurae et Magistri Sententiarum etc. res ad salutem aeternam necessarias definire vel declarare pro nostris tempo-

paratum et promptum ad obediendum in omnibus verae Sponsae Christi Domini nostri, quae est nostra sancta Ma-

---

ribus et ad magis impugnandum et declarandum omnes errores et omnes fallacias; quia Doctores scholastici, cum sint recentiores, non solum fructuose utuntur vera intelligentia S. Scripturae et scriptis positivorum ac ss. Doctorum, sed etiam ipsi illuminati cum sint et illustrati virtute divina, auxilium sumunt a Conciliis, Canonibus et Constitutionibus S. Matris nostrae Ecclesiae.

Duodecima: Debemus attendere in faciendis comparationibus eorum, qui adhuc nobiscum vivunt, cum Beatis vita functis, quod non parum in hoc erratur, v. gr. cum dicitur; iste plus scit quam S. Augustinus; est alter vel major quam S. Franciscus; est alter S. Paulus virtute, sanctitate etc.

Decima tertia: Ut in omnibus veritatem assequamur, debemus semper (fixum) tenere, ut album, quod ego video, credam esse nigrum, si Ecclesia hierarchica ita illud definiat, credendo inter Christum Dominum nostrum, Sponsum, et Ecclesiam, ejus Sponsam, eundem esse Spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem animarum nostrarum, quia per eundem Spiritum et Dominum nostrum, qui dedit decem mandata, regitur et gubernatur S. Mater nostra Ecclesia.

Decima quarta: Licet verissimum sit, neminem posse salvari, quin sit praedestinatus, et quin habeat fidem et gratiam, tamen valde attendendum est in modo loquendi et disserendi de his omnibus.

Decima quinta: Non debemus loqui multum de praedestinatione per modum consuetudinis; sed si aliquo modo et interdum sermo de illa habebitur, ita habeatur, ut plebs non veniat in errorem aliquem, ut quandoque solet, dicendo: si debeo salvari vel damnari, jam determinatum est, et propter mea bona vel mala opera jam non potest aliud evenire; et inde detorpescentes negligunt opera, quae conducunt ad salutem et profectum spiritualem animarum suarum.

Decima sexta: Eadem ratione advertendum est, ne multum loquendo de fide, et cum multa intensione sine ulla distinctione et declaratione, occasio detur plebi torpescendi et pigritandi in operando, sive ante fidem charitate formatam, sive post.

Decima septima: Item non debemus loqui tam copiose, insistendo tantopere gratiae, ut generetur venenum (i. e. error), quo tollatur libertas. Itaque de fide et gratia potest sermo haberi, quantum fieri potes cum auxilio divino, ad majorem laudem divinae suae Majestatis, sed non ita, neque iis modis, maxime in nostris temporibus tam periculosis, ut opera et liberum arbitrium capiant detrimentum aliquod, vel pro nihilo habeantur.

ter Ecclesia hierarchica, quae est Romana » (Reg. 1). « *In omnibus veritatem assequamur, debemus semper (fixum) tenere, ut album, quod ego video, credam esse nigrum, si Ecclesia hierarchica ita illud definiat, credendo inter Christum Dominum nostrum, Sponsum, et Ecclesiam, ejus Sponsam, eundem esse Spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem animarum nostrarum* » (Reg. 13). — En, charissime Frater! hic est sensus Sanctorum erga Ecclesiam Dei; sic non solum Sacerdotes, sed omnes vere Catholici de Sanctissima Matre sua, de Ecclesia hierarchica, quae est Romana, sentiant; et hoc quidem non tantum quoad dogmata fidei et morum, sed quoad omnia, etiam minima, quae Ecclesia ordinat ac praecipit in Cultu, Disciplina, in Sacerdotio et Imperio suo; nam « *Ecclesia plena est Spiritu Sancto* ».

Hoc autem si pertinet ad omnes vere Catholicos; quanto magis ad Fratres Minores, Filios S. P. Francisci, cujus Religio, Ordo Seraphicus, tam miram intimamque relationem habet ad S. Romanam Ecclesiam; nam etsi omnium Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum Mater sit S. Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia: « *Ad* quam (ut inquit S. Irenaeus, l. III. c. 3) *propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles* »; Romanam tamen Ecclesiam specialissimam Ordinis Fratrum Minorum parentem esse omni titulo, omni respectu et relatione, omni officio, ab illius origine usque ad mundi finem, probant quae eidem Ordini respectu tantae Matris ex

---

Decima octava: Licet super omnia aestimandum sit servire multum Deo Domino nostro ex puro amore, tamen debemus multum laudare timorem suae divinae Majestatis, quia non solum timor filialis est res pia et sanctissima, sed etiam timor servilis, si quid aliud melius et utilius homo non assequatur; juvat enim multum ad emergendum ex peccato mortali, et postquam ex hoc emersit (homo), facile pervenit ad timorem filialem, qui omnino acceptus et gratus est Deo Domino nostro, quia est simul (i. e. conjunctus) cum amore divino ».

natura regenerationis cujusdam spiritualis conveniunt, quod tibi ostendam in sequenti paragrapho.

§ 2.

1. Ante omnia memineris, charissime Frater! Ordinem Fratrum Minorum esse sobolem singularem Matris Ecclesiae, ratione originis singularis, et imaginis ac similitudinis ad Christum [1]. — Omnes quidem filii Matris Ecclesiae Romanae sumus, quotquot ex illustrissimo illo matrimonio, quod est « *in Christo et Ecclesia, ex aqua et Spiritu Sancto renati sumus* ». Quotquot ex uxore illa, quae est « *sicut vitis abundans in lateribus domus suae* » regenerati sumus, et « *sicut novellae olivarum filii sumus in circuitu mensae ejus* » (Ps. 127, 3), de pane filiorum nutriti, sive ab Oriente sive ab Occidente colligamur: filii namque Ecclesiae etiam « *de longe veniunt, et filiae ejus de latere surgunt* » (Isai. 60, 4). Inter hos autem Ecclesiae filios non infimum gradum tenent Fratres Minores cum Patriarcha suo, qui quidem ex communi fidei thalamo in spem vivam regenerati, Fraternitatis catholicae communem sortem adepti, ad generationis superioris gratiam evocati, cum eis computati sunt, de quibus Isaias (56, 5) ait: « *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit* ».

De hac generatione testimonium dat Ecclesia in oratione solemnitatis S. Francisci: « *Deus* », ait, « *qui Ecclesiam tuam B. P. Francisci meritis foetu novae prolis amplificas* ». Novus ergo foetus, nova proles, Ecclesiae adveniens, speciali generationis ordine progenita, Ordo Minorum est.

Haec porro generatio sublimior desumenda est a semine excellentiori; etsi enim omnes ex utero Matris geniti agnoscan-

---

[1] R. P. Fr. Petri Marchantii, Ord. S. Fr. « Fundamenta duodecim Ord. Fratrum Minorum ». Tit. XI. Fundam. XI. P. II. p. 38-48.

tur semine evangelicae fidei et veritatis, et ceteri Regulares semine evangelicorum consiliorum: Ordo tamen Fratrum Minorum agnoscendus est natus semine apostolicae et evangelicae supremae perfectionis. Hoc praeclaris elogiis (omissis multis aliis testimoniis) declarat Pontifex Nicolaus III. in Constitutione « *Exiit qui seminat* », ubi, postquam ex semine Christi evangelico Fratrum Minorum Religionem germinasse docuit, ad analogiam spiritualis generationis alludens, ait: « *Isti sunt filii, qui docente Jacobo, Verbum aeternum Dei Filium, insitum humanae naturae in horto virginalis uteri, potens salvare animas, in mansuetudine susceperunt* ». Infra: « *Haec est apud Deum et Patrem munda et immaculata Religio, quae descendens a Patre luminum per ejus Filium exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per Spiritum Sanctum B. Francisco et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis* ». Et haec fuit substantia parabolae, quam de divite rege cum muliere formosa et paupere matrimonium contrahente gratanter, et de prole suscepta praeferente regis generantis imaginem, Deo inspirante Innocentio III. S. Franciscus proposuit, in cujus virtute approbationem hujus vitae et Regulae impetravit, sicut testatur S. Bonaventura: « *Hanc ergo parabolam et intellectum ipsius Christi Vicarius cum diligenter audisset, miratus est valde, et indubitanter Christum locutum in homine recognovit* » (Vita S. Franc. cap. 3. n. 10)[1].

Ex quibus patet modus singularis nativitatis familiae Seraphicae Fratrum Minorum ex utero Ecclesiae Matris; etsi

---

[1] Scribit Doctor Seraphicus S. Bonaventura (Vita S. Fr. c. 3. n. 10): « Cum parabolam de divite rege cum muliere formosa et paupere contrahente gratanter, et de prole suscepta praeferente generantis regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut a Deo acceperat, retulisset; ex illius interpretatione subjunxit: ‚Non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis filii et haeredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi' » (l. c.).

enim aliae Religiones Ecclesiae postea aggregatae sint, in ipso tamen exordio ab Episcopis tantum approbatae fuerunt, et Ecclesiae postea velut arrogatae: Religio autem Fratrum Minorum primo a Spiritu Sancto inspirante, a Christo Regulam dictante efformata, in uterum Ecclesiae Matris effusa, Vicarii Christi velut obstetricante manu educta est: Matre Dei Maria, et Apostolis Petro et Paulo velut parentantibus. Constat enim et Virginis Matris misericordiae meritis Franciscum concepisse ac peperisse spiritum evangelicae paupertatis: cui etiam cum Fr. Massaeo oranti (referente *Pisano, Conform.* 16) Apostoli Petrus et Paulus de Dei mandato apparentes in Ecclesia S. Petri, cum gratulatione benedictiones amplas futurae generationi attulerunt. Soboles itaque Christi et Ecclesiae Matris speciali titulo Ordo S. Francisci dici debet, quippe qui in ipso S. Sedis utero Christi semine conceptus, ad imaginem et similitudinem Christi Crucifixi per omnia prodiit, et gremio materno exceptus paternis manibus Vicarii Christi traditus fuit. In cujus utique manibus S. Franciscus et socii duodecim primae Regulae professionem nullo medio seu immediate emiserunt, unde energice amicus S. Bonaventurae, *Hugo de Dina* († 1285) in cap. ult. Regulae dicit ad distinctionem aliorum Ordinum: Ordinem Fratrum Minorum esse « *Ecclesiae Romanae singulariter commissum, singulariter ab ipsa Ecclesia ordinatum, et specialiter in ipsa fundatum* ».

2. *Ordo Fratrum Minorum porro soboles singularis est S. Matris Ecclesiae Romanae, ratione filialis obedientiae et omnimodae subjectionis.* — Nunquam filius ita subjectus patriae potestati, quin ab ea certis eventibus emancipari possit, utique praevalente secundum leges aetate, statu etiam mutato, aliisve eventibus jure expressis juxta regionum mores: tanta autem est obedientia, tanta subjectio Ordinis Minorum ad Matrem Ecclesiam Romanam in omnibus, ut nullis conditionibus Frater Minor quocunque respectu ab illa emancipari queat. Haec est obedientia interminata, qua se et suos S. Franciscus a prima sui origine Matri Ecclesiae filiali jure

allegavit: « *Frater Franciscus* (ait in Regulae cap. 1) *promittit obedientiam et reverentiam domino Papae Honorio, ac successoribus ejus canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae* ». Et ut omnimodam dependentiam profiteretur (cap. 12), ait: « *Ad haec per obedientiam injungo ministris, ut petant a domino Papa unum de S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis, ut semper subditi et subjecti pedibus eiusdem sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium D. N. Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus* ». Unde Hugo de Dina (in cap. 1. S. Reg.): « *Perfectus Evangelii observator Petro Apostolo in successore suo, cui a Christo Ecclesia est commissa, se suosque in se speciali obedientiae et reverentiae promissione subjecit. Unde Summo Pontifici sanctaeque Romanae Ecclesiae sunt Fratres specialiter tam ex singulari hac sponsione, quam etiam ex speciali ejus ad ipsos cura et defensione adstricti etc.* ». Quae omnia referens in generationis principium, subdit: « *Praesertim cum Ordo per ipsam velut in ejus sinu, formae, roboris et incrementi susceperit accrementum, ut quasi proprius filius ipsius Ecclesiae dici possit* ».

En patriae potestatis perpetua agnitio, per interminatam obedientiam, quae nullis clauditur terminis, ita ut quemadmodum Apostolus de vero Christiano loquens (ad Rom. 14, 7) ait: « *Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur: Domini sumus* »: ita ex vi filialis hujus obedientiae ab origine hujus religiosae vitae, Ecclesiae Matri advenientis mors et vita Fratris Minoris in manu Matris Ecclesiae reposita sit, eo quidem vinculo, ut « *neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum etc.* » (Rom. 8, 38), possit ab hac obedientia ad Romanam Ecclesiam verum Fratrem Minorem emancipare aut liberare. Quod amplius ex sequentibus patebit.

3. Non defuerunt nationes, apud quas potestati paternae subjiciebatur vita filiorum, ita ut etiam parentes filios morti tradere possent. Haec a nativitate Ordinis Fratrum Minorum potestas in eosdem Fratres Ecclesiae Matri advenit. Qua ratione S. Bonaventura (in cap. 2. Regulae) venientes ad Ordinem tanta fidei obedientia Matri Ecclesiae junctos vult, ut etiam Ecclesia mandante martyrium subire debeant: « *Ex quo* (inquit) *vere patet, quod recipiendi ad Ordinem istum debent parati esse ad martyrium* ». Et haec potestas respectu Fratrum Minorum Ecclesiae Matri advenit ex natura rei. Cum enim ex vi status Fratres Minores ad praedicandum Evangelium Regni in universo orbe, si mittantur, obligentur; consequenter advenit Matri Ecclesiae, ut mittere valeat Fratres Minores, uti Christus Apostolos: « *Sicut oves inter lupos* », sive « *in medio luporum* » (Matth. 10, 16) eorum crudelitati exponendos; adeoque Frater Minor Ecclesiae eum amandanti ad infideles, haereticos, et saevissimos hostes etiam cum vitae dispendio parere tenetur, quin etiam tempore gravissimarum calamitatum, negantibus pastoribus, illa est sors sanctae et fidelis ad Matrem Ecclesiam obedientiae, ut vel ad nutum Fratres Minores se hactenus exposuerint et exponant, vitam suam pro Christo et Ecclesia prodigentes: in hoc agniti veri tantae Matris filii, et spiritus apostolici cohaeredes. Quae omnia clarissime expressit Regula prima S. P. N. Francisci (cap. 16): « *Recordentur* », ait, « *Fratres, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua, propter Deum Domino nostro Jesu Christo, et pro ejus amore debent sustinere tribulationem, persecutionem et mortem, quia dicit Dominus: Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet etc. Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis, qui occidunt corpus* ». Sic hunc textum refert Hugo de Dina in expositione cap. 12. S. Regulae. S. Bonaventura in cap. 1. S. Reg. n. 5. describens obedientiam Fratrum Minorum: reducit illam ad abnegationem supremam, « *quae vitam propriam* (ait) *exponit pro gloria Conditoris* ». Et ibidem n. 4: qua Frater Mi-

nor « *Deo obedit non tantum in necessariis, verum etiam in operibus supererogationis et divinis inspirationibus universis, quantumcunque difficilibus et arduis, illius exemplo, qui factus est obediens usque ad mortem* ».

4. *Tandem Matris Ecclesiae in filios suos Fratres Minores tanta est patria potestas, ut quidquid Fratri Minori advenit, illud patriae potestati acquiratur et cedat, solo simplici usu necessario Fratri Minori velut filio familias relicto.* — Jure quidem communi filiusfamilias ante omnem emancipationem sub paterna cura degit, paterna benevolentia alitur et conservatur: quidquid vero acquirit, parentum dispositioni acquirit etiam in adventitiis bonis, excepto peculio castrensi, aut quasi castrensi. Sed major sane patria potestas Ecclesiae in filios Fratres Minores: quippe quibus nec castrense nec quasi castrense, nec labore aut industria quaesitum aliquid jure cedit, sed omnia in dominium Matris Ecclesiae veniunt, ita, ut Frater Minor, etiamsi pane coeli pastus, et providentia aeterna vestimento circumdatus ab eo, qui lilia agri et foenum majori gloria quam Salomonem vestit, omnia accipiat: ille tamen pane, aut vestimento, aut tecto non utitur, nisi jure Matris Ecclesiae suo filiofamilias necessaria indulgentis. Haec est Pontificia confessio et declaratio Nicolai III. « *Exiit qui seminat* » (Art. IV. n. 1.): « *Ad hoc,* (inquit) *cum Fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint, etiam in communi; et cum aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea, si secus non exprimat, offerentis, concedentis verisimiliter fuisse credatur intentio, ut rem hujusmodi oblatam, concessam vel donatam perfecte concedat, donet et offerat, a se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; nec sit persona, in quam loco Dei congruentius hujus rei dominium transferatur, quam Sedes praefata, vel persona Romani Pontificis Christi Vicarii, qui pater est omnium, et Fratrum Minorum nihilominus specialis: ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cum patri filius suo modo, servus domino et monachus mo-*

nasterio res sibi oblatas, concessas vel donatas acquirant: omnia utensilium et librorum ac eorum mobilium praesentium et futurorum, quae et quorum usum, facti scilicet, Ordini vel Fratribus ipsis licet habere..., ad Nos et ipsam Ecclesiam plene et libere pertinere hac praesenti constitutione in perpetuum valitura sancimus». — Ac postmodum de locis, habitationibus, ecclesiis idem decrevit. In quibus verbis rationem hujus dominii patenter refundit in rationem patriae potestatis respectu filii, quia (inquit): «*Sedes praefata vel persona Romani Pontificis Christi Vicarii, pater est omnium et Fratrum Minorum nihilominus specialis*», et filius Minor quidquid acquirit, parenti acquirit.

Ex hac autem Fratris Minoris totali dependentia a Matre Ecclesia, reciproca oritur inter Ecclesiam Matrem et Fratrem Minorem obligatio. Obligatur namque Ecclesia Mater Fratribus Minoribus de necessariïs providere, quod facit in dies, permittendo illis per mendicata humiliter, oblata liberaliter, accepta pro mercede laboris, suis vitae necessitatibus congrue satisfacere, et ad haec fideles invitat. Obligatur Frater Minor nutui et imperio Matris Ecclesiae filiali fidelitate in omnibus morem gerere; obligatur et Mater Ecclesia Fratribus Minoribus juxta eorum statum providere. Nec Fratrem Minorem ullus status ab Ecclesiae obedientia liberat; quippe qui immediate gubernationi, protectioni et regimini illius subjacet. Unde S. Bonaventura in 2. cap. Regulae (n. 15): de iis, qui ad episcopalem dignitatem assumuntur: «*Si, coacti* (ait) *per Ecclesiam, inevitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab Ordine egredi*», utique quia obedientiae Matris subjecti, votis suae Regulae satisfacere possunt. Addit: «*Si, quantum in ipsis est, semper appetant in sinu Ordinis confoveri*». Subjungit autem horribilem sententiam de aliis: «*Quodsi* (inquit), *vocati ad episcopalem gradum nec coacti, ad eundem aspirant, ut fugiant aerumnas pauperum et Ordinis disciplinam; credo, eos in illius partem cessuros, qui dixit* (Isai. 14, 13): ‚*Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis*'». Haec S. Bonaventura.

Hoc thema de Fratrum Minorum erga S. Matrem Ecclesiam Romanam filiali obedientia et omnimoda subjectione facile continuare possemus, dicendo: qualiter gubernationi, protectioni et correctioni Ecclesiae Matris Ordo Minorum ut filius immediate sit subjectus; dicendo de oeconomia rationali omnium Provisionum Apostolicarum, quas Mater Ecclesia Ordini Fratrum Minorum concessit, quae sub nomine privilegiorum venditantur; dicendo de Provisionibus concernentibus votum Obedientiae et de exemptione Fratrum Minorum a jurisdictione Episcoporum etc., — sed necesse non est; ex huc usque dictis cuilibet S. P. Francisci filio satis patebit, Fratris Minoris esse, ut inter omnes Christi fideles corde, verbo et opere emineat atque praecellat filiali amore, summa obedientia ac omnimoda subjectione erga S. Matrem suam Romanam Ecclesiam. Hunc ergo sensum erga S. Matrem tuam Romanam Ecclesiam, charissime Frater! verbo et opere ostende in apostolica et pastorali vita tua. Ostende filialem amorem tuum erga S. Romanam Ecclesiam fundendo frequentes preces pro exaltatione et triumpho S. Matris Ecclesiae; defendendo Summos Pontifices eorumque jura contra quoscunque calumniatores et Ecclesiae inimicos; Christi fideles excitando et adhortando ad auxilium ferendum pro indigentiis et necessitatibus Summi Pontificis et Ecclesiae Matris; ostende summam obedientiam tuam erga Ecclesiam Romanam non solum quoad ejusdem decreta dogmatica, sed etiam quoad omnia, minima quoque, quae S. Mater Ecclesia et Summi Pontifices disposuerunt, mandarunt atque praescribunt pro Ecclesiae Disciplina et cultu, in Rituali et Ceremoniali; « *profecto* (aiebat quoad hoc Reverendissimus Minister Generalis noster P. Bernardinus in litteris encyclicis ad Provinciam nostram 2. Aug. 1872) *decet, ut Nos qua Regulares et Fratres Minores ceteris praeeamus in obedientia et reverentia erga Summos Pontifices et Ecclesiam Romanam* ». Paucis: semper, ubique et in omnibus omnimodam atque humillimam subjectionem exhibe S. Matri tuae Romanae Ecclesiae; hoc pro vita tua

apostolica ac pastorali primum sit caput et regula principalissima.

CAPUT II.

De obligatione Fratrum Minorum animarum salutem promovendi et Ecclesiam Christi sustentandi.

§ 1.

Parum prodesset Instituti Seraphici fini sanctam et studiosam ducere vitam, nisi pari diligentia et zelo strenuam operam impenderent Religiosi animarum saluti et Ecclesiae fulcimento. Non enim hunc Ordinem elegit Deus, ut Fratres sibi solis viverent, sed ut Christo lucrarentur animas, ad exemplum illius, qui unus pro omnibus mori dignatus est. Hunc sibi finem proposuisse Deum, dum S. Franciscum suscitavit, satis ex S. Patris vita patet, et ex dicendis lucidius patebit [1]. Unde sequitur, verum Fratrem Minorem dici non posse, qui hanc duplicem obligationem sedulo adimplere non studet.

Inter ea igitur, quae ad conservandum et renovandum spiritum seraphicum necessaria censenda sunt, illud non minoris momenti est habendum, ut scilicet omnes pro gratia sibi data proximi aedificationi, animarum saluti et Ecclesiae sustentationi consulere studeant, et alta mente reposita habeant verba, quibus olim Seraphicus Pater Fratres suos affatus est, dicens: « Consideremus, Fratres charissimi, vocationem nostram, qua vocavit nos misericorditer Deus, non tantum pro nostra, sed pro multorum etiam salute, ut eamus per mundum exhortando omnes, plus exemplo quam verbo, ad

---

[1] Conf. A. R. P. Bernardi van Loo, Ord. Fratrum Minorum, « Stimulus Seraphicae Conversationis ». Ed. 2. Lovanii, J. C. Fonteyn, 1862 p. 324, sqq.

agendam poenitentiam de peccatis suis, et ad habendam memoriam mandatorum Dei ». Ad hoc igitur ex mente S. Francisci vocati sumus, ut propriae perfectioni et simul aliorum saluti vacemus, et in nobis compleamus illud Apostoli Pauli dictum: « *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt* ».

Ut hanc duplicem status nostri obligationem alacriter impleant zelosi Religiosi, et ut ii, qui a spiritu Seraphico alieni vitam in otio traducunt, e mortifero somno excitentur, opportunum videtur, varia incitamenta proponere, quae ad sanctum animarum zelum stimulare nos debent. Quum autem primaria apostolici zeli motiva, amor scilicet Dei et proximi, et passio ac exemplum Jesu Christi, in multis libris pie et docte pertractentur, ea solum incitamenta adducam, quae statui nostro magis sunt propria. Haec porro sunt: Exemplum S. P. N. Francisci, apostolica missio Fratribus Minoribus divinitus concredita et a Seraphico Patre enixe commendata, attenta consideratio eorum, quae Majores nostri praestiterunt pro salute animarum et Ecclesiae utilitate, ac tandem grati animi et justitiae debitum, quo erga proximum et Ecclesiam adstringimur.

1. S. Bonaventura de charitate S. Francisci erga proximum et fervido ejus zelo loquens, haec inter alia refert: « Sic autem eum charitatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturae consortes et gratiae dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitis imagine et sanguine redemptis Auctoris germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil praeferendum esse dicebat, eo maxime probans, quod Unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere » (Vita S. Franc. cap. 9. n. 4). — « Pietas vera, quae secundum Apostolum ad omnia valet, adeo cor Francisci repleverat ac penetraverat viscera, ut totum videretur virum

Dei in suum dominium vindicasse. Haec est, quae ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum et per universalem conciliationem ad singula refigurabat ad innocentiae statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Jesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tamquam mater in Christo quotidie parturiret. Et haec penes ipsum causa praecipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto (Deut. 25, 5), Christo videlicet pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conversionem, et pia sollicitudine suscitent, et sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius, maxime si studio fuerit perfectae charitatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo quam verbo, magis lacrimosa prece quam loquaci sermone ».

« Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, et fervida aemulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus et quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum Fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis Fratres illos accumulans, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores » (S. Bonav. Vit. S. Franc. cap. 8. n. 1. 3).

Hisce tenerrimis verbis describit S. Bonaventura eximiam pietatem S. Francisci erga proximum, cujus salutares effectus et admirabiles fructus quis enarrare sufficiet? Hoc charitatis incendio flagrans, ab initio conversionis suae coepit vir Dei divino instinctu evangelicae perfectionis aemulator existere et ad poenitentiam ceteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania, nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena medullam cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes converterent. Vix tribus acceptis discipulis, oppida et castella Marchiae Anconitanae circuibat, et salutaribus

et simplicibus verbis omnes hortabatur ad Dei amorem et poenitentiam peccatorum. Septimo autem admisso discipulo, propositum suum de mittendo illos in quatuor Orbis partes aperuit, et cum uno sociorum versus unam partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. Postea vero, crescente numero discipulorum et fervore charitatis in dies augente, totam Italiam sancti zeli aemulatione complexus est. Ad omnes dein Europae nationes evangelicos suos discipulos misit. Ac tandem universum mundum fidei veritate illuminare et amoris igne accendere cupiens, ad omnes fere Orbis partes instituti sui operarios destinavit. Ipse vero, tamquam strenuus dux apostolicae hujus militiae, fratribus suis praeire voluit exemplo, non tantum in missionibus apud fideles, sed etiam apud infideles susceptis. Hinc sexto conversionis suae anno desiderio martyrii flagrans, ad praedicandam fidem christianam et poenitentiam Saracenis et aliis infidelibus ad partes Syriae transfretare voluit. A quo quidem itinere divina dispositione impeditus, et in Slavoniam ventis contrariis actus, nihilominus rursus Marochium versus iter arripuit, ut Miramolino magno Muhamedanorum regi et genti ejus Evangelium Christi praedicaret. A qua expeditione iterum divina providentia per infirmitatem, qua in Hispaniam perveniens detinebatur, repulsus, Italiam repetere cogitur; donec tandem, charitatis ardore et spiritus victricibus flammis urgentibus, tertia vice, velut Sanctissimae Trinitatis virtute et nomine, pro cujus fide sanguinem paratus erat effundere, provectus, tertio decimo suae conversionis anno ad partes Syriae perveniens, Soldani Babyloniae (alias Aegypti) praesentiam adiret, et intrepide illi ac populo suo Evangelii Christi fidem praedicaret. — Tantus erat viri Dei zelus et fervor, ut nullis infirmitatibus, nullis periculis, nullis difficultatibus ab hoc apostolico munere posset averti.

« Eadem mentis constantia », ait S. Bonaventura (Vit. S. Franc. cap. 12. n. 8), « magnis loquebatur et parvis eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis. Omnis

aetas omnisque sexus properabat virum novum mundo coelitus datum et cernere et audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat ardenter, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. In virtute namque nominis ejus veritatis praeco Franciscus ejiciebat daemonia, sanabat infirmos, et, quod majus est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad poenitentiam molliebat simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus ». — Postquam vero sacris redemptionis nostrae pignoribus decoratus gravissimis coepit languere doloribus, nihilominus ab incepta praedicationis via non destitit, sed, ut ait idem Seraphicus Doctor (ibid. c. 14 n. 1), « Christo igitur jam cruci confixus Franciscus tam carne quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates et castella circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret... Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget » (S. Bonav.).

Quid plura? Igne divini amoris et animarum zelo totus accensus Franciscus, cum omnium hominum sitiret salutem, nec tamen omnes praesentia sua posset adire, quatuor conscripsit litteras encyclicas, easque ad omnes homines totius mundi direxit, enixe eos deprecans, ut Deum ex toto corde diligerent, et in observantia mandatorum et status sui obligatione fideles existerent. Eodem charitatis incendio flagrans nunquam destitit pro conversione peccatorum lacrimosa prece Deum exorare, pro iisque obtinuit celebrem indulgentiam « *Portiunculae* » dictam, quum ei in hujus nominis aedicula Christus, cum Virgine Matre ac multitudine Angelorum, apparens, eum his verbis dignatus est alloqui: « *Plurimum, o Francisce, cum tuis sollicitus es pro animarum salute; itaque tibi*

conceditur postulare aliquid a me pro communi hominum consolatione et salute, ac mei Nominis honore, quia datus es in salutem gentium atque Ecclesiae meae reparationem ».

En, dilectissimi Fratres! exemplum charitatis et zeli, quod nobis imitandum proponitur. Franciscus enim Ordinem suum tamquam sacram militiam instituit, ut cum discipulis suis opus diaboli in tot iniquitatibus, quibus mundus abundat, destrueret, et ut ad Dei timorem et amorem revocaret, qui peccatis facti sunt longinqui. Ipse primus in aciem descendit, nulli unquam pepercit labori, nullis periculis cessit; sed propriam vitam jugiter pro animarum ponens salute, se pro ipsis usque ad ultimum vitae halitum impendit et superimpendit, ut filios suos exemplo suo doceret, quam strenue et quam solerter proximi salutem curare et promovere deberent. Quam probrosum esset nobis huic sacrae militiae nomen dedisse et S. Francisci habitum sumpsisse, si Seraphici Patris exemplum recusaremus imitari, ut proprio nostro commodo aut utilitati propriae unice intenti essemus!

2. Talis ignavia eo minus excusabilis foret, quod nobis quemadmodum sancto nostro Patriarchae apostolica praedicandi et in vinea Domini laborandi missio divinitus fuerit concredita, ut modo cum Marchantio nostro ostendemus, qui hanc rem sequentibus verbis exponit [1].

« Sane monitus coëlitus Innocentius III. visione hominis pauperculi Ecclesiam Lateranensem dorso sustinentis a Deo profectam hujus viri missionem agnovit: « *Hic est* (ait Pontifex viso paupere Francisco) *ille, qui opere et doctrina Christi sustentabit Ecclesiam* ». Unde, nec dubius de oraculo, nec incertus de coelesti nuntio, agnoscens divinam dispositionem, sententia apostolica « *approbavit* (ait S. Bonav., Vit. S. Franc. cap. 3. n. 10) *Regulam, dedit de poenitentia praedicanda mandatum et laicis Fratribus omnibus, qui servum*

---

[1] R. P. Petrus Marchantius, « Fundam. duodecim Ordinis Fratrum Minorum », Tit. I. Fundam. I. § VIII.

Dei fuerant comitati, fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere praedicarent ». Quid tam subito, tam efficaciter ad missionem simplicium et idiotarum pro poenitentia annuntianda Supremum Ecclesiae Antistitem movere potuisset, nisi illam divinitus confirmatam, sub Spiritus Sancti directione agnovisset? Certe Honorius III., Innocentii successor, anno tertio sui Pontificatus litteris ad universos Ecclesiae Archiepiscopos, Episcopos et Praelatos directis, approbatam divinitus a S. Romana Ecclesia hanc missionem denuntiat his verbis: « *Cum* (inquit) *dilecti filii Fr. Franciscus et socii ejus de vita et Religione Minorum Fratrum, abjectis vanitatibus hujus mundi, elegerint vitae viam a Romana Ecclesia approbatam, ac serendo semina verbi Dei, Apostolorum exemplo, circumeant nationes, mandamus, ut ipsos recipiatis sicut catholicos et fideles, eis ob reverentiam divinam et nostram exhibentes vos favorabiles et benignos* ». Notanda verba « *ob reverentiam divinam et nostram* », quibus aperte Pontifex illam missionem divinam declarat, ob cujus reverentiam utique istis missionariis exhibenda mandatur charitas Ecclesiae decreto. Gregorius IX., Honorii successor, ejusdem « *divinae missionis* » non ingratam commendationem facit in Bulla, quae incipit: « *Cum messis multa* », data Pontificatus anno septimo, in qua Fratribus Minoribus ad terras Virgianorum et Paganorum proficiscentibus sic loquitur: « *Cum messis multa, et operarii pauci, Evangelicus ille Paterfamilias adhuc mittit operarios in vineam suam, et eos in hac quasi hora undecima vineae suae novos deputat vinitores, quorum laborem pari cum primis denario compenset* ». Quae prosequens addit: « *Illis ad terras Virgianorum, Saracenorum et aliorum infidelium proficiscentibus animarum sollicitudinem commissam, illius operante clementia, qui de lapidibus potest filios Abrahae suscitare* ». Et tandem monet Fratres, ut ministerium suum, utique a Deo sibi commissum, diligenter implentes, se operarios inconfusibiles exhibeant. Idem Pontifex in Bulla, quae incipit: « *Cum qui recipit prophetam* », de Fratrum Minorum

vocatione esse affirmat: « *More Apostolorum serendo semina verbi Dei diversas circuire regiones* ». Alexander IV. in Bulla, quae incipit: « *Si novae* », Pontificatus anno primo, Ordinem S. Francisci vocat: « *Novam militiam militaris Ecclesiae* ». Idem in Bulla, quae incipit: « *Patris aeterni benignitas* », declarat: « *Fratres Minores et Praedicatores Patris aeterni benignitate pro sui Nominis attollenda gloria, et fidelium procuranda salute, inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas, in Ecclesia sua sancta constitutos* ». Unde ibidem infert: « *Hi sunt dilecti Deo et hominibus Fratres Ordinis Minorum et Praedicatorum, qui suum semper affectum ad amorem coelestium dirigentes, virtutem divini Nominis per Orbem terrarum publicant, et christianae Religionis ampliando cultum vigili attentione desudant. Hi sunt, qui vitam et merita beatissimi Pauli Apostoli contemplantes, gloriantur in sola cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis paradisi. Hi sunt, qui hostes animae per scutum fidei, loricam justitiae, gladium spiritus, salutis galeam, hastam perseverantiae debellantes, obtinere satagunt, ut catholicis universis fidei, spei et charitatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat et haereticae pravitatis insania evanescat etc.* ». Unde mandat Pontifex, ut omnia, quae sunt opportuna pro animarum salute, eis liberaliter ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis et Ecclesiarum Praelatis concedantur. Idem in Bulla, quae incipit: « *Non sine multa cordis amaritudine* », asserit: « *Duos illos Ordines Fratrum Minorum et Praedicatorum esse velut eminentia candelabra, et duo magna luminaria in Ecclesia Dei posita, ut sacrae doctrinae lumen diffundatur, et ubique per orbem Christi Evangelium ardenter et efficaciter praedicetur* ». Deficeret charta, si ea, quae in probationem hujus « *divinae missionis* » Fratrum Minorum a Summis Pontificibus sunt veraciter mundo publicata, referre deberemus ». Hucusque Marchantius.

Haec sufficiant, ut manifestum sit, Ordinem Seraphicum contraxisse obligationem subministrandi Ecclesiae concionatores

tam ad infideles quam ad fideles. In vim enim missionis divinae, S. Francisci Ordini concreditae, Fratribus liberum non est a praedicatione abstinere, quam Christus Regulae dictator eis commisit; ita ut si vere ex virtute suae missionis S. Paulus (Rom. 1) fateatur « *Graecis et Barbaris, sapientibus et insipientibus se debitorem* », non minus id ex vi status Frater Minor dicere possit. Cujus Ordini, mediante Superiorum obedientia, intemerata praedicandi missio a Christo (in Cap. IX. Regulae) ad omnes concredita est; ad Saracenos autem et alios infideles missio specialis, etiam Ministris Provincialibus in cap. ultimo demandata. Quam obligationem suis filiis intimare volens S. Franciscus in oratione quadam ad quaestionem: « *Cur Fratres Minores dati sint mundo* », hanc quartam causam ponit: « *Ut sint* (ait) *testes et sequaces verbo et opere tantae charitatis et affectionis Christi ad salutem omnium animarum; per mundum discurrendo, ac verbo et exemplo praedicando, atque animas ipsius Christi pretioso Sanguine redemptas ad ipsum verum Creatorem et Pastorem ac Redemptorem animarum ducendo* [1].

Haec sedulo perpendant, quotquot per orbem universum sub S. Francisci militant vexillo; non enim nos vocavit Deus, ut otio vacemus aut solius contemplationis quietem eligamus, sed ut pro modulo nostro proximum aedificemus, eumque ad amorem Dei et observantiam mandatorum ejus verbo et exemplo inducere studeamus. Ab hac obligatione neminem excludit Seraphicus Pater; et quidem omnibus et singulis praecepit, ut saltem exemplo, honestis verbis sanctisque colloquiis proximum aedificent. Hinc in prima quam conscripsit Regula, cap. 14, expressum dederat mandatum, ut « *omnes fratres operibus praedicent* », et cap. 21 ejusdem Regulae, quod inscribitur « *De laude et exhortatione, quam possunt facere omnes fratres* », modum tradens, quo sanctis colloquiis pro-

---

[1] Beati Patris Francisci Assisiatis opera omnia ». Coloniae, J. M. Heberle, 1849, p. 304.

ximum aedificare possint Religiosi; compendiosas proponit exhortationes, quas omnes fratres, quandocunque placuerit et inter quoscunque homines, instituere possint, dicens: « Et hanc talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocunque placuerit eis, annuntiare possunt, et inter quoscunque homines, cum benedictione Dei. Timete et honorate, laudate et benedicite. Gratias agite et adorate Dominum Deum Omnipotentem, in Trinitate et Unitate, Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum, Creatorem omnium etc. etc. ». — Haec eadem sunt, quae in capite 3. secundae Regulae compendiosius expressit S. Franciscus, ubi ait: « Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, *honeste loquentes omnibus sicut decet* ». Huc etiam spectat haec quae sequitur sententia S. N. Patriarchae: « Beatus ille Religiosus, qui non haurit jucunditatem et laetitiam nisi in sanctis eloquiis et operibus Domini, et per haec ipsa alios provocat ad amorem Dei cum gaudio et laetitia. Vae autem Religioso, qui delectatur verbis inanibus et otiosis, illis alios ad risum provocans ».

Fratres igitur omnes, tam Clerici quam Laici, memores instituti, quod profitentur et expressae voluntatis S. Francisci, virtutum omnium exempla praebeant mundo, splendentes in omni opere bono, tamquam luminaria posita super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; et boni, videntes sanctam eorum conversationem, glorificent Deum; mali vero, qui nos calumniantur tamquam malefactores, ex bonis operibus eos considerantes, et ipsi glorificent Deum, et quem misit Salvatorem Jesum Christum, vel saltem obmutescant, ac desinant blasphemare Nomen sanctum ejus. Haec est praedicatio, quam omnibus Fratribus injunxit Seraphicus Pater. Verum cum apostolicam vitam in Ordine suo renovare vellet, omnia, quae ad animarum salutem promovendam necessaria et opportuna sunt, discipulis suis injunxit, ut scilicet illi, qui

habiti fuerint idonei, per praedicationes formales, confessiones et alia pia opera saluti animarum incumbant. Officium enim praedicationis in cap. IX. Regulae imponitur, et cap. ultimo Missio ad infideles absolute concredita est. « Ex quo patet », ait S. Bonaventura (Expositio super Regulam FF. Minorum, cap. 9. n. 13), « quod Fratres ex sua professione habent praedicare ». Quod etiam Gregorius IX. praeter alios Pontifices superius relatos expressit in Bulla, quae incipit « *Quoniam abundavit iniquitas* », in qua per apostolica scripta mandat Archiepiscopis, ut « *dilectos Fratres Minores . . . ad Officium praedicandi, ad quod sunt ex Professione sui Ordinis deputati, benigne recipi procurent, ac populos sibi commissos, ut ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, admoneant, et in suis necessitatibus personaliter assistant* ». Addit: « *Nec impediant, quin illi, qui ad praedicationes eorum accesserint, possint eis confiteri* ».

Quum igitur Fratres Minores Patris aeterni benignitate pro sui Nominis attollenda gloria et fidelium procuranda salute in Ecclesia Dei constituti sint, quumque Seraphicus Pater Fratres omnes tam enixe hortatus sit, ut semper parati in obsequium Evangelii, imbres divini sermonis ubique effundant, eaque omnia exequantur, quae animarum saluti prodesse possint: sequitur, a spiritu S. Francisci longe alienos fore Religiosos illos, qui praedicationis exercitium negligerent et excipiendis confessionibus sese omni die et hora paratos non exhiberent. Hinc, quantum per nos licet, nulla dies festiva praetermittatur, quin verbum Dei in omnibus nostris ecclesiis praedicetur, aut familiaris solidaque quaedam instructio populo tradatur. Non enim doctas et exquisitas conciones a filiis suis exigit Seraphicus Pater; sed eos tantum monet, « *ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis* ». Quae verba Concilium Tridentinum sua faciens, praedicatoribus praecipit (Sess. 5, c. 2), ut « plebes pro sua et

eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat: ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam censequi valeant ». Hunc praedicandi modum a Regula nostra et Ecclesia praescriptum servemus, et, omni data occasione, populo studeamus exponere, explicare et inculcare, quae maxime scire et exercere debent, ut vitam consequantur aeternam. Et certe Apostoli ac eorum successores, qui gentilitatem totam doctrinis Christi funditus imbuerunt, non alta praedicarunt, sed catechistas egerunt, ut de se fatetur Apostolus Paulus (I. Cor. 2): « *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* ». Et de omnibus Apostolis testatur S. Gregorius (Mor. lib. 17. cap. 31. n. 36): « *Curaverunt summopere rudibus populis plana et captabilia, non summa atque ardua praedicare* ». Quos quia praedicatores modernos aliquibus in locis imitari pudet, ideo modicum vel nullum multiplicibus concionibus referunt fructum.

In hac igitur apostolica praedicatione assiduo zelo versentur sacerdotes Ordinis Seraphici, et pro instituto quod profitentur, et munere quod exercent, ita pie sancteque vivant, ut, quos erudiunt verbo, pascant exemplo; et in eis implebitur sequens benedictio S. P. N. Francisci: « Benedicti vos a Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis ostenditis, et vos in sancta Evangelii observatione puros et sinceros custoditis ».

§ 2.

Quamvis considerationes praecedentes abunde sufficiant, ut veri Fratres Minores ardenti charitate in proximum et sancto desiderio sustentandi Ecclesiam Christi accendantur,

ne tamen ullus stimulus desit, quo eorum zelus excitetur, breviter memorare seu potius indicare intendimus egregia facta, quae majores nostri exantlarunt pro animarum salute et Ecclesiae fulcimento. Horum sane memoriam recensere, non modo perquam jucundum et gloriosum, sed utile simul et proficuum erit, ut illorum provocemur exemplis et trophaeis. Licet enim omnium magnorum virorum rebus praeclare gestis et exemplis ad imitationem virtutum mire excitemur; fit tamen, ut efficacius et multo citius nostros moveant animos eorum egregii labores, qui nostrae religiosae familiae sodales exstiterunt.

Quisquis Ordinis Seraphici Annales vel leviter delibaverit, apprime novit, quam verum sit testimonium, quod de Instituto nostro suo tempore dedit Hieronymus Platus, ubi dixit: « Non modo aetas illa, qua primum hic Ordo prodiit, mirabiliter ejus opera adjuta et illuminata est, sed totis quadringentis annis, quibus deinceps stetit, hoc semper egit, ut Ecclesiam Dei quasi fulciret ». Quam laudem non immerito ad omnia Ordinis saecula ad nostra usque tempora extenderis.

1. Coarctatum hujus libri spatium non concedit ampliori de apostolicis discipulorum S. Francisci laboribus tractatui locum dare; meminisse hic sufficiat, Provinciarum catalogum in secundo Capitulo Generali Assisii (1219) celebrato jam Graeciae, Barbariae (seu totius Africae), et Syriae cum Aegypto et annexis Provinciis exhibere [1]; et anno 1220 quinque Ss. Confratres a S. P. Francisco fidei praecones in Marrochium missos tamquam Protomartyres Ordinem Seraphicum sanguine suo consecrasse, quos alii septem Confratres Missionarii glorioso martyrio secuti sunt Septae seu Ceuttae in Africa. — Profecto: ad filios quoque S. Francisci spectat verbum Psalmistae (18, 5): « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum »; quod testatur Ale-

---

[1] « Breviarium historicum Ordinis Minorum », auct. Fr. Petro van den Haute, Ord. Min. S. Franc. Recollect. Romae 1777. p. 166—167. Fr. Luc. Waddingi Annales Minorum. Tom. IV. p. 331 sqq., 369 sqq.

xander IV. in Bulla sua (a. 1258), qua Fratribus Minoribus in universas ferme infidelium terras se diffundentibus, fidem disseminaturis, multa et magna privilegia elargitur. Incipit vero haec Bulla sequentibus verbis: « *Dilectis Filiis Fratribus de Ordine Minorum* in terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, Majoris Hungariae, Christianorum captivatorum apud Turcas, aliarumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque partium proficiscentibus etc. [1] » — In Provinciarum catalogo tempore generalatus S. Bonaventurae in Capitulo Generali Narbonnae in Gallia (1260) exarato, non solum in omnibus Europae terris et regnis Seraphici Ordinis Provincias invenimus, sed novas etiam inter Asiae et barbaras gentes, e. gr. *Vicariatum Bosnae* cum 8 Custodiis, Bulgariae, Russiae etc.; *Vicariatum Orientis,* cum Custodiis Constantinopoli, Trapezunti, Sinope etc.; *Vicariatum Aquilonis* cum 2 Custodiis, Gazariae, Sarajae; *Vicariatum Tartariae* in Asia interiore; item ibidem *Vicariatum Arabelech* vel *Cathai* etc. etc. — Ecce, jam hoc tempore, 34 an. post obitum S. P. Francisci, Ordinem Seraphicum totam Europam, totam fere Asiam septentrionalemque Africam in Christo amplectentem errantesque ad unicum Christi ovile reducere conantem! — Anno 1291 Ven. P. Joannes a Monte Corvino cum nonnullis Fratribus per Persidem in Indiam Orientalem pervenit (anno 1321 Tanae in India Orientali quatuor Fratres Minores martyrio coronati sunt. Anno 1295 autem P. Joannes a Monte Corvino in regnum Mongolicum (hodiernam Chinam) penetravit, ac in ejusdem metropoli Cambalu (hodie Peking) non solum coetum Christianorum collegit, sed etiam,

---

[1] Fr. Luc. Wadding., Annales Minorum. Tom. II. ad an. 1258. p. 169.

a Clemente V. (1307) Legatus totius Orientis proclamatus et a subsequentibus Confratribus Episcopis Archiepiscopus Cambalucensis consecratus, plures Episcopatus et Vicariatus Seraphicos in Tartaria et China fundavit. Obiit 1330, missioque haec perduravit usque ad eversionem regni Tartarici. — Sed respiciamus ad Ordinis Nostri Seraphici saeculum tertium et quartum (Ecclesiae XV. et XVI.).

2. Quae Regularis Observantiae Sodales pro Ecclesiae subsidio et splendore animarumque salute saeculis memoratis praestiterunt, tam conspicua et stupenda sunt, ut nascentis Religionis Seraphicae heroes in multis superasse, et primorum Apostolorum spiritum, virtutem atque fortitudinem accepisse videantur. Graviora Sedis Apostolicae negotia etiam apud reges ac principes, tum fideles tum infideles exequenda, Observantibus ab initio continua serie commissa, mira felicitate peracta, qui legunt admirantur, B. B. Albertum a Sarthiano, Thomam de Scarlino, Jacobum de Marchia, Jacobum de Primaditiis Bononiensem, Bernardinum Feltrensem, Angelum de Clavasio, Ludovicum Bononiensem, aliosque quam plurimos citra et ultra montes ad regum componenda bella, ad tuendam Sedis Apostolicae dignitatem, ad reducendos in obsequium Christi et Ecclesiae Romanae Maronitas, Jacobitas, Nestorianos, Graecos, Armenos, ipsos etiam Aethiopes, ad exstirpandos Fraticellos, Manichaeos, Hussitas, ceterosque illorum temporum haereticos, ad propugnanda in oecumenicis Conciliis dogmata catholica [1], comperimus passim fuisse destinatos. Griffonis de

---

[1] Concilio Lugdunensi II. (an. 1274) ex Ordine S. Francisci adfuerunt duo Cardinales, *S. Bonaventura,* Card. Albanensis, et Guilielmus de Vicedominis, Card. Praenestinus, cum pluribus ejusdem Ordinis Episcopis. Ex mandato Gregorii X. S. Bonaventura praesedit privatis Congregationibus tamquam praeparatoriis ad sessiones publicas, jusseratque Summus Pontifex, ut Doctor Seraphicus praecipua Concilii negotia tractaret, eique assisterent Odo Rigaldus, Archiepiscopus Rothomagensis et Paulus Episcopus Tripolitanus ex Ordine Minorum assumpti. — In hoc Concilio totius Ecclesiae gaudio etiam conclusa est Unio Graecorum cum Ecclesia

Flandria, et Antonii Trojani post Griffonem, ea fuerunt pro augmento Ecclesiae Romanae apud Maronitas virtutis opera,

---

latina, quam Unionem multis laboribus cum Fratribus suis praeparavit *B. Joannes Parmensis* totius Ordinis S. Francisci Min. Generalis, quem Innocentius IV. sub titulo « *Angeli pacis* » scriptis ad Imperatorem et Patriarcham Constantinopolitanum epistolis insigniter commendavit, Graecique summa reverentia exceperunt. Nec mirum, cum, ut S. Antoninus et alii referunt, Graeci tanta in viro Dei sanctitatis et divinae sapientiae signa viderent, ut non jam putarent se hominem quempiam prudentem et eruditum videre, sed ex antiquis Patribus et Doctoribus unum, sive aliquem ex Christi discipulis. — Fr. Hieronymus Asculanus, qui paulo post Ordinis Seraph. Generalis, dein Cardinalis factus sub nomine Nicolai IV. ad Summum Pontificatum assumptus est, et Fr. Bonagratia Dalmata ad annum 1274 cum Graecorum Plenipotentiariis et viris primariis ad Concilium Lugdunum pervenerunt, ibique suorum ex annis laborum, sudoris ac sanguinis fructum in unione peracta viderunt (Fr. Luc. Wadding., « Annales Minorum ». T. II. ad an. 1274 p. 382—404. Fr. Bernard. van Loo, Exdefinit. General. Ord. S. Franc., « Conspectus praecipuarum Missionum Ord. S. Franc. » Lovanii 1863. p. 113—115).

Concilio Constantiensi (ab anno 1414—1418) cum Ministro Generali Fr. Antonio a Pireto adfuerunt 53 Ordinis S. Francisci celebres Theologi, ex quibus 15 Magistri et 33 graduati Theologiae Doctores, contra haeresim et pro Sede Apostolica strenue certantes (cf. P. Fortunati Huber, Chronica Franciscana. Monachii 1686. p. 183—207).

Concilio Ferrariensi-Florentino (1438—1439) intererant ex Franciscanis non pauci potentes opere et sermone viri; in primis Fr. Guilielmus de Casali, Minister Generalis, cui cum decem Patribus ad hoc electis doctrinales concursus ad unionem cum Graecis necessarios Pontifex demandaverat; Fr. Ludovicus de Pyramo, Episcopus Foroliviensis primarius Concilii orator, et inter sex latinos disputatores tertius deputatus, qui adpositionem verbi « *Filioque* » ad Symbolum tam prospere ac egregie contra Graecos defendebat, ut Concilii Patres eum singulari laude et gratiarum actione dignum judicarent, et mirarentur etiam ipsi Graeci, qui cum eo disputabant. Intererant praeterea: Fr. Gundisalvus a Villabona, Episcopus Granatensis; Fr. Elias de Bourdeille, Episcopus Petrigoricensis, aliique ex Ordine S. Francisci S. Theologiae insignes Doctores; ex Familia regularis Observantiae vitae sanctimonia et scientia illustres *S. Bernardinus Senensis, S. Joannes Capistranus, S. Jacobus de Marchia, Ven. Fr. Albertus de Sarthiano,* cum Graecis ex Oriente reversus, interpretis munere functus, utpote latina et graeca eloquentia clarus; Ven. Fr. Bartholomaeus de Fano, cum dicto Alberto in Oriente Eugenii IV.

ut Sixti IV. decreto sancitum fuerit, ut Nuntius et Commissarius Apostolicus in perpetuum ad Maronitas ex Observantium familia sit destinandus. S. Joannis Capistranensis in Italia contra haereticos, ultra montes ad varia Pontificum obsequia, in Germania, in Bohemia, in Hungaria, in Poloniâ, totoque illo Septentrionali districtu contra Manichaeos, contra Hussitas, ceterosque haereticos, ad praecipua regum et Imperatoris negotia, ad scribendos atque ducendos Cruce signatorum exercitus, denique ad Turcas jam victoriis insolentes, Europaeque universae ruinam minitantes, dissipandos, tales ac tantae fuerunt gloriae, ut ex his solis glorificari possit integra Religio.

Eugenius IV. Romanus Pontifex super humeros Capistranensis ejusque sociorum se requiescere familiariter dicebat. Idem ad Capitulum Generale Observantium scribens, sic mandavit: « *Segregate mihi viros in obsequium Sedis Apostolicae ab omni Ordinis officio liberos* ». Hoc idem post Eugenium Nicolaus V. et Calistus III. ad eorundem Observantium Capitula scribere solebant. Idque pauperculi Fratres, Sedi Apostolicae speciali voto obligati, summa laetitia et tota promptitudine exequebantur, apostolicos viros tum doctrina, tum

---

Legatus etc. . . . *S. Bernardinus Senensis* in hoc Concilio colloquiis privatis et publicis praedicationibus Graecos ad Unionem exhortabatur, hocque mirabile de illo fertur, quod, cum Graecum idioma non calleret, in fervore spiritus Deum deprecatus sit, ut qui Apostolis linguarum donum ad conversionem gentium distribuerat, Graecis saltem eorum, quae dicturus erat, intelligentiam praeberet: auditus est a Graecis Graece de catholica fide praedicans, tanta quidem energia, ut non solum tamquam nativus Graecus audiretur, sed et corda Graecorum mirabiliter penetraret. Sic Graeci in hoc Concilio ad Unionem redierunt (Epitome Annalium Ordinis Minorum, auct. Fr. Franc. Haroldi, O. S. F. Romae, Ang. Tinassi, 1662. Sect. II. p. 11. Fr. Luc. Wadding., « Annales Minorum », T. V. ad ann. 1438. p. 327).

Concilio Tridentino (1545—1563) adfuerunt Episcopi ac Theologi Franciscani quinquaginta sex (cf. Epitome Annalium, Annales Minorum sup. cit. Fr. Bern. van Loo, O. S. Fr., « Stimulus Seraphicae conversationis ». Lovanii 1862. p. 360).

prudentia, tum sanctitate valde conspicuos ad specialia Romani Pontificis mandata segregando. — Tantus fuit Fratrum Minorum in convertendis haereticis istis temporibus virtus, ut Thomas Episcopus Farensis, et in regno Bosnae Apostolicae Sedis Legatus, in epistola, quam ad B. Joannem Capistranum dedit Farae 19. Febr. 1451, eum invitans, ut Faram veniret et Fratres suos laborantes contra haereticos adjuvaret, sic scribat: « Hoc », inquit, « mirabile dico Paternitati vestrae et valde notandum, quod in locis occupatis per haereticos, statim ut Fratres adsunt, evanescunt haeretici sicut cera a facie ignis, et si tot essent Fratres boni, ut occuparent loca principalia regni, indubie non manerent, nec invenirentur haeretici ».

Non minoribus laudibus Observantium familiam extollit Aeneas Sylvius, Episcopus Senensis et Apostolicae Sedis apud Caesarem Legatus, qui postea Petri Cathedram ascendit sub nomine Pii II., in epistola sua ad Cardinales Curiae Romanae (10. Januar. 1455), in qua sequentibus verbis egregia facta Observantium commemorat: « Sicut pavidi et pusillanimes in proelio saeculari milites fortium virorum virtute salvantur, ita et in beati Petri navicula prudentes ac animosi nautae vecordes atque ignavos servant remiges. Facit hoc Religio beati Francisci, quae apud Observantes habetur; haec enim veluti lectissima militum manus undique Christianorum lustrat exercitum; nunc istam, nunc illam partem tuetur; arcet insidias, impetum frangit hostium; semper armata, semper in vigilia, semper in negotio est, nobis ut ostium pariat. Scimus, quantum sub Bernardino Senensi, jam supernae Jerusalem Curiae, haec Religio Ecclesiae catholicae profuerit, quantumque modo sub Fratre Joanne de Capistrano utilitatis attulerit. Et quid haec Religio aliud agit quam quae jubere novimus Evangelium? Sentes ac tribulos ex agro Dominico divellit, semen bonum seminat, zizaniam ac lolium sarculo veritatis praecidit; exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates strangulat, ambitiones et odia fugat, ignaviae ac so-

cordiae stimulum adigit; et aperiens in Ecclesia diebus singulis os suum, poenitentiam suadet, et viam Domini in veritate docet. Haec sunt opera Fratrum, qui de Observantia nuncupantur ».

Hoc illustre Aeneae Sylvii testimonium confirmant egregia portenta atque mirabiles fructus praedicatorum apostolicorum, quos Ecclesiae catholicae parturiit Regularis Observantia. Antonium Paduanum in exordio Ordinis Seraphici fuisse praedicatorum prodigium atque sanctitatis portentum, proclamat orbis universus. « Nec tamen in hyperbolas excederem », ait De Gubernatis, « si plures Antonios exstitisse Observantiae Regularis exordio dicerem: Bernardinum Senensem, Joannem de Capistrano, Jacobum de Marchia, Bernardinum de Feltre, Jacobum et Marcum Bononienses, Albertum de Sarthiano, aliosque plurimos, qui petentibus regibus, principibus urbibusque primariis per litteras Apostolicas deputati, hinc inde sine requie discurrentes, sanctificabant orbem, ditabant empyreum, exspoliabant avernum [1] ». Nolo specialia adducere ex apostolica vita S. Bernardini Senensis, S. Joannis a Capistrano, S. Jacobi de Marchia, qui posterior totalem Fraticellorum exstirpationem in Italia et illius vicinia procuravit, et in sola Hungaria 50 000 haereticorum conversionem. Morienti P. Cherubino Spoletano occurrerunt animae 66 000, per illius praedicationes aeternam salutem consecutae, prout ex revelatione in publico sermone affirmavit B. Bernardinus de Feltria [2]; P. Theodoricus a Monasterio in Westphalia, anno 1489, Bruxellis pestilentia grassante ac mortuis animarum pastoribus solus in urbe pastor relictus, per biennium, quo lues grassabatur, triginta duobus hominum millibus morientium sacramenta tam exacte administravit, ut coelesti revelatione cognoscere meruerit, duos tantum eorum aeterna morte peri-

---

[1] De Gubernatis, Historia Orbis Seraphici l. VI. cap. XIV.

[2] Fr. Luc. Wadding., Annales Minorum. T. VII. ad ann. 1484. n. 21. p. 168.

isse: alterum quod confiteri peccata noluerit, alterum quod in exitu vitae desperaverit [1].

3. Hi sunt selecti quidam fructus ex innumeris aliis, quos Ordo S. Francisci, spiritu vere Seraphico accensus, in Ecclesiae utilitatem et gloriam protulit saeculo XV. Nec minus Ecclesiae Dei profuerunt Fratres Minores de Observantia saeculo XVI., dum in *Gallia, Germania* et *Belgio* invaluerunt haereses Calvini et Lutheri, et dirum schisma *Insulas Britannicas* invasit [2]. Quanto zelo se illis erroribus opposuerint Franciscani, patet ex prodigioso numero illorum, qui cunctis rebus fuerunt spoliati, in exilium missi, ergastulis inclusi, crudeli morte affecti. Quod ad *Galliam* attinet, quanta feritate, quam inaudita superioribus saeculis immanitate Catholicos omnes, ipso rege non excepto, fuerint persecuti haeretici, cruentissima bella, feralia incendia, urbium et pagorum depopulationes et devastationes, regni totius vix non exterminium, ecclesiae dirutae aut a fundamentis eradicatae, Sanctorum reliquiae simul et imagines fimo pejus conculcatae, persecutio singularis in sanctissimum Crucis vexillum, profanata brutisque animalibus assignata sacra gynaecea. Sacerdotes Dei, Religiosi omnes et sacrae Virgines ad internecionem quaesitae, omnia denique sacra et profana impiissime conculcata lacrymabili nimium testimonio comprobarunt; quia vero majorem, ut timebant, in Religiosis viris regulam zelumque Dei profitentibus resistentiam inveniebant, impetu majori eos vel ad se trahere vel morti dare procurarunt.

Cum vero Franciscanos prae ceteris omnibus, odio et rabie omnino singulari, internecione delere pro viribus ubique

---

[1] P. Fortunati Huber O. S. Fr., Menologium, 2. Febr. n. 9. p. 495.

[2] Secundo saeculi XVI. dimidio Societas Jesu etiam in Germania propagari coepit et fundabantur ejusdem Societatis Collegia: Coloniae (anno 1556), Monachii (1559), Treviris (1561), Moguntiae (1562), August. Vindelic. et Dillingae (1563), Paderbornae (1585), Monasterii et Salisburgi (1588), Antwerpiae, Pragae, Posnaniae (1571) etc. Dr. Alzog, Universalgeschichte der christl. Kirche. Sechste Aufl. Mainz 1855. S. 841.

molirentur, Franciscanos fuisse Catholicorum singulare patrocinium atque praecipuum contra haereticam perfidiam propugnaculum non dubitamus. — Omitto viros maximo numero et ingenio praestantes ex singulis Seraphicae Religionis familiis, qui doctissimis et solidissimis editis lucubrationibus catholicam veritatem defendere, novatorum errores convellere, Catholicos in sancto proposito confirmare, seductos ad ovile Christi reducere, non sine commendatissimo fructu studuerunt, quorum longissimam seriem edidit Waddingus in Indice Scriptorum Ordinis Minorum. Eos autem, qui haereticali rabie morteque sua contempta, cum proprii sanguinis effusione contra novatores sese pro domo Dei murum opposuerunt, *ultra ducentos in Syllabo Martyrum nostri Ordinis in sola Gallia* Waddingus ipse dinumerat, qui omnes paucis exceptis, fuerunt de Observantia Regulari.

Hanc mirabilem constantiam atque in tuenda et defendenda fide catholica indefessum zelum fovebat in eis non solum gloria Dei atque animarum salus, verum etiam Regulae quam professi erant perfecta observantia. Ordinem sub fidei catholicae Romanae vexillo S. Franciscum instituisse, Regula ipsa (cap. 2) in receptione Novitiorum manifeste declarat, dum primam conditionem ingredientis ad Ordinem ponit, ut Ministri candidatos « *examinent de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis* ». Nec illos admittant, nisi « *haec* (inquit) *omnia credant et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare* », etiam, ut explicat S. Bonaventura, « *usque ad martyrii testimonium et sanguinis effusionem* ». Hinc fidei catholicae propugnandae haeresibusque exstirpandis omni tempore adlaborarunt filii S. Francisci, ii praesertim qui, vero spiritu Seraphico repleti, in sancta paupertate rerumque omnium mundanarum contemptu perfecti Regulae suae observatores exstiterunt.

Tales autem erant tunc temporis Observantes non modo in Gallia, sed in *Bosnia, Albania* et *Dalmatia*, in *Austria, Hungaria* et *Polonia*, in *Thuringia*, in *utraque Saxonia,*

in *Dania, Suecia* et adjacentibus regionibus, in tota denique *Germania inferiori* et superiori, in quibus regnis innumeri erant Observantium conventus. Quid iis in locis pro fidei catholicae conservatione et restitutione gloriose peregerint, qualia toleraverint, quomodo ad mortem usque pro Ecclesia Romana profuso sanguine decertaverint, quomodo doctis voluminibus ad puritatis catholicae fidei defensionem contra impias heterodoxorum novitates sancte laboraverint, testatur horum regnorum historia; ut merito dici possit, conservationem fidei maxima ex parte filiis sancti Francisci grato animo tribuendam esse [1].

Simile testimonium dandum esse non dubitamus de *Insulis Britannicis*, de *Belgio* et *Hollandia*, de variis Germaniae partibus, ubi quinimo Franciscani non modo tempore saevientis persecutionis generose pro fide ad sanguinem usque decertarunt, verum etiam post Conventuum suppressionem continuas et fructuosas missiones non sine vitae periculo illis in partibus conservarunt. Ita *Hibernica Provincia*, etsi destructi essent Conventus, nunquam tamen hanc Insulam reliquit, sed admiratione praegrandi Catholicos in sancta perseverantia confortavit, lapsos ad salubrem poenitentiam erexit, et contra novatorum errores, contempto mortis periculo, tum voce, tum atramento, tum sanguine gloriose decertavit. *Anglicana* non dissimiliter omnium stupore inter gravissimos persecutionum rigores nunquam a particularibus missionibus desistens, etsi extincta, semper tamen aliquos habuit, qui ad spiritualem fidelium occultorum consolationem, imo et necessitatem, mortis horrorem semper prae oculis habentes, re-

---

[1] Hoc historicum argumentum inter alios tractavit Petrus Marchantius in libro, quem suo tacito nomine inscripsit: « *Lucerna fidei per Fratres Minores Regularis et Strictioris Observantiae in Palatinatu et nonnullis Provinciis Germaniae accensa* », in quo ampla et authentica testimonia exhibet Principum, Archisatrapiarum, oppidorum etc., quibus conversiones totius populi ab haeresi data fide adscribuntur Fratribus Minoribus, et conversiones plurium ministrorum describuntur.

gnum percurrere non cessarunt. — Nec minus periculosae ac simul fidei et Ecclesiae honorificae et utiles fuerunt missiones, quas Fratres nostri in *Hollandia* exercuerunt. Dum septem provinciae seu status foederati a fide Romano-catholica et Hispaniarum rege defecissent, Regulares omnes sunt in exilium vel in carcerem missi, atque verus Dei cultus penitus fuit interdictus. Sola Provincia Fratrum Minorum de Observantia, dicta Germaniae Inferioris, in illis partibus amisit 19 Conventus; ac permultos tunc Fratres perdidit, occisos in odium fidei et Ecclesiae Romanae, dum illi nolebant oves relinquere absque pastore et pabulo, et omnes conabantur in avita fide retinere. — Memento hic 19 SS. Martyrum Confratrum Gorcomiensium (1572), et aliorum Confratrum, qui hoc tempore in Hollandia a perfidis Geuseis in odium fidei catholicae occisi sunt. — Sed, licet vitae periculum in istis regionibus esset continuum et apertum, Fratres Minores nunquam tamen destiterunt illuc ire ac ibi morari, soli animarum saluti intenti [1].

Longius protraheretur sermo, si omnia Europae regna percurrendo omnia Observantium apostolica opera et egregia

---

[3] Quantus fuerit hujus Provinciae zelus in promovenda animarum salute, pulchre describit *P. Henricus Sedulius,* hujus Provinciae Germaniae inferioris alumnus, in libro suo: « *Commentaria ad vitam S. Francisci ad cap. IV* ». — Iste Venerabilis ac doctus Confrater *Henricus Sedulius* (cujus memoria in benedictione est) « tunc temporis ex Provincia inferioris Germaniae propter infestissimos illos tumultus bellicos illic exortos exul, vi Brevis Apostolici et a Reverendissimo Ministro Generali P. Francisco Gonzaga delegatus, ad voluntatem Serenissimi pariter ac pientissimi Ferdinandi, Imperatoris Ferdinandi I. filii, Archiducis Austriae ac Tirolis Comitis, Conventus Oenipontanum, Friburgensem, Bulsanensem et Sebatensem; item monasteria Clarissarum Brixinae et Friburgi ac Conventum Fratrum Tertiariorum Bernstein, anno 1580 in unam Provinciam de Regulari Observantia redegit erexitque, et a Summo Pontifice Gregorio XIII. primus Min. Provincialis neoerectae Provinciae Tirol. D. Leopoldi 1580 est denominatus ». Obiit Antverpiae 26. Febr. 1621 (Cf. P. Fr. Franc. Gonzaga, Min. Generalis, « De origine Seraphicae Religionis etc. » Venetiis 1603. Pars II. p. 610 sqq.).

facta recensere vellem. Infinitus autem essem, si de gloriosis et sanctis eorum per orbem universum laboribus et missionibus narrationem aggrederer. Hanc provinciam aliis relinquentes, hoc unice advertimus cum Waddingo ad annum 1524, scilicet: de Observantiae, tum Regularis, tum Strictioris indifferenter altissimis gloriis magna concordia proclamantes audire possumus Occidentales Indias et Orientales; ad quas utrasque ex Observantia Franciscanos, singularissima gloria omnium primi catholicae fidei lucem ut inveherent, fuisse prae ceteris electos legimus in omnibus historiis; pondus diei portarunt et aestus, efferatas gentes primi emollierunt, et praedicationis januas ceteris aperire meruerunt[1].

4. Si jam oculos convertamus ad ea, quae Fratres nostri praestiterunt apud populos fideles, tot testimonia apostolici eorum zeli occurrunt, quot inveniuntur coenobia pro ipsis exstructa. Quid enim populos adduxit, ut tot Conventus aedifi-

---

[1] Usque ad initium saec. XVII. in America septentrionali et meridionali jam decem Provinciae Seraphicae erant erectae, ex quibus primae: Provincia S. Crucis in Hispaniola (1505); Provincia S. Evangelii de Mexico (1534), Prov. duodecim Apostolorum de Lima (1553), Prov. S. Jos. de Yucatan (1559); sequuntur dein Provinciae: de Mechoacan, de Guatemala, in Nova Granada, de Quito, de Chile, S. Antonii Charcarum, de Nicaraguas; his ab anno 1603-1675 accesserunt Prov. Zacatecas, Prov. Discalc. de Mexico, Prov. Xalisco, in Florida, Assumptionis de Paraguay, duae Provinciae Discalc., Immaculatae conceptionis et S. Antonii in Brasilia. — Accrevit Ordo Seraphicus in America et in India orientali ad 22 Provincias cum 500 Conventibus multisque collegiis et scholis ad erudiendam Indianorum juventutem. Saltem mentio hic fiat de Fratribus ex Ordine S. Francisci in conversione Americae, Indiae Orientalis etc. praeclaris, e. g. B. Martini a Valentia, Mexici apostoli († 1534), Ven. Fr. Joannis Albuquertii, per 25 annos Episcopi Goani († 1556), ad quem venit S. Franciscus Xaverius; S. Francisci Solani, apostoli Americae meridionalis († 1610) etc. (Cf. P. Fr. Arthuri a Monasterio « Martyrologium Franciscanum », ed. 2. Parisiis 1653. p. 418—426. P. Fr. Petr. van den Haute, « Breviarium historicum Ordinis Minorum » p. 170. « Monumentum Gloriae Seraphicae », auct. P. Franc. Caccia, O. S. Fr., Viennae 1692. p. 22—27).

carent, nisi quia compertum habebant, Fratres Minores spirituali proximi bono sedulo incumbere et plurimum conferre, eosque indefesso fervore ubique verbum Dei seminare, zizania evellere, atque ad singulos pastorum nutus animarum salutem studiosissime procurare? Pervolve omnium Provinciarum Chronica, nec aliam invenies rationem, ob quam tot exstructa sunt coenobia, nisi quia Religiosi, primaevo Ordinis fervore in eis perdurante aut feliciter restituto, non minus animarum saluti quam propriae suae sanctificationi vacarent.

Nec alia desunt monumenta, quae id luculenter testantur. Leviter enim consideremus, quid pro exstirpandis vitiis et devotione fidelium adaugenda praestiterint, quibus misericordiae operibus dediti fuerint, et qualiter Ecclesiae necessitatibus et splendori omni tempore providerint, et ubique se prodet eorum indefessus zelus et eximia in proximum charitas.

Si de vitiis populorum agatur, quibus exstirpandis in Ecclesia Dei specialem manum adhibuit Ordo Fratrum Minorum, illud imprimis memoratu dignum est, in Instituto Seraphico omnibus saeculis varios exstitisse viros illustres, qui apostolico zelo repleti, verbum Dei praedicantes, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, pro conversione peccatorum mirabilia operati sunt, et integra regna ad meliorem frugem reduxerunt, uti Ordinis nostri annales luculenter testantur et patet ex vitis Sanctorum, e. gr. S. Antonii Paduani, Fr. Bartholomaei Bohemi, Fr. Bertholdi Ratisbonensis, Fr. Antonii a Neapoli, S. Bernardini Senensis, S. Joannis Capistrani, S. Jacobi a Marchia, Jacobi de Primaditiis, B. Marci Bononiensis, B. Bernardini de Feltria, B. Cherubini a Spoleto, Theodorici a Monasterio, Fr. Bartholomaei a Middelburgo, S. Leonardi a Portu Mauritio, ut sexcentos alios silentio praetereamus, quorum sermones divina pleni erant foecunditate, quibus lapidea quaevis corda colliquescerent et emollirentur, ad agendam cum acerba animi contritione veram poenitentiam, pii vero omnes divino amore inflammarentur.

Etsi stupendi illi poenitentiae fructus non ubique colligerentur, in eo tamen omnes veri Fratres Minores studia sua et sollicitudinem semper posuerunt, ut peccatoribus conversionis remedia praeberent et exstirpandis vitiis omni industria adlaborarent. Hoc probant tot Apostolicae litterae, in quibus Fratrum Minorum zelus summopere laudatur et propter eorundem opera spirituales gratiae fuerunt concessae. Idem testantur omnium Provinciarum Chronica, quae Religiosorum gloriosa gesta et fructus commemorant. — Hoc etiam de Provincia S. Leopoldi testatur R. P. Vigilius Greiderer in praestantissimo opere suo « *Germania Franciscana* » (2 Tomi in fol. Oeniponte, Trattnern, 1777), ubi (Tom. II. cap. VII. et VIII. a pag. 162—236) agit « De dignitate Provinciae Tirolensis S. Leopoldi FF. Minorum Reformatorum ex virtute manante », et « De dignitate ejusdem ex titulis a virtute distinctis » : et sat multa invenies, quae de aliis Provinciis supradicta tibi confirment, et ad sequenda majorum nostrorum vestigia te excitabunt.

Uno verbo, majores nostri, memores vocationis suae et expressae voluntatis S. Francisci, omnem semper operam adhibuerunt, ut animas Christi Sanguine redemptas converterent, quibus mundus abundat. Nec minus solliciti fuerunt, ut pii omnes divino amore inflammarentur et devotionis fervor ubique accresceret. Hoc testantur innumera pietatis exercitia, quae Fratrum nostrorum opera introducta aut promota fuerunt; quaedam saltem nomine attingam. Ecce, Ordini Minorum testante historia ecclesiastica, concredita fuit a Deo speciali privilegio renovatio Dominicae Passionis in Ecclesia militante, ut ait Alexander IV. (in Bulla, quae incipit: « *Benigna opera* »), de hoc privilegio S. N. Patriarchae loquens: « *Quia videbatur extincta memoria Passionis Christi in mentibus hominum prae tepiditate eorum, voluit Dominus excitare et incalescere hanc recordationem per manifestam cicatricum impressionem in corpore B. Francisci* ». — Nec minor est fructus, qui ex Ordine Minorum in San-

ctissimae Eucharistiae Sacramenti et Sacrificii cultu in Ecclesiam derivavit. Verba S. P. N. Francisci in Testamento ipsius filios semper inflammarunt ad devotionem erga SS. Sacramentum propagandam; hinc illa Confraternitas « Trium Devotionum B. Virginis », quae testante Leone X., tanta praestitit pro cultu SS. Sacramenti; hinc ille zelus, quo B. Cherubinus a Spoleto erat incensus et per totam vitam suam apostolicam adlaboravit societates instituens, ut quoties SS. Sacramentum efferendum esset, hoc solemnissimo modo fieret et prima Dominica cujuslibet mensis solemne Sacrum de Augustissimo Eucharistiae Sacramento cantaretur et processio per templum institueretur. Etiam preces quadraginta horarum dictae, quae in multis locis introductae fuerunt, primum institutae leguntur a P. Josepho a Fermo Minorita in Ecclesia Cathedrali Mediolanensi. Ex Ordine Seraphico per S. Leonardum a Portu Mauritio prima Confraternitas perpetuae Adorationis SS. Sacramenti originem traxit et saeculo elapso ex tertio Ordine S. Francisci novus Ordo perpetuae Adorationis Romae prodiit. — Si vero de devotione erga SS. Nomen Jesu agatur, toti orbi notum est, exaltationem adorandi Nominis Jesu Ordini S. Francisci et praecipue S. Bernardino Senensi et S. Joanni a Capistrano singulariter fuisse reservatam. — Nec minus contulerunt Fratres Minores, ut honorem Deiparae Matris promoverent et exaltarent. *B. V. Mariam Immaculatam* [1] tamquam Ordinis sui Patronam principalissimam sibi elegit S. Franciscus; in B. Virginis ecclesia S. Mariae de Angelis apud Assisium Ordinis sui fundamenta

---

[1] Ven. Joannes Duns Scotus primus B. V. Mariae Immaculatam Conceptionem defendit. — Sed II. Capitulum Generale Assisii 1219, sub Generali S. P. Francisco, praesente Cardinali Protectore Hugolino, pro primo hujus Capituli statuto jam publicaverat, *« ut quolibet Sabbato solemniter sacra fierent in Immaculatae Virginis Mariae honorem »* (Vid. Statuta omnium Capitulorum Generalium in opere « Chronologia historico-legalis Seraphici Ordinis Fratrum Minorum ». Neap., Typ. Camilli Cavalli, 1650. Tom. I. pag. 11).

jecerat: « quo loco », ut ait Seraphicus Doctor (Legenda S. Francisci cap. 2. n. 8), «*humiliter coepit, virtuose profecit, feliciter consummavit; et illum locum in morte Fratribus tamquam Virgini charissimum commendavit* ». Inde Ordo ille, tamquam singularis Virginis foetus, ipsi maxima semper devotione conglutinatus est; illumque divina Providentia selectum fuisse, ut Deiparae Matris honorem promoveret et exaltaret, ejusdem heroicae doctrinae et actiones christianae pietatis in honorem *Immaculatae Conceptionis* Beatissimae Virginis Mariae per sex saecula satis ostendunt. — Sed dum his omnibus pietatis exercitiis fidelium devotionem fovebant et augebant Fratres Minores, simul etiam solliciti erant, ut selectas quasdam animas in via perfectionis conducerent et ad arctam crucis sequelam invitarent. Hunc in finem Tertium Ordinem S. Francisci ubique propagabant, et huic sese adscriberent, « qui, ut loquitur Gregorius IX., novissima sua provide memorantes, derelictis saeculi vanitatibus, poenitentiam in corde contrito et humiliato spiritu agere in domibus propriis vel alibi statuunt ». Quantum autem hoc Institutum sanctitati fidelium contulerit, his verbis declarat Clemens VII. in Bulla « *Ad uberes* »*:* « Hic sacer Ordo de poenitentia, quem Seraphicus ille hominum vere piscator, ut animas omnes lucrifaceret Creatori, nemoque se absconderet a charitatis calore, Spiritu Sancto illuminatus B. Franciscus instituit, uberes fructus in horreum Domini hactenus adduxit, et in dies fertiliori manu afferre non cessat ». Tot Sanctos et Sanctas in gloria Sanctorum protulit, ut praeter canonizatos vix ulla dies sit in anno, in qua non reperiantur plures ex isto Ordine vita et miraculis clari. — Haec inter alia sunt, quae majores nostri praestiterunt ad exstirpanda vitia et fidelium devotionem augendam.

Verum cum charitas ad omnes proximi necessitates se extendat, hinc semper Ordo fuit sollicitus, ut corporalibus etiam operibus misericordiae eum juvaret ad exemplum S. P. N. Francisci, cujus pietatem describens S.

Bonaventura (Vit. S. Francisci, cap. VIII. n. 5) ait: « Afflictis quoque qualicunque corporali molestia mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriae, si quid defectus in aliquo cerneret, pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes et infirmos, et quibus non poterat manum, exhibebat affectum ». Et hanc quidem haereditatem reliquit Fratribus suis, *charitatem* scilicet *ad pauperes, infirmos et afflictos,* sive quacunque tribulatione affectos; unde et prima Regula, cap. 8, permittebat, ut in manifesta leprosorum necessitate Fratres possent pro eis quaerere eleemosynam. Et cap. 9: « *Debent* », ait, « *Fratres gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos* ». Inde ista charitatis opera ab initio Ordinis Fratres Minores singulariter praestiterunt, ut infirmos visitarent, afflictos consolarentur, incarceratis et ad mortem damnatis assisterent, imo et peste infectis, contempto infectionis periculo, magno affectu inservirent. Ut ex hujusmodi charitatis operibus innumeris unum alterumve recenseam, memorare juvat illud, quod in omnium admiratione exstat exemplum B. Mem. P. Theodorici a Monasterio, jam supra a nobis relatum, dum in lue pestifera, quae Bruxellanam civitatem invaserat, solus, cum pastores ipsi mortui essent, triginta duobus hominum millibus Sacramenta tum Poenitentiae, tum Eucharistiae, tum Extremae Unctionis ministravit. Ibidem ex conventu Gandensi, anno 1625, quatuor magnae pietatis sacerdotes, qui nimio fervore non tantum Sacramenta infirmis ministrabant, sed et agonizantibus assistebant, eadem lue correpti, coelo animas suas consecrarunt. Hoc namque privilegium peste infectis inservientium a Deo confirmatum videtur, ut morientes recta ad coelum comitantibus Angelis deducantur, ut ex Eusebii Hist. Eccles. (lib. 7, c. 16 et 17), et ex Martyrologio Romano, ad 28. Februarii, de illis presbyteris et clericis, qui tempore Imperatoris Valeriani pestiferis inserviebant, constat.

Simili modo in Annalibus nostris, ad annum 1445, n. 12, viginti Fratres Minores in Insubria prope Mediolanum, dum peste infectis ministrant et opitulantur, eadem lue mortui, visi sunt a B. Ladislao ab Hungaria et B. Francisco Papiensi in coelum ascendere sertis et coronis gloriae redimiti. Hoc pacto suprema illa charitas, qua animas pro fratribus ponunt, gloriae mercede compensatur.

Habes igitur, Fratrer charissime, qua benefica pietate, quanto compassionis affectu et quibus charitatis et misericordiae operibus Ordo Fratrum Minorum fidelibus christianis semper adfuerit; quae omnia hic saltem indicare volui, ut pateat, quo spiritu animari debeat verus filius S. Francisci, et ut majorum suorum motus exemplis, ad eadem charitatis opera praestanda et proximi bonum omni sollicitudine curandum, toto se animi vigore accingat. — Haec sunt, dilectissimi Fratres, quae majores nostri praestiterunt pro salute animarum et Ecclesiae fulcimento. De Ordine igitur Seraphico vere dicere potuit Innocentius III. in persona S. Francisci: « *Hic est qui opere et doctrina Christi sustentabit Ecclesiam* ». Hoc clamant omnia, quae Fratres Minores pro conversione infidelium, schismaticorum et peccatorum per sex saecula operati sunt; hoc clamant innumerae devotiones, quae eorum opera in Ecclesia introductae aut promotae fuerunt; hoc ostendunt tot Sancti et Beati ex eorum gremio in coelesti curia assumpti, tot insignes Scriptores, qui litterarum studia excoluerunt et eruditis, doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrarunt; hoc denique orbi universo manifestum reddunt tot difficiles labores, tot illustria officia in obsequium Ecclesiae ab ipsis exercita et felici successu completa. — Multa gloriosa ex istis his pagellis tibi obiter saltem indicavi, et — Deus scit — hoc factum non ex jactantia aut vanae gloriae cupiditate, quasi S. Ordinem nostrum Seraphicum et praeclara a Nostris opera in Ecclesia peracta super opera aliorum extolleremus; etenim ad nos Fratres Minores prae omnibus spectat illud Salvatoris monitum,

ut « novissimum locum » nos eligamus (Luc. 14); ad nos spectat illud Apostoli verbum: « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (Gal. 6, 14); ad nos illud S. P. N. Francisci (S. Bonavent. Vit. S. Franc, cap. VI. n. 3): « In hoc gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes, ipsi quidquid donat, adscribimus », — *sed:*

Haec egregia opera, hos exantlatos labores in omni humilitate et cum gratiarum actione erga Optimum Deum mente volvere debemus, ut eorum attenta consideratione ardenti accendamur desiderio majorum nostrorum sequendi exempla, et Ecclesiae utilitatem et splendorem animarumque salutem toto animi vigore promovendi. Sancta repleamur verecundia, dum eorum zelum et uberrimos fructus cum actionibus nostris comparamus, at simul in spem et fiduciam erigamur, perpendentes, Patres nostros iisdem quibus nos abundamus opibus magna quaeque et humanis viribus impervia executioni mandasse. Quid enim eos ad tam praeclara peragenda opera aptos effecit, *nisi stricta S. Regulae observantia, mundi contemptus, rerum divinarum assiduum studium et zelus gloriae Dei et salutis animarum?* — Sanctam eorum imitemur conversationem, studiis indesinenter vacemus, et, prout Ordinis nostri finis requirit, ad omne opus bonum simus parati cum sancta indifferentia ad ea omnia peragenda eaque adeunda loca, quae nobis a Superioribus assignari contigerit: ut hac ratione, unitis viribus unoque spiritu, communi Religionis nostrae bono, animarum saluti et Ecclesiae profectui efficaciter consulamus.

Haec a nobis expostulant exemplum S. P. N. Francisci, missio apostolica nobis divinitus concredita, majorum nostrorum indefessi labores et gloriosa portenta; id tandem a nobis exigit justitiae et grati animi debitum, quo erga Ecclesiam et proximum adstringimur. Dignum quippe est, ut qui tot spirituales favores, tantam protectionem et tam maternam

sollicitudinem a Sponsa Christi accipimus, obsequium ei nostrum pro viribus rependamus, atque ejusdem defensioni et filiorum suorum saluti omni nos cordis alacritate addicamus. Haec servitutis nostrae obsequia eo libentius eoque majori constantia fidelibus praestare debemus, quod ipsi nos alant omnibusque corporis necessitatibus provideant; aequum proinde et justum est, ut spirituales consolationes, verbum vitae aeternae et omnia salutis subsidia eis semper exhibere simus parati, ne sanguinem animarum otiose comedere convincamur, sed ut tamquam fideles operarii cibo nostro digni habeamur, et in nobis glorietur Ecclesia, quod per nostram sanctam conversationem et indefessum nostrum zelum saluberrime fructificet ad conversionem, profectum ac beatitudinem plurimorum.

CAPUT III.

Regulae vitae apostolicae observandae speciales.

Primum ergo pro Fratris Minoris vita apostolica caput et regula principalissima esse debet: filialis amor, summa obedientia et reverentia ac omnimoda subjectio erga S. Matrem Romanam Ecclesiam; pro secundo: filius S. Francisci ex intimo corde sit commotus atque persuasus de obligatione Fratris Minoris, animarum salutem promovendi et Ecclesiam Christi pro viribus sustentandi. Haec in duobus capitibus antecedentibus generaliter proposita sunt, tamquam fundamenta vitae apostolicae Fratris Minoris. — Quaeritur jam, quaenam sint regulae speciales pro variis officiis, negotiis, conditionibus etc. vitae apostolicae Fratris Minoris observandae? — Hujusmodi regulas modo tibi proponam, non quidem arbitrio meo compositas, sed illas, quas jam majores nostri Patribus junioribus, qui absolutis studiis theologicis Clericatus magisterio valedicentes curam animarum suscipiebant, tamquam libellum memorialem tradere consueverunt. Sunt sequentes:

De servitio divino quotidiano.

« Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire » (S. Regula, cap. V.). — Hinc novissimae Constitutiones Generales: « Divinis officiis mentalis oratio jungi debet, qua ad virtutum incitamenta nihil opportunius, nihil ad retinendam, vel etiam restaurandam regularis vitae disciplinam magis necessarium credimus. Nec sane religioso nomine vere dignus est, qui sanctae orationis studio non fervet » (C. G. n. 160).

Regula 1.

Omnes et singulae orationes, quae Dei servitium spectant, fiant studiose et devote; absit incuria, absit torpor, ubi Majestati summae deservitur.

2.

Inter curas et negotia locum primum habeat cura divinorum. Orationis enim et devotionis spiritui, ut habet S. Regula (cap. V), « *cetera temporalia debent deservire* ».

3.

Studium sacrae meditationis prae omnibus tibi cordi sit. Diem illum, quo meditatus non es, inter dies steriles et perditos numera. Piscis es, et meditatio quotidiana sit tibi aqua, secus actum de vita tua.

4.

Diebus singulis saltem particulam temporis lectioni spirituali impende. Lectio spiritualis non ultimum inter alimenta spiritualia; corpori tuo nullo non die cibum potumve praebes, et cur anima famem aut sitim patiatur?

5.

Non attende, quid fecerint alii, quid alii faciant, libertatem et laxitatem spirantes: sed quid, ut facias, Deus exigat, quidque alii Deum amantes faciant; tua te conscientia, tua te opera aut condemnabunt, aut salvabunt.

In servitio altaris et ministerio.

« Sacrae functiones et divinum officium peragantur omnino ad praescriptum nostri Missalis, Breviarii, Ceremonialis ac Ritualis: neque pietatis etiam intuitu novum aliquid introduci permittatur » (Constit. Genles n. 129); juxta illud S. Regulae: « Clerici faciant divinum officium secundum ordinem sanctae Romanae Ecclesiae » (cap. III.).

6.

Aestimatio de dignitate et charactere sacerdotali in limine religioso imbibenda animo. Reverentia, honor cuilibet sacerdoti exhibendus: sit dyscolus, sit impius sacerdos, character est divinus.

7.

Ora et obsecra Deum, ut te, quem prae millibus elegit, dignum efficiat mysteriorum suorum dispensatorem et ministrum. Horrendum illud: « *O pastor! o idolum* »! (Zach. 11, 17).

8.

Servitia altaris, quaecunque demum, rite, accuratissime juxta Rubricas, reverenter et devote obeunda: Angelorum servitia sunt.

9.

Promovendus ad Ordines sacros cogita, te gradum conscendere ad potestatis divinae solium, te atrium Sanctuarii

intrare. Praemitte studium Litterarum, Rituum et Ceremoniarum, excole mentem fervore et pietate. Audies alias: « *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* »*?* (Matth. 22, 12).

10.

Intentio suscipiendi sacros ordines alia non sit, quam purissima, implendi nimirum Dei voluntatem ejusque placitum, promovendi honorem Dei. Ita eris « *vocatus a Deo, tamquam Aaron* » (Hebr. 5, 4).

11.

Factus sacerdos cogitationes tanto charactere dignas fove! Gravis sis; munus enim, quod geris, divinum est. Superbus non sis, quia, quod es, non ex tuis meritis es. Illud in te nunquam verum sit: « *Sicut populus, sic sacerdos* » (Isai. 24, 2).

12.

Munda sit et crystallina sacerdotis conscientia; non edat de pane illo, nec de calice illo bibat nisi seipsum probaverit. Purissimus Dei, Deique gloriae amor sacris te altaribus admoveat. « *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum* » (I. Reg. 2, 12), qui altari adstant turpis lucri gratia, et ut sibi vivant et bene sit.

13.

Sacerdos ad aram serva gravitatem ex incessu, ardorem in verbis, affectum in mente. Rubricas diligentissime et accuratissime observa, *omnes*, etiam minimas, sine ulla exceptione; S. Mater Ecclesia harum observationem diligentissimam tibi praecipit. Praecipit nobis etiam S. P. N. Franciscus, ut, « *faciamus officium secundum Ordinem S. Romanae Ecclesiae* », et postulat a nobis, ut *simus semper subditi et subjecti pedibus S. Romanae Ecclesiae*.

14.

Sacerdotis est alios etiam ad fervidam adorationem, et dignam sumptionem sanctissimi Mysterii instruere et adhortari. Si « *maledictus ille, qui abscondit frumenta in populis* » (Prov. 11, 26), quale judicium illis fiet, qui panem, cibum animae, negant famelicis ex fastidio modici laboris?

15.

Procul a sacerdote respectus humanus. Pilati sunt illi, qui ne gratia aut benevolentia excidant, sanguinem innocentem tradunt, SS. Sacramenta illis administrant, quos ob impoenitentiam, aut poenitentiam mere simulatam, ob infamiam vitae, nunquam serio emendatae, a sanctis sanctorum arceri oporteret.

16.

Sacrilegam Communionem inter mala orbis ultima numera. Gravissimum peccatum Judae, qui osculo Filium hominis tradidit: quale illorum erit, qui ore sacrilego Jesum tradunt cordi sordido et impio?

17.

Ad mensam Domini non accede, nisi animo ad devotionem tenerrimam fervente. Deum tentat ille (teste Eccli. 18, 23), qui ad orationem accedit non praeparans animam suam; et quid erit assidere mensae angelicae, non praeparato, non disposito corde?

18.

A convivio divino ad gratiarum actionem fervidam, nec momentaneam tantum, convertere. Impudens ille, qui surgens a mensa regali, in conspectu regis siliquis et naeniis delectatur. Ingratus ille, qui laute saginatus deterso ore tergum vertit domino, apud quem epulabatur.

19.

Cave, tentator sis, et alios sacrae mensae cupidos, devote ad eam accedentes, devote ab illa recedentes distrahas, irrideas et contemnas. Linque mella, quae nondum gustasti, piis apiculis. O si illa jam gustasses!

Pro conversatione apostolica.

« Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet » (S. Regula, cap. III.). — De his S. Regulae verbis docuit S. P. N. Franciscus fratres suos dicens: « Verba otiosa et inutilia non nominentur in vobis: licet enim ambuletis, tamen conversatio vestra sit ita humilis et honesta, sicut in eremitorio aut in cella essetis. Nam ubicunque sumus et ambulamus, habemus semper cellam nobiscum. Frater enim corpus est cella nostra, et anima est eremita, quae moratur in cella ad orandum Dominum et meditandum de ipso. Unde si anima non manserit in quiete in cella sua, parum prodest Religioso cella manufacta. Talis sit vestra conversatio inter gentes, ut quicunque vos audiet vel videbit, gloriosum Patrem coelestem et Deum laudet devote [1] ».

20.

Memento, te abnegasse voluntatem propriam eo ipso momento, quo te sacrae obedientiae voto obstrinxisti. Alius jam te ducet, quo tu non vis. Obediens non es, nisi universaliter, alacriter et humiliter obedias.

---

[1] « *Expositio Regulae Fratrum Minorum* ab ipso Ser. P. S. Francisco ejusdem legislatore, verbis, factis, exemplis tradita ». Opera et studio Rmi P. Petri Manero, Min. Generalis concinnata. Nova editio. Trudonopoli, 1889. pag. 23.

21.

Pauper paupertatis etiam incommoda sentias oportet. Memento paupertatis, si corpori male aut gustui tuo non satis bene sit. Milleni sunt, quibus tamen multo pauperior es, qui pane et aqua contenti vivunt. Cura ventris sit cura ultima.

22.

Cura, quae tua sunt. Negliguntur propria, si utroque oculo alienis invigiles. Quid ad te judicare de iis, qui foris sunt? (I. Cor. 5).

23.

Modestia tua nota sit omnibus hominibus, domesticis et externis; cor, os, manus et omnia membra tua sacrasti Deo, acceptabile Deo et Angelis sacrificium offeres, quamdiu ea, quae sacrasti Domino, effusa licentia non profanes.

24.

Gemma cordis tui sit *fraterna charitas*, quae docente Regula nostra Seraphica major esse debet dilectione matris in filium suum. Charitas haec spiritualis non carnalis et naturalis sit. Unum corpus sumus, alter alterius membra in Christo Jesu Domino nostro (Rom. 12). Cave partium studia, foedera societatis et familiaritatis nimiae, ob carnem et sanguinem aut naturae caecum motum inita.

25.

Non defende causam contra Confratrem, aut Superiorem conquerentium. Charitas non cogitat malum. Si tuum sit decidere, cave sententiam feras, causa adhuc dubia, nondum discussa et examinata. Schola Christi et amoris docet, ut instes, argues, et obsecres, ut in pace componantur omnia, et pars parti, membrum membro uniatur.

26.

Inscribe cordi aureas illas regulas: « *Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis* » (Matth. 7, 12), et « *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* » (Tob. 4, 16). Notatu etiam dignum illud poetae religiosi:

Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese,
Spernere se sperni: quatuor ista beant.

Pro conversatione apostolica cum exteris.

27.

Ut Religiosus foris sis, irreligiosus non esto domi. Loqueris coram exteris verba vocatione et professione tua digna, si prius tuos inter confratres bene silueris. « *Ille loqui veraciter (et religiose) novit, qui prius bene tacere didicit* », ait S. Gregorius (libr. 1. in Ezech. hom. 11. n. 3). Apostoli pleni Spiritu S. et in concilio et egressi spirabant ea, quae Spiritus divini erant, et loquebantur undique magnalia Dei.

28.

Absit ab religioso corde affectus nimius ad conversandum cum exteris; hirundo non sis, quae sic afficitur tecto, ut sub illo nidificet. Esto avis praetervolans, quae dulcissimo ore ad momentum audientem mulcet, magno sui desiderio relicto.

29.

Conversatio non sit frequens. Verissimum illud: « quotidiana (imo et frequentia) vilescunt ».

30.

Conversatio sit brevis: « *In multiloquio non deerit peccatum* » (Prov. 10, 19). Quid si horis integris duret sermo tuus, etiam sanctissimus? « Saturitas fastidium parit ».

31.

Conversatio sit seria; relinque vana vanis. Optime ait S. Pater noster: « Vae illi Religioso, qui delectatur in verbis otiosis et vanis, et in his perducit homines ad risum ». Conversatio tamen haec jucunda modestia et modesta eutrapelia condiatur. Sit locus argutiis, parabolis et historiis, quae delectant et docent. Facetiae illae sint procul, quae Religiosum mimum faciunt. Quid? quod et Christus, magister noster, nunquam risisse, nec alios ad risum movisse dicatur.

32.

Conversatio sit circumspecta. Attende, quod, quomodo, quibuscum loquaris. Bis ad limam verba, antequam ad linguam. Cogita, salem terrae, et lucem mundi te esse.

33.

Negotia aliena, oeconomiae, justitiae commutativae et distributivae, dilectionis animarum tibi non concreditarum etc. te non angant. Christus tibi, quod Petro, dicit in aurem: « *Quid ad te? tu me sequere* »*!* (Joan. 21, 22).

34.

Discursus de sponsalibus, de amasiis, de casibus lepidis sponsos inter, vel conjugatos contingentibus aut jam factis, nugae sunt in ore saecularium, in ore Religiosorum blasphemiae.

35.

Omnibus cum Apostolo debitores, sapienti et insipienti, nobili et plebejo, diviti et pauperi, sano et aegro. Omnium te servum fac cum eodem Apostolo, ut plures Christo lucrifacias. Jucundare in Domino cum jucundis, compatere afflictis, cum viris tracta gravia, cum feminis pia. Compesce praesumptuosos minis, rudes pasce doctrina, litteratos sententiis et eruditione, solida fragiles, inflamma tepidos, emolli duros, dirige pios.

36.

Conversatio sit spiritualis. Cavendum tamen, ne nauseam creet sermo spiritualis; insipidus fit cibus, si sal et aromata affundantur magis, quam aspergantur. Nota, Christum Dominum commendasse Petro oves suas, verbis tertio repetitis: « *Pasce oves meas* » (Joan. 21, 17); pasce verbo, pasce opere, pasce exemplo. Si verba non placeant, aut prosint, placebunt aut proderunt opera et exempla.

37.

Curae animarum expositus non frangere laboribus aut molestiis, non deterrere incommodis, dicteriis, ipsis etiam persecutionibus. Apostolus, missionarius es. « *Ibant Apostoli gaudentes* » (Act. 5, 41).

38.

Nil promitte, quod difficulter, aut omnino non servabis. Displicet Deo (quidni et hominibus) stulta et infidelis promissio.

39.

Praesente mare non plus cum femina loquere, praesentibus feminis pluribus non plus cum juniore et formosiore, non plus cum liberis, aut ancillis, quam cum patre aut matre familias. Time mundi, oculis lynceis in te defixi, scandala et suspiciones, quas facile movere poteris. Time daemonis tentationes, quae facile exsurgunt. Time infirmitatem tuam, quae tanta est, ut spiritu etiam coepta carne consummentur.

40.

Laudare semetipsum, se, suaque super astra afferre, sordet in aure aliorum. « *Quid habes, quod non accepisti* »? (I. Cor. 4, 7).

41.

Non ride semifatuos, simplices, defectuosos etc., facilius alii his offenduntur. « *Fatuus statim indicat iram suam* » (Prov. 12, 16).

42.

Non ride, nisi risus causa praesentibus innotescat; offensam alias vix evitabis. « *Sapiens vix tacite ridebit* » (Eccli. 21).

43.

De statu conventus et confratrum tuorum moribus altum sile: « *ex multa enim loquela tentabit te* (mundus) *et subridens interrogabit de absconditis tuis* (Eccli. 13, 14).

44.

Jocis praesertim minus honestis, non redde jocos, sed aut discursum immutando, aut alteri colloquendo joculatorem corrige. Imo si persona gravior scurrilia effutiat, satis erit avertere aut immutare faciem: « *per tristitiam enim vultus corrigitur animus delinquentis* » (Eccle. 7, 4).

45.

Non extolle nimium beneficia aliorum, ne offendas benefactorem praesentem: nec tamen deprime illa, ne ingratus videaris.

46.

Non procura munera, ne mercenarius audias, qui lanam magis quam ovem quaerit: et in acceptandis illis cautus esto; quo plus acceptaveris, eo plus de tuo amittes, aestimationem nempe, et sanctam loquendi libertatem.

47.

Non utere modo loquendi nimium compto, nimium affectato: utere populari et tibi conveniente. « *Laetetur homo*

in sententia oris sui, et sermo opportunus est optimus » (Prov. 15, 23). Superbia « *perdes pulchros sermones tuos* » (Ibidem cap. 23, 8). Vitia tamen linguae et barbarismos illos nationales, qui te risum et ludibrium exteris, operam et conversationem tuam infructuosam faciunt, dediscere stude.

48.

Discursus de materia indifferenti inceptos fac spirituales, e. gr. quam pretiosa sit bona intentio, quomodo impedienda scandala, quae vita christiani etiam medium inter mundum malignum viventis, quanti intersit prolem christiane educare, vivere cum paucis, Deum amare, ut verum sit illud: « *Consummatio autem sermonum, ipse* (Deus) *est in omnibus* ». (Eccli. 43, 29).

49.

Prudentis non est (minus Religiosi erit) ad saeculares loqui de oeconomia aliorum saecularium. Quis te constituit judicem, ut discernas, qua in domo major, in quanam minor cura habeatur? Venator animarum es, non examinator ollarum.

50.

Si contentiones, lites, causas forenses, quibus impliciti sunt, tibi proponunt saeculares, noli patronum, noli judicem agere; docere tamen poteris, licere jus suum prosequi, commendandam Deo causam, rancorem, odium nullum in proximum fovendum esse etc.: « *quia vidi contradictionem in civitate, ecce! elongavi fugiens, et mansi in solitudine* », dic cum Davide (Ps. 54, 8. 10).

51.

Si conquerantur contra proles, subditos etc., compatere; si licet et expedit, ignorantiae prolium, aetati infirmae, ruditati subditorum etc. culpam adscribe. Commenda et effer meritum bonae educationis, curae et vigilantiae. Suggere ad hanc

suavia et paterna media, nonnisi consultus tamen et rogatus.

52.

Custodi linguam, et vita pocula, quae linguam in vanos, multoties etiam in malos garritus solvunt. « *Vinum potantem decipit* » (Hab. 2, 5).

53.

Gloria Dei, salus animarum, et sacra obedientia te a cella tua avocent. Exi et redi ut Frater Minor, sed cave, ne minor homo redeas. « Mihi oppidum carcer est, et solitudo paradisus », ait S. Hieronymus (epist. 125. n. 8).

54.

Gratitudo pro acceptis beneficiis, conservatio amicorum, solatium in necessitatibus, compensatio spiritualium obsequiorum pro temporalibus superiorem, rarius subditum egredi jubent. Etsi hi fines etiam te foras trahant, nota, quae Paulus Ephesiis (5, 15) dicit: » *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* ».

55.

Examina saepius intentionem et finem, ob quem amicos et cognatos invisis. « *Saepe videtur charitas, et est magis carnalitas* » (Thom. Kemp. l. I. c. 15. n. 2).

56.

In visitatione amicorum et benefactorum observa regulas jam traditas. Esto humilis, non tamen adeo dejectus, ut character Sacerdotii, quem habes, aut Religionis sacrae vilescat. Esto promptus ad obsequia, non tamen jumentum publicum, quod modo huic, modo illi ad servitia praestat, nisi obedientia tali muneri te destinet. Non te ipsum intrude in servitium

aut obsequium. « *Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* ». — « *Unusquisque proprium donum habet a Deo* » (I. Cor. 7, 7. 20).

57.

Amicus, aut benefactor etiam maximus, iratus, nimium afflictus, non invisatur, nisi motu passionis aliquantum remittente. Ad quid enim tua visitatio? Sibilus blandi zephyri furente borea non auditur, non sentitur; et « *sermo durus suscitat furorem* » (Prov. 15, 1), (oleum igni affundet).

58.

Conversatio cum amicis ea semper sit, ut, si inimici etiam nostri fierent, nihil haberent, quod in nobis reprehenderent.

59.

Semel invitatus, non ocius sequere vocem invitantis; nec in ejusdem domo illico compare; invitatio enim seria repetitur. « *Advocatus a potentiore discede; ex hoc enim te magis advocabit* » (Eccl. 13, 12).

60.

Non moveat, non terreat te rigor impetuosus nobilium; memento, te pauperem et Fratrem Minorem esse; serva, offensus etiam, modestiam Religioso dignam. Memento doctrinae a Christo Domino Apostolis traditae: « *Non est servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur* » (Joan. 15, 20).

61.

Frange panem esurienti, nobili da solatium et instructionem de exemplis s. Scripturae, SS. Patrum, virorum gravium tam veteris quam novae legis, e. gr. Davidis, Jobi, Ezechiae etc., Constantini et Caroli M., S. Elzearii, Conradi, Aloysii, Caroli

Borr., Leopoldi etc., SS. Elisabethae, Franciscae Romanae, Delphinae, Ludovicae, Blancae etc.

62.

Non facile aliis exora gratiam (offenduntur non raro hac voce patronorum etiam alias tibi summe affectorum aures); commendare tamen, et modeste diviti et nobili insinuare poteris miseriam, paupertatem etc. proximi; audies, an facilior et promptior sit animus illius ad praestandam, an ad negandam gratiam.

63.

Homines negotiis aut labore manuum distentos non invise (si alioquin tuum esset invisere) tempore illo, quo eos a negotiis aut labore impedis suscepto. Aut si homines ejusmodi invisi debeant, esto brevis: « *Ego misi vos metere* », dicebat Christus (Joan. 4, 38) Apostolis suis, « *quod vos non laborastis, alii laboraverunt* ». Quomodo autem metes, si alios, quorum laborare, seu seminare est, abstrahas? minus autem suadenda festivis diebus horum hominum visitatio; timendum enim, ne debitum honorem Deo fureris, die Deo sacro accedendo domos opificum etc.

64.

Parcus esto in invisendo mulieres; « *a muliere initium factum est omnis peccati* » (Eccli. 25, 33).

65.

Maritatae non invisantur invito marito; neque invise uxorem, maxime juniorem, absente marito, ne suspicionum et scandalorum semina jaciantur. Rogatus a marito peregre profecto, ut solatium feras uxori relictae, fer et invise eam, at socio tuo semper praesente (qui et alias mulieres invisenti tibi adstet); continens enim animus vult ubique testem continentiae suae.

66.

Custodi sensus tuos, oculos praecipue et manus, coram muliere: « *Propter speciem mulieris multi perierunt* » (Eccli. 9, 9).

67.

Vide, cui fidas, dum mulieri fidis. Examinata et casta sint tua cum illa colloquia. Quid? si hodie mulieri in aurem a te dicta cras in foro proclamentur? « *Mulier stulta et clamosa* » (Prov. 9, 13).

68.

Mulieri accusanti maritum, aut contra eundem querenti non praebe aures credulas: « *Qui respicit illam* (mulierem), *non habebit requiem* » (Eccli. 28, 26); quanto plus molestiae et turbarum facesset mulier audita, si respecta quietem turbat? — Si tamen querelae respondendum, responde paucis et prudenter.

69.

Solus cum sola non loquere, nisi in causa animae. Trepidavit Virgo Virginum, et turbata est in sermone, sola a solo Angelo salutata. « Trepidare Virginum est (verba sunt S. Ambrosii, in Luc. lib. 2. n. 8), et ad omnes viri affatus pavere ». Quidni et trepidare virorum sit, et ad omnes mulieris, solius praesertim, affatus pavere?

A. Signa suspecti consortii et malae conversationis.

« Praecipio firmiter Fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum » (S. Regula, c. XI.). — Et Constitutiones Generales: « Cum non a malo tantum, sed a mali etiam specie cavendum nobis sit, praecipimus omnibus et singulis, ut studiose declinent consortia, familiaritates et conversationes mulierum, imo et virorum et puerorum, ex quibus mali

suspicio esse potest; tametsi candido animo ac bona mente fiant» (C. G. n. 676).

Signa autem suspecti consortii et malae conversationis sunt: 1. Frequentior et longior conversatio praesertim cum juniore; 2. liberior ac fixior aspectus mutuus; 3. verba nimis suavia, blanda, aequivoca et aenigmatica, adeo etiam, ut praesens alius illa non capiat; 4. actiones aliae licentiores; 5. joci et risus familiares; 6. locus solitarius; 7. suspectum tempus; 8. furtiva litterarum commercia, modus etiam et stilus, quo exarantur litterae, nimium affectum spirans; 9. datio et acceptio iterata donorum qualiumcunque; 10. motus inclinationis et affectus ad personam vehementes, sub oratione, etiam sub schemate pietatis exorti; 11. major animi laetitia praesente persona, tristitia major absente; 12. studium et desiderium placendi personae; 13. actionum, sermonum et ipsius personae intensa et frequentior memoria; 14. desiderium sciendi et indagatio, qui se habeat, ubi sit persona etc.

Pro conversatione operariorum apostolica in genere.

70.

Nunquam temetipsum in munus operarii intrude: grande enim est et honorificum. Intrusus audire aliquando habebit: « *Amice, quomodo huc intrasti* » ? (Matth. 22, 12).

71.

Rubricae Missalis et Ritualis praesertim operario scitu necessariae sunt, ut officia singula graviter et devote obeantur. Vocem indevoti, incuriosi, negligentis pastoris aut non audiunt bonae oves, aut nonnisi coactae et respectu humano ductae ad illius pascua veniunt. « *Si quis autem ignorat* (ait Apostolus de operariis parum sollicitis de comparanda sibi necessaria scientia, I. ad Cor. 14, 38), *ignorabitur* ».

72.

Hinc multo magis volvendi et revolvendi libri, qui ea, quae confessarii, oratoris, catechistae, pastoris animarum et ascetae sunt, solide et clare docent. Miles, qui in aciem descendit, armis assuetus sit oportet, et in palaestra exercitatus.

73.

Non tamen erubesce, juvenis operarie! instructionem ulteriorem ab operario, viro usu praestante, imo etiam ab extero e. gr. parocho zeloso humiliter petere, et datam humiliter acceptare. « *Audite filii, disciplinam patris* » (Prov. 4, 1).

74.

Benedictiones, si quae adhibendae sint, ab Ecclesia approbatas, communes Missali aut Rituali Romano insertas, praefer omnibus aliis. Exorcismis autem publicis, conjurationibus, aut aliis quibuscunque solemnitatibus contra maleficia, praestigia nunquam utere, nisi requisito loci pastoris, et Superiorum tuorum consensu.

B. Virtutes in operario requisitae.

1. Ardentissima et purissima in Deum et proximum charitas; 2. silentium de defectibus confratrum tuorum; 3. modestia religiosa; 4. humilitas, qua bonum omne et fructum ex operatione tua soli Deo adscribis; 5. patientia et constans animus ad molestias, difficultates et incommoda infractus; 6. circumspectio et prudentia, ne in vitiosam calliditatem transeat, christianae simplicitati juncta; 7. temperantia et sobrietas; amica et humilis gravitas morum; 8. devotio in B. V. Mariam et Angelos custodes. S. Rupertus adpropians loco Nomen Domini et Sanctorum patrocinium super illum invocabat, offerens Deo per manus B. V. Mariae apostolicum conatum suum. Seraphicus P. N. Franciscus formabat super locum

evangelicae praedicationi electum s. crucem praecipiens in Nomine Jesu spiritibus immundis, ut fugiant, ac sibi et Spiritui Sancto locum cedant.

Ut operarius forensis etiam foris claustraliter vivat:

75.

Exacte S. Regulam et Constitutiones Ordinis observet.

76.

Sedulo et devote, et ordinate mentaliter et vocaliter oret.

77.

Conscientiam examinet.

78.

Custodiat sensus.

79.

Fugiat suspecta consortia.

80.

A jocis, nugisque licentiosis sibi caveat.

81.

Religiosae modestiae ubique et semper memor sit.

82.

A curis saecularibus et negotiis forensibus totus sit alienus.

Pro conversatione operariorum apostolica in specie.

83.

Locum operationis apostolicae, e. gr. domum parochialem, ob causam frivolam, spem e. gr. melioris victus, majoris in te affectus, pinguiorum beneficiorum, ad declinandas molestias non muta.

84.

Benefactores non invise, nisi praesciente et approbante domino parocho, cui a servitiis es.

85.

Ad domum parochialem redi mature, ne suspectus fias de evagationibus, aut aliis familiaritatibus, Religiosum non decentibus.

86.

Ad obeunda quaevis munia, nisi omnino viribus tuis imparia, promptum et paratissimum te exhibe.

87.

Acriores controversias et disputationes modeste evita, aut opiniouem tuam simpliciter et absque pertinaci contradictione manifestando, aut discursum invertendo.

88.

Parochianos apud proprium parochum non accusa, ut minus instructos, christiani dogmatis ignaros, sed ipsos prius instrue, doce, erudi; si tamen minus habentes repereris, aut doctrinae traditae resistentes, tum exigit salus animarum, urget charitas et munus tuum, ut tales proprio pastori deferas, sed animo ab omni sinistra intentione aut passione libera.

89.

De auditis in confessionali, aut resolutionibus tuis altum sile.

90.

Non sis delator rumorum, non refer parocho, quae parochiani contra ipsum, nec parochianis, quae ille contra hos habeat.

91.

Peractis peragendis repete conventum tuum, nec retineat te in saeculo studium placendi, amor amicorum, commodi proprii, libertatis, aut facta quaedam in faciem tuam magis, quam ex corde invitatio. Religioso cella coelum sit, et mundus carcer; et quid tum, si te ad monasterium et cellam tuam advolantem carpant, aut irrideant male feriati? Praestat, ut amator domus religiosae, quam fori saecularium audias.

In diversoriis.

92.

Noli molestus esse domesticis, exigendo aut etiam praetendendo, ut sua tibi obsequia et servitia praestent. Pauper, Frater Minor es, et discipulus illius magistri, qui venit ministrare, non ministrari.

93.

Interdiu, nisi urgente infirmitate aut gravi defatigatione, non dormi: nec, si dormiendum, aliter somnum cape, nisi servatis religiosae modestiae terminis, et a pede saltem usque ad cingulum stragula tectus.

94.

Si exuendus aut mundandus sit habitus religiosus, perlustra locum, in quo exuis aut mundas et vide, an nulla curiositati fenestrella, foramen, vel rima pateat. Multa possunt honeste fieri, sed non honeste videri.

95.

Loca suspecta et periculosa caute declina, scandala etiam pusillorum Religioso cavenda. Sic e. gr. ancilla cubiculum tuum ingressa, ut lectum componat, egredere: sic discursus longiores etiam in causa animae, cum persona alterius sexus, sana, non aegrotante, abbrevia etc.

96.

Si noctu exeundum, non exi absque lumine et socio: « *Vae soli* »*!* (Eccl. 4, 10).

97.

Vitandae cum domesticis confabulationes nocturnae et longiores, quam maxime autem cum iisdem compotationes. Ita « *non timebis a timore nocturno* » (Ps. 90, 5).

98.

Nec ope domesticorum esculenta aut poculenta, minus alia tibi procura: « *Habentes alimenta* (necessaria) *et quibus tegamur, his contenti simus* » (I. Tim. 6, 8).

99.

Cubile, in quo dormis, sit obseratum. Holofernes manu feminae non occubuisset, si in cubiculo clauso solus dormiisset.

100.

Confessiones mulierum, nisi infirmarum, mutarum aut surdarum, non excipe in loco clauso.

In cathedra sacra.

« Moneo quoque et exhortor eosdem Fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram » (S. Regul. c. IX.). — Hinc Constitutiones Generales pro omnibus praedicatoribus sequentia tradunt monita: « Concionatores omnes generatim admonemus, ut quae sacris canonibus, ac praesertim sacri Concilii Tridentini et S. Congregationis Episcoporum et Regularium decretis hac de re sancte praescripta sunt, inviolate servent. Caveant, ne quidquam contra sanctae Romanae

Ecclesiae libertatem aut dignitatem praedicare, vel ecclesiasticis personis detrahere, vel doctrinis a S. Sede reprobatis favere, vel scandalum contra clerum excitare, vel Ordinem aliquem aut Institutum religiosum criminose nominare praesumant ». — « Demum Praedicatores quoscunque vehementer in Domino hortamur, ut pro Instituto, quod profitentur et apostolico munere, quod exercent, ita pie sancteque vivant, ut quos erudiunt verbo, pascant exemplo, ne cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi fiant, et quorum vita despicitur, eorum praedicatio contemnatur ». (C. G. nn. 644 et 645).

101.

Sequere monitum Seraphici Patris: « *sint casta et examinata eloquia tua* »; *casta*, non sapiant immunditiam, scurrilitatem et vanitatem, excludant etiam corruptam intentionem, juxta illud Apostoli (II. Cor. 2, 17): « *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur* ». — *Examinata*, idest docente S. Bonaventura, non temere ac sine deliberatione prolata. « *Ad utilitatem et aedificationem populi* », non ad fastum, non ad ostentationem, non ad quaestum proprium. « *Annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam* ». « In hujusmodi », ait Hugo noster, « sunt homines maxime instruendi, non in subtilitatibus et curiositatibus detinendi. Haec praecipue (intelligit de poena et gloria) torpentium hominum corda movent ». « *Cum brevitate sermonis* ». « Haec brevitas », ait S. Bonaventura (Expositio super Regul. FF. Min., cap. IX. n. 12), « excludit verborum ambages et sententias involutas, verba etiam ardua supra capacitatem audientium.... Prolixitas generando fastidium auditores retrahit pluries ab auditu ».

102.

Non sis personarum acceptor; sed cum Apostolo promptus sis omnibus evangelizare, nunquam erubescere Evangelium.

103.

Claude aures garrulis illis, qui, ut cuti suae parcatur, neque vitia illa, in quibus ipsi insordescunt, perstringantur, in vitia alia invehi oratorem volunt, instant urgentque. Cogita, verbum Dei non esse alligatum. Si tamen a prudenti et zeloso viro audias, grassari vitia publica, peccata quaedam, non levia, frequentius et quasi impune committi, exere gladium, et ita stringe, ut rei non te, sed Spiritum Patris divini ex te loquentem audiant.

104.

Thema sermonis tui ordinarie ex Evangelio festi pete. Exordium sit breve. Propositio sit clara. Ratiocinationes et conclusiones mere syllogisticae sint rariores; nec, quae confundunt, non docent intellectum, nimiae divisiones sint et subdivisiones. Doctrinas morales ex Evangelio, doctrina Christi et Apostolorum, ratione naturali, communi vivendi modo, ex catechismo et theologia morali desume. Adhibe etiam historias sacras et profanas, non tamen nimium prolixas. Doce; verba tua sint *pia,* aliena nempe vel ab umbra inhonestatis, spirantia spiritum Domini. Sint *sana,* certa et approbata, ac principiis laxis depurata. Sint *utilia,* ad vitam christianam, ad reformationem morum, ad virtutum et Dei amorem inducentia. Sint *solida;* bene defini, bene divide, bene infer, bene confuta, bene revela. Delectare, utere stilo copioso, non nude rem eloquendo; utere numeroso, ut verba cum gravitate et suavitate auri illabantur; utere figuris verborum et sententiarum, clare tamen et reflexe ad auditorium. Move temetipsum prius per meditationis exercitium, antequam alios moveas. Move ad compunctionem, ad amplectendam veritatem, non ad risum, non ad applausum, neque etiam ad tristitiam nimiam aut desperationem. Move insinuando pium et sincerum ad auditores affectum tuum: praeparando etiam animos illorum, quorum conditiones et mores perspectos habes, ut in-

telligant, te bene de ipsis sentire, bene te ipsis velle. Move per spectacula, per descriptiones, per narrationes oratorias et amplificationes, per similitudines et comparationes, per obsecrationes et obtestationes. Nobili propone honorifica, generosa ab antiquitate, legi naturali et divina tradita, plebejo domestica, simplicia et communia, commodum et lucrum afferentia. Peccatores etiam gravissimos dum arguis, obsecra, in spem veniae erige, Christi promissionibus, misericordia Dei et longanimitate solare etc.: ita benevolum habebis auditorium. Benevolentia hac aliquando obtenta sume gladium Apostoli, stringe acrius in vitia magis lubrica, pestifera, scandalosa; adde ut bonus Samaritanus oleo vinum; percute corda loquendo de justitia Dei, de morte, de judicio, de inferno, de necessitate poenitentiae verae. Conclude autem quemlibet sermonem rogando magis et obsecrando, quam terrendo et minitando.

105.

Praedicato verbo Dei non depraedica temetipsum populo: « *Non enim nosmetipsos praedicamus* », ait Apostolus (II. Cor. 4, 5).

106.

Vita praedicatoris utpote personae publicae universim apostolica sit. Exemplum praedicet, quod verbum docuit; alioquin scriba et pharisaeus fores, de quibus Christus (Matth. 23, 3): « *Quaecunque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt* ».

In instructione catechetica.

107.

Rituale resp. Dioeceseos consule, et nisi usque aliter obtineat, juxta illud doctrinam catecheticam propone. Si Rituale

praxim nullam suggerat, suadeo (salvo meliori judicio), lege catecheses R. Dom. L. Mehler, « Declarationem Catechismi Catholici » R. P. Deharbe S. J. aliosque approbatos auctores, et materiam secundum ordinem catechismi per interrogationes et responsiones ab illis auctoribus discussas populo explica.

108.

Modus loquendi in catechesibus sit communis et ad vulgarem populi sensum. Imo cum parvulis loquere quasi ut parvulus; in hunc finem lege praeprimis « libros catecheticos (theoreticum et practicum) » Reverendissimi Celsissimi Archiepisc. Salisburg. Augustini Gruber.

109.

In quaestionibus, quas ad adultos facis, verbis utere paternis et charitate plenis, sciens cum Apostolo compati infirmitatibus, et ut eorum rubori ac honori parcas, adjuva inscientiam eorum ipse respondendo, aut saltem per quaestiones iteratas et clarificas ad respondendum eosdem inducendo. Rudes tamen ex affectata malitia « *argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctina* » (II. Tim. 4, 2).

110.

Ad rite obeundum catechizandi munus invoca Spiritum S., excita in temetipso fervorem et zelum animarum, memor illius fervoris et zeli, qui dixit: « *Sinite parvulos venire ad me* » (Marc. 10, 14).

Pro conversatione apostolica in collectura eleemosynae.

111.

Collector in Theologia, praecipue morali, non sit peregrinus, sed versatus optime, ne aqua haereat, dum consilium ejus requiritur, aut, quia leviter tinctus, male consulat.

112.

Instructus sit supellectili sacra, vel concionibus una alterave, vel pluribus; saepius enim praedicatoris sacri personam agere debebit, aut rogatus a parochis, aut tentatus; item libello benedictionum.

113.

Sit humilis, demisse de se sentiens, nec glorietur de modo aut arte lucrandi eleemosynam, quam prudens benefactor non dat loquaculo collectori, sed egenti conventui.

114.

Sit invictae patientiae: « *Foris enim pugnae, intus timores* » (II. Cor. 7, 5).

115.

Mentem a Deo suo inter labores, incommoda et defatigationes nunquam avellat, memor juratae Deo paupertatis suae, et illius « *altissimae* », quam nascens et moriens profiteri voluit Rex regum et Dominus dominantium.

116.

Religiosam morum compositionem, modestiam illam, adeo ab Apostolo commendatam, virtutem characteristicam Sacerdotis et Religiosi maligno in mundo viventis, collector nunquam exuat.

117.

Custos sit linguae suae: « *Qui custodit os suum, custodit animam suam* » (Prov. 13, 3), custodit et honorem suum: « *Stultus* » enim, teste Salomone, « *verba multiplicat* » (Eccle. 10, 14); « *qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est* ». Facta aliorum, praecipue Religiosorum, parochorum etc. crisi mala explosa, in meliorem, quantum fieri potest, partem

vertat; non contemnat, non vilipendat alias familias religiosas; non revelet secreta sui Ordinis; non deferat audita de domo in domum; pauperum etiam aliorum in praejudicium nil loquatur.

118.

Seligat sibi materiam, vel puncta piarum cogitationum, quibus etiam iter agendo inhaereat, quaeve spiritum Domini in corde aut accendant, aut conservent. Haec sunt ligna illa, quae, ut semper ardeat « *ignis et nutriatur, Sacerdos subjicere tenetur* » (Lev. 6, 12).

119.

Habeat secum reculas benedictas, e. gr. numismata, schedulas Immac. Concept., pulverem herbarum contra maleficia etc.; alia etiam donaria sacra non pretiosa, non vanitatem, non curiositatem redolentia. Non tamen haec projiciat, sed ita largiatur, ut eleemosynam emendicare, non emere videatur; non enim benedictio Dei descendet super eleemosynam illam collectam et collatorem illum, qui ob profusam donariorum distributionem laesae paupertatis se reum fecit. Probitas vitae, amor usus parci et pauperies rerum omnium, sponsio precum, et sacrae ad aras memoriae magis commendant Religiosum, quam profusio donariorum.

120.

Omnium primo sistat se parocho loci, ubi colligit. Si ex consuetudine alibi quam in ejus parochialibus diversorium eligendum, eligat monasterium prae domo saeculari, domum honestam prae suspecta, domum patroni aut amici mediis congruentibus provisi prae alia vix necessariis in alendam vitam propriam instructorum, etsi alioquin misericordium.

121.

Ante collecturam longius durantem conscientiam explicet suam sacra exhomologesi: secreta sub sigillo sacramentali,

vel naturali, si quae habet in cella sua, aut flammis det, aut custodita, ne aperiantur, obsignet; quae ab aliis accepit, reddat, aut cujus sint notet. Clavem cellae Superiori, aut nonnisi cum ejus consensu alteri consignet.

In modo colligendi.

122.

Humiliter amore Dei roga, tuas tuique Conventus preces adpromitte: saluta perhumaniter benefactores, tessera illa Christianis familiari « Laudetur Jesus Christus ». Collector sis, non exactor, parce asperis verbis et minis.

123.

Animo reluctante, ore obmurmurante, manu tenaci eleemosynam largientibus candide et mansuete explica mentem tuam; dic: te non exigere, sed rogare eleemosynam, stare in eorum arbitrio, an et quantum dare velint, sibi ipsis omnis meriti obicem ponere, si inviti eleemosynam dent etc.

124.

Eleemosynam roga simpliciter, et verbis illis, quae Religiosum mendicum et prudentem virum decent, absque simulatione, aut hyperbolica exaggeratione indigentiae Conventus, quasi extrema hic necessitate laboraret. Non determina eleemosynae portionem.

125.

Etiam minimum gaudenter accepta: non respue vilia. Grates refer, quas debes, et exsolvis pro pingui beneficio; solare minus habentes, quibus non voluntas benefaciendi, sed bona voluntati deficiunt, exemplo mulieris evangelicae, cujus duo minuta in gazophylacium missa prae opibus aliorum respexit Dominus (Luc. 21, 3).

126.

Si trahenda necessario mora, catechiza parvulos, commenda adultis intentionem bonam, orationis studium, actus theologicarum virtutum, devotionem in B. V. Mariam, — patri aut matri familias curam prolium, subditorum, meritum et fructum hujus et bonae educationis, damna malae, persolutionem certarum precum quotidianarum etc.; haec et similia discursu quodam amicabili in medium proferre juvabit. Ita sequimur consilium Apostoli, qui vult (I. Cor. 9, 11), ut dum carnalia metimus, spiritualia seminemus.

127.

Si ad fores rogans non audiaris, si improperia, vel verba saltem duriora audire cogaris, iram et impatientiam omnem, ad quam natura movet, refraena. Memento paupertatis tuae et legis charitatis, quae non amicos tantum et illos, qui nos diligunt, sed et inimicos diligi imperat. Precare quaeque bona et fausta, et totus consolatus et contentissimus discede. « *Lingua mollis confringet duritiem* » (Prov. 25, 15). Frater Minor es; cui Pater tuus in aurem dicit: « Attendant . . . habere spiritum Domini, . . . et diligere eos, qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt ». Si ob injuriam illatam a te, aut confratribus tuis, aut aliis Religiosis offensos audis conqueri: conare animos ira succensos placare; et si culpa tua, aut tuorum confratrum fuerit, deprecare et veniam exora; si culpa aliorum, ad veniam dandam verbis optimis et paternis adhortare; excusa intentionem, quantum potes, si non potes excusare factum. Si times oleum affundi igni longiore sermone tuo, parce verbis, dic vale humiliter, et domo egredere.

128.

Et ingressus et egressus e domo benefactorum non tantum sis pacificus, sed religiosus. Saluta eadem tessera benefactores in egressu tuo, qua in ingressu eosdem salutasti. Ul-

timo benedic domui et domesticis, et relinque odorem bonae famae et existimationis.

129.

Interrogatus ab aliis, qui in collectura tua successerint, fueritne pinguis vel tenuis? lauda beneficia tibi impensa, piam hominum voluntatem, affectum bonum. « *In omnibus gratias agite* » (I. Thess. 5, 18), quoniam bonus, quoniam semper misericors ille, qui etiam de quinque panibus 5000 ora famentium satiare novit.

Ad conscientiam collectoris

130.

Spectat, ut fideliter et sedulo munus suum obeat, ut in locis assignatis colligat, eleemosynam collectam aut ad Conventum dirigat et remittat, aut fideli amico, per quem remittatur, concredat. Peccaret, si triduo aut quatriduo otiosus (sine causa) quiesceret, aut recreandi causa alio evagaretur, famulo interea, aut alio substituto eleemosynam colligente; peccaret, si administratorum aut procuratorum modo eleemosynam daret aliis aut venderet; peccaret, si eleemosynam suspectae aut malae notae homini concrederet; peccaret, si ex negligentia sua pars notabilis eleemosynae corrumperetur etc. Citra culpam tamen, ubi mos fert pro mercede laboris ex collecta eleemosyna bajulis fit solutio.

Pro casibus infirmitatis tempore collecturae.

131.

Si parochus aut alia persona, cui speciali titulo obligatur Conventus, infirmetur, et servitia spiritualia a collectore sibi impendi velint, urget charitas, justitia et aequitas, ut collector inserviat infirmo; certiorem tamen de servitiis hisce aut socium collecturae aut Conventus Superiorem reddat.

132.

Si alios tempore collecturae offenderit infirmos, exquirat statum morbi, aut an signa periculi cujusdam adsint, advertat. Quodsi periculum subesse reperit, aut dubitet prudenter de periculo, necdum etiam Ecclesiae Sacramentis muniti illi fuerint, urgeat susceptionem SS. praesidiorum tum apud aegros, tum apud alios domesticos: moneat ipsum loci pastorem de periculo oviculae, aut moneri faciat.

133.

Si periculum in mora, aut desperata omnino infirmi salus, infirmum disponat ipse, ejusque confessionem excipiat. Consultum tamen erit insinuare domino parocho, aut per alios significare, aegrum confessum esse, curet in hoc casu animam aegri, non collecturam suam.

134.

Si periculum omne absit, soletur aegrum, resignationem in voluntatem divinam, spem in Deum commendet, ad patientiam excitet, praemii et coronae patientibus amore Dei et usque in finem perseverantibus adpromissae ac reservatae magnitudinem et excellentiam proponat, exemplo Christi et Sanctorum animet ad eliciendam bonam intentionem, ad actus theologicos adhortetur. Tandem data benedictione sacerdotali et facta piae ad aras memoriae promissione relinquat aegrum.

135.

Si collector ipse gravi corripiatur infirmitate, neque spes supersit attingendi Conventum, neque copia aut occasio confitendi confratrum uni, confiteatur sacerdoti extero; et charitas animae propriae et aliarum animarum (quae omissa aut dilata etiam in his circumstantiis confessione non leve scandalum paterentur) confessionem hanc imperat. Petat Viaticum et Unctionem extremam sibi administrari, ac sacramenta haec

illo mentis ardore et spiritus devotione, quae Religioso conveniunt, suscipiat.

136.

Patienti animo conferat morbi incommoda et dolores, humilem, mansuetum et gratum sese inservientibus sibi exhibeat; protestetur tamen contra frequentiores visitationes et omnino arceat a cubiculo suo feminas.

137.

Si quae secreta secum haberet, quae scire aut recipere solius esset Superioris, roget fidelem et prudentem virum, ut ipse illa obsignare, et ita obsignata ad conventus Superiorem transferre, aut remittere velit. Si secreta sint tantum cordis, quae ori ab ore concredi debent, eligatur itidem vir, qui sub sigillo illa excipiat, ac nullius, nisi Superioris, aut ejus, cujus est scire, in aurem revelet.

138.

Si infirmitas sit ad mortem, disponat se ad eandem, ut intelligat et videat mundus, non hominem tristi necessitate adactum, invitum et querulum naturae debitum solvere, sed Religiosum humilem, pauperem et poenitentem, et unice cum Christo esse, et dissolvi cupientem mori.

Pro conversatione apostolica iter ingredientium.

139.

Obedientiae, quae te foras mittit, humili et alacri animo, pia etiam intentione te subjice. Scito, Apostolos gaudentes inivisse in ignotissimas et dissitas regiones, ad barbaras et incultas gentes. Muliebris est affectus ille, quo loco, officio, et personis adeo adhaeres, ut avelli ab illis sine dolore nequeas.

140.

Ut angelico comitatu dignus sis, conscientiam munda, priusquam iter instituas, et in itinere constitutus, modestiam

praefer angelicam, nunquam praesentiae Angeli tui tutelaris immemor.

141.

Necessaria pro itinere praevie praeparanda. Relinque minus utilia, minus necessaria. Penus pauperis sit pauper et curta. O quam alia paupertas Apostolorum iter agentium a paupertate nostra! Ibant illi sine sacculo, sine pera, sine calceamentis!

142.

Valedicens Conventui vale etiam dic fratribus tuis, illis praecipue, a quibus offensus es, aut quos natura tua abhorruit. Si alios a te offensos scis, reconciliare illis; « *sol enim* », hortante Apostolo (Eph. 4, 26), « *non occidat super iracundiam nostram* »; neque occidat amaro fratris animo nondum dulcorato.

143.

Parcius saecularium domos valedicendi gratia percursitet; valedicat illis, quibus titulo gratitudinis obligatur, ne crudus et inurbanus audiat. Alios commendet Deo, ne plus saeculo, quam cellae suae affectus videatur. Parcissimus sit in relinquendis sexui alteri mnemosynis; Religiosi non est icones, mulieris nomine signatas accipere, nec Religiosi est icones suo signatas nomine mulieribus relinquere. « *Salutem in Domino* » relinquit Paulus Apostolus in epistolis suis viris et devoto sexui, non icones aut donaria alia.

In ipso itinere.

144.

Curam prae omnibus pensi canonici habe; nunquam, nisi charitate aut necessitate alia urgente ejus persolutionem usque in seram noctem differ.

145.

Neque omittendae aliae preces consuetae. Primitias diei, quo iter agis, Deo consecra: vires ipsae corporis nondum defatigatae, illo praecipue tempore, ad orationis fervorem multum conferunt. Neque a meditationis exercitio in itinere te exemptum habe: aurora aurea hora, qua iter agere, et animam tuam cibo meditationis pascere poteris. Proficiscere in silentio, et Deo tuo colloquere. Materiam meditationis dabunt lectiones Breviarii, vel vita Sancti, cujus festum agitur, vel passio Domini, vel fixus in machinam hujus universi, aut alia creata mirabilia obtutus. « *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri* » (Sap. 13, 5).

146.

Errores socii, si quos notas, prudentiae et patientiae pallio obtege, tuoque bono exemplo magis quam verbo corrige.

147.

Parce verbis nimium vanis, otiosis, saecularibus; cave multiloquium: « *Adolescens! loquere in causa tua vix, cum necesse fuerit* » (Eccli. 32, 10).

148.

In itinere religiosam serva modestiam, saepius jam commendatam. Non clama, non contende verbis, non canta etc.; an nunquam audisti, etiam nemora, prata et agros aures et oculos habere?

In diversorio.

149.

Diversorium, si optio penes te, quaere et pete in domo sacerdotis, aut in monasterio, prae alia domo saeculari.

150.

Ingressus domum dic ex Regula: « *Pax huic domui* »! et cum sub conspectum domesticorum venisti, dic devotissimum illud: « *Laudetur Jesus Christus* »!

151.

Senior seu ductor reget diversorium, prandium aut coenam, verbis pauperi Religioso convenientibus, non comptis, non superfluis, non jocosis: « *Pauper ambulans in simplicitate sua* » (Prov. 28, 6).

152.

Non determina species ciborum aut potus, nisi rogatus aut jussus determinare; non conquerere contra coquos aut coquas de cibis insipidis, ad gustum tuum non adparatis etc.: « *Minimum pro magno placeat tibi, et improperium peregrinationis non audies* » (Eccli. 29, 30). Conjice saepius oculos in vestem tuam et pauperrimam conditionem et scito: « *Panis egentium vita pauperum est* » (Eccli. 34, 25). Diebus tamen jejunii regularis praemone benefactorem, et roga, ut velit cibos esuriales parare.

153.

Cave excessum, praecipue in potu, quo scandalo fis aliis, tibi ipsi oneri: « *Operarius ebriosus non locupletabitur* » (Eccli. 19, 1).

154.

Loquere, quod Regula vult, « *honeste omnibus, sicut decet* ». « *Christi bonus odor sumus* » (II. Cor. 2, 15).

155.

Si diversorium caupona aut taberna sit, non commisce te turbis potantium, edentium et ludentium: « *Noli esse in*

conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum » (Prov. 23, 26). Non ede aut bibe, quasi pro symbola tua adfores. sed ut pauper alumnus. Non da cibos tibi appositos aliis, non aliis (nisi ipsis benefactoribus, qui, ubi mos fert, oblatum sibi calicem acceptant) da haustum tibi infusum. Si bajulus tecum, benefactorem seu patrem domus illico conveni, ac ab eodem cibaria bajulo tuo exora.

156.

Precando intrasti diversorium, gratias agendo egredere. Nil iniquum, sed neque ingratum quod nominetur in aut de nobis; « *sed magis gratiarum actio* » (Eph. 5, 4). Domesticorum uni alterive, liberis etiam in testimonium gratitudinis relinque quidquam ex sanctuariis tuis, impensam tibi beneficentiam lauda; et preces tuas adpromitte.

Salutato Conventu tuo.

157.

Ingressus monasterium, siste te ocius Superiori tuo, pete ab eo prostratus benedictionem. Honora, venerare hunc, sicut tuum dominum, cogita Deum te audire, dum Superiorem audis. Nunquam in personam, in dotes, in virtutes Superioris respice, quasi in objecta amoris et reverentiae tuae, quam in persona Superioris soli Deo debes. Neque defectus, quos lyncei oculi tui in Superiore notant, hujus personam tibi viliorem faciant. Soli et lunae maculae adhaerere videntur: luminaria tamen sunt orbis, et princeps planetarum ille, haec regina noctis.

158.

Ut reverentiam Superiori, ita charitatem et benevolentiam cuique Fratri debes. In osculo sancto, in visceribus Jesu Christi dilexit fratres suos Apostolus: ita dilige; placebis Deo et hominibus; ita diligeris. Nescit verus et purus amor blandi-

menta, simulationes, nugas et jocos. His corda mundana, non religiosa inescantur. Ingressus monasterium excipe fratres, et notos et non notos eadem charitate.

159.

Ut vinculum charitatis mutuae firmetur magis, et in pace sit locus tuus, esto sedulus in laboribus et exercitiis communibus. « *Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* » (Prov. 18, 19).

160.

Ne gloriare de praestitis servitiis tuis, de ingenii tui facilitate, capacitate etc.; humilis esto, et aliorum defectibus ac infirmitatibus compatere. « *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* » (Gal. 6, 2).

161.

Obsequia charitatis, quae vires tuas non excedunt, nulli denega, quin ultro eadem offer. Ut sis apostolus, *omnibus omnia* cum Apostolo esto (I. Cor. 9, 22).

162.

Ama silentium et solitudinem; et si haec relinquenda, esto inter fratres tuos ut fratrum minimus, reverens in omnes: « *honore invicem praevenientes* » jubet Paulus Romanos esse (cap. 12, 10) et in Romanis omnes vitae christianae (quanto magis apostolicae) sectatores.

Haec si observaveris, salutans tuos et Conventum tuum: o quam pacificus, quam acceptus erit ingressus tuus! et haec observa, ut verum sit illud: « *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* » (Ps. 132, 1).

Regulas alias (*tyroni* enim hae pagellae conscriptae sunt, vitam apostolicam in limine salutanti, *non viro apostolico)* confessario moribundis assistenti, vicario parochiali observandas, lectio sedula, studium indefessum, fervens meditatio, et praxis solida dabunt.

Confrater charissime! tibi hacc sufficiant, et hisce, quasi viatico instructus, egredere schola tyrocinii tui, et apostolicis gressibus terram peregrinationis tuae obambula. Cape documenta haec, « *ne recedant ab oculis tuis* » ; « *custodi ea in medio cordis tui; vita enim sunt invenientibus* (et tenentibus) *ea, et universae carni sanitas* » (Prov. 4, 21. 22).

CAPUT IV.

De Missionibus inter Saracenos et alios infideles.

De requisitis qualitatibus et de obligationibus Missionarii Franciscani.

« Quicunque Fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a suis Ministris Provincialibus; Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis, quos viderint esse idoneos ad mittendum » (S. Regula, cap. XII).

Constitutiones Generales vero de hoc capite sequentia tradunt: « Quia ex sancto Evangelio, quod specialiter in Regula profitemur, Apostolorum exemplo quasi haereditario jure nobis congruit catholicae fidei propagatio; ut hac etiam in parte Instituti nostri teneamus rationem, simulque Seraphici Patris nostri mandatum de Fratribus idoneis ad infideles mittendis pie exequamur, rogamus omnes Praelatos Generales et Provinciales, ut omnes Missiones Ordini nostro a S. Sede commissas et committendas, singulari favore et sollicitudine prosequi nunquam omittant.

« Qui ad Missiones destinari peroptant, nonnisi implorato primum per humiles preces divino lumine et adhibito propriae conscientiae moderatoris consilio, litteras obedientiales per suos Provinciales a Ministro Generali petant. Quod si Minister Provincialis renuat, etiam directe ad Ministrum Generalem scribere poterunt. Minister vero Generalis solummodo illis obe-

dientias mittat, quos post exactas informationes a Ministris Provincialibus receptas, dignos et idoneos invenerit.

« Ministri Provinciales, posthabito quocunque alio respectu, sinceras exhibeant informationes, memores judicii Dei, cui de bono non promoto, et de malo non impedito ob ambiguas informationes reddituri sunt ». — « Nemini liceat illos, qui sanctae vocationis signa dederint, et a Ministro Generali litteras obedientiales obtinuerint, a suo sancto proposito sub ullo praetextu dimovere ». — « Missionarii Statuta peculiaria pro respectiva missione praescripta, necnon S. Congregationis de Propaganda Fide decreta [1] ad amussim observare tenentur ». (Const. Genles. cap. XII. nn. 701—705).

Sed negari non poterit, haud raro accidere, ut juveniles animi egregiis a majoribus nostris exantlatis laboribus moti et inflammati, sine sufficienti ulteriori deliberatione ad Missiones vocatos se credant, sicut et hoc possibile esse posset, ut quidam minus probatus et dyscolus frater « eundi licentiam » speret aut petat, eum in finem, ut suo tempore vinculis monasticis solutus liberius vivere possit. Hac ex causa haud abs re erit, quaedam hic ex R. P. Bernardi van Loo libello « de Missionibus nostris » et ex Expositione S. Regulae R. P. Alberti a Bulsano (Ord. Min. Capucc.) subjungere *de conditionibus, quae requiruntur, ut quis cum fructu et sine propriae salutis detrimento missiones inter infideles suscipere possit.* — Solide et breviter ad rem nostram scribit laudatus auctor P. Albertus: « Ut praestantissimum Missionarii munus semper in Ordine Seraphico debito modo suscipiatur, S. Pater pro illis, qui ad fidem catholicam propagandam « *voluerint ire inter Saracenos et alios Infideles* », tria requirit: 1mo, ut sint divinitus vocati seu « *divina inspiratione* » commoti ad hoc munus suscipiendum; 2do, ut sint « *idonei* », ac necessa-

[1] Conf. opus nuper editum: « *Collectio Decretorum* a S. Congr. de Propaganda Fide », in quo compendiantur S. Sedis decisiones apostolicis Missionariis convenientes.

riis pro tanto munere qualitatibus instructi; et 3tio, ut «*petant*» et obtineant «*licentiam a suis Ministris Provincialibus*», qui eam solummodo idoneis concedere possunt».

Ad primum. «Sapientissime sane S. Pater pro Missionariis ante omnia exigit ‚divinam inspirationem', seu vocationem, sine qua gratiae divinae, ad tam arduum et periculosum munus exercendum necessariae, exspectari non possunt. Divina vero inspiratio, seu vocatio praecipue ex motivo cognoscitur, ex quo quis ad Missionarii munus suscipiendum se incitatum sentit, et quod nullum aliud esse debet, quam ardens desiderium gloriam Dei et salutem animarum promovendi. Qui ergo ex levitate et mobilitate animi nunquam de suo statu contentus, vel ex curiositate novas regiones novasque gentes videndi, vel ex ambitione sibi nomen aliquod aut conspicuam dignitatem acquirendi, vel ex desiderio jugum obedientiae excutiendi et disciplinam regularem fugiendi, vel ex aliis non satis honestis motivis ad Missionarii munus suscipiendum incitaretur, jam prima et maxime necessaria conditione, ab ipsa Regula requisita, careret, et ideo, ut recte observat *Politius,* ab immaturo suo consilio desistere deberet, ne tum suam, tum aliorum salutem maximo periculo exponat. Qui autem putat, se nonnisi ex optimo fine munus Missionarii desiderare, caute tamen procedat, et vocationem suam attente examinet, juxta monitum Apostoli: ‚Probate spiritus, si ex Deo sint' (I. Joan. 4, 1). Per fervidas ergo preces a Deo lumen imploret, per quod divinam inspirationem ab impulsibus naturae et a suggestionibus daemonis, qui haud raro in Angelum lucis se transfigurat, recte secernere valeat. — Dein nullatenus suo unice judicio confidat, sed intimos sensus suo Confessario candide manifestet, ejusque judicium audiat: quodsi Confessarius minus doctus aut expertus sit, valde consultum erit, ut deliberatio tanti momenti viro docto, pio et experto manifestetur, ejusque judicio subjiciatur».

Ad secundum. «S. Pater Franciscus vult, ut nonnisi ‚idonei' seu necessariis qualitatibus instructi ad Saracenos

aut alios Infideles mittantur. Ut vero Fratres ad tam arduum munus idonei reputentur, *S. Bonaventura* (Expositio super Regul. FF. Minorum, cap. XII. n. 2.) quatuor qualitates requirit; ait enim: 1mo. Sint robusti corpore; nam, qui debiles et infirmi sunt, vel de sua salute corporali nimis anxios et sollicitos se ostendunt, et omnia sanitatis laedendae pericula reformidant, apti non sunt ad famem, sitim, frigus, aestum, itinera per aquas, glacies et nives aliasque Missionariorum molestias perferendas. 2do. Sint constantes in fide, i. e. tali circa veritates fidei scientia instructi, ut non solum ignorantes recta docere, sed etiam aliter sentientes et dogmata catholica impugnantes refellere possint, ac praeterea in animo tam firmam de fidei veritatibus persuasionem et in corde talem erga catholicam Religionem affectionem habeant, ut pro hac etiam sanguinem effundere parati sint. (Pro defensione fidei, peculiaris regionis, ad quam destinantur, errores eosque confutandi modum rite cognoscant; quum autem communis nostri temporis error sit rationalismus, praecipuum controversiae studium circa illum versetur necesse est). 3tio. Sint probati virtute, i. e. non solum nullum vitium morale, quod dominetur, in ipsis appareat, sed potius sint humiles, mansueti, sobrii, orationis exercitio dediti, charitate erga proximum ferventes. Maxime autem opus est, ut sint *probati virtute castitatis;* nam, qui in hoc puncto fragiles sunt, nullatenus se plurimis, quae in Missionibus occurrere solent, periculis exponere possunt. 4to. Sint *semper irreprehensibiliter conversati;* qui enim inter monasteriorum moenia laudabilem vitam non agunt, regularem disciplinam non observant, Superioribus non obediunt, aut alio modo reprehensibiles se ostendunt, idonei censendi non sunt pro Missionarii munere, in quo libertate, qua potiuntur, nimis facile in detrimentum animae suae, in scandalum aliorum et in Religionis dedecus abutuntur. *Pisanus* adhuc plura, quam Seraphicus Doctor, pro Missionario exigere videtur; ait etiam: ‚Idoneitas attendenda est in litteratura, in personae sanctitate, religio-

sitate et vita, ac fidei zelo et fervore, mundi et sui perfecta abnegatione' ».

Ad tertium. « Qui se ad Missionarii munus suscipiendum vere a Deo vocatos putant, debent juxta clara S. Regulae verba ad hoc perficiendum ‚a suis Ministris Provincialibus licentiam petere'. Hi vero obligantur caute inquirere, an postulans necessariis ad tam arduum munus qualitatibus praeditus sit an non; quoniam a S. Regula prohibetur, aliis petitam licentiam concedere, quam illis, quos ad Missionarii munus idoneos cognoverint. Si viderint eos idoneos ad mittendum, dent ‚*eis licentiam et non contradicant*', ut in expressis verbis mandavit S. Franciscus in prima Regula cap. XVI. ‚*Graviter* enim, ut multi volunt, *peccaret Min. Provincialis*, si eum, quem coram Deo idoneum cognovit, absque gravi causa, a Min. Generali dijudicanda, a Missionibus retinere vel retrahere conaretur' ».

NB. Notandum vero est, juxta recentiorem Ecclesiae disciplinam, totum de Missionibus et Missionariis negotium ad S. Congregationem de Prop. Fide et simul *ad Ministrum Generalem pro Ordine Seraphico spectare.* Porro, quamvis Minister Generalis variis missionibus idoneos Religiosos mittere debeat, non tamen tuto obligare potest renitentes ad munus Missionarii apud infideles suscipiendum cum tanto periculo animae et corporis. Aliter sentiendum est de missionibus, quae in regionibus haereticorum et schismaticorum habentur, ac inter limites Provinciae continentur, et quibus Minister Provincialis idoneos Fratres providere debet. Ad has missiones suscipiendas Ministri Provinciales subditos suos vi obedientiae obligare possunt, quia Provinciae alumni se per professionem jam quodammodo obligant ad ejusdem Provinciae onera ferenda.

Hisce de qualitatibus in Missionario requisitis ex P. Alberto a Bulsano supra adductis, opportunum erit quaedam deliberare de quaestione, « *an scilicet Regulares in missione degentes obligentur ad observantiam Regulae suae et Constitutionum* » ?

Pro solutione hujus quaestionis praemittere libet ea, quae *S. Thomas* habet (2, 2. q. 185. a. 8), ubi inquirit: « *an Religiosi, qui promoventur in Episcopos, teneantur ad observantias regulares* »? Et respondet: « *Affirmative* », quantum ad illa, quae non impediunt Pontificale officium, sed magis valent ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas et alia hujusmodi, ad quae remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus. Si igitur Religiosus factus Episcopus ab observantiis regularibus, quae non impediunt munus suum, non absolvitur, id fortiori jure dicendum est de Religioso facto Missionario. Si enim conducit observantia regularis tamquam dispositio ad perfectionem status episcopalis, non minus conducet ad perfectionem apostolicae missionis; ac proinde, si dispositio illa non tollitur, perfectione adveniente in Episcopo, multo minus tolli debet, adveniente munere missionis. Unde recte concludit *P. Gaudentius Kerckhove*, positam quaestionem solvens (Com. in Stat. Gen. cap. 3. § 2. n. 31): « *Fratres Missionarii, sicut manent veri Fratres Minores, manent per se obligati instar aliorum Fratrum ad praecepta Regulae, quantum ea possunt consistere cum functionibus, ad quas missi sunt* ».

Quaestio haec tandem extra omnem controversiam posita est per *Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide de die 5. Junii 1852 a Sanctissimo Domino Pio IX. approbatum,* quo norma procedendi praescribebatur in condendis statutis pro Missionariis Provinciae Germaniae inferioris: quod documentum, cum ad omnes Missionarios spectare nobis videatur, partim hic referendum esse duximus. Praemissis iis, quae in peculiaribus Conventuum statutis observanda erant, sequentia monita dedit S. Congregatio quod pertinet ad statuta pro Missionariis condenda:

« Cum magna pars Religiosorum Provinciae ex Missionariis constituatur, peculiari cura studeant iidem statutorum conditores, ut ordo diurnus et exercitia spiritualia in communi peragenda ipsis praescribantur, legesque sapientes et saluti-

ferae statuantur, quibus et ipsi possint in medio mundo pravo et perverso spiritum religiosum conservare, et juxta Regulae Seraphicae sanctiones evangelicam ducere vitam. Sciant propterea Patres Missionarii, sese ad Regulam, quam sunt professi, et ad illa statuta Ordinis generalia, quae muneri missionis non repugnant, esse adstrictos, ac Provinciae Superioribus (pro Missionariis inter infideles intelligas « *Ordinis Superioribus* ») in omnibus, quae ad regularem disciplinam pertinent, manere subjectos, non secus ac ceteros Conventuum alumnos. Insuper, cum omnia et singula, in Decretis S. Concilii Tridentini (de reform. Regularium, sess. 25) contenta, observari S. Synodus praecipiat in omnibus coenobiis ac monasteriis, collegiis ac domibus quorumcunque Monachorum ac Regularium, prae oculis jugiter teneant, ut clausurae lex, ac praesertim vita communis, in omnibus servanda praecipiatur, et ab omnibus fideliter observetur, juxta cap. I. ejusdem Sessionis. Item, ut omnis proprietas prohibeatur (juxta cap. II) et remedia contra proprietatis spiritum valitura Religiosis praescribantur. Ut autem sancta paupertas, Ordinis Seraphici decus et fundamentum, inviolate custodiatur, attendant, Religiosorum supellectilem statui paupertatis, quam professi sunt, consonam esse debere, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod necessarium sit, iis denegetur. Tandem quoniam ea, quae S. Synodus (in ead. sess. 25. cap. I: « *Optandum est* ») pro disciplina ecclesiastica restituenda statuit, ab omnibus Missionariis regularibus fortiore jure veniunt observanda, solliciti sint statutorum conditores, ut ea praecipiantur ac prohibeantur, quae in memorato Decreto injuncta aut vetita reperiuntur. Ea demum ordinanda ac praefinienda, quae peropportuna aut necessaria videantur Missionariis injungenda, ut missionis munia digne impleant, et uberiores in vinea Domini fructus colligere queant » (Sic Decretum S. Congr. de Propaganda Fide, 5. Junii 1852).

Haec ergo sunt decreta fundamentalia, seu certa principia, quae S. Congregatio prae oculis haberi voluit in con-

dendis statutis pro Missionariis Provinciae Germaniae inferioris. Quamvis ad nos non pertineat declarare, eadem pro omnibus Ordinis nostri Missionariis valere, hujus tamen sunt naturae, ut cuivis attendenti apparere debeant tamquam *ad omnes Missionarios* spectantia. Quae enim in hoc Decreto observanda praescribuntur, vel ipsi *juri naturae*, vel *S. Concilii Tridentini praescriptis*, vel *indubitatis obligationibus religiosi status innituntur.* Optandum proinde nobis videtur, ut juxta praefatum Decretum varia pro variis missionibus condantur statuta, horumque observantiae sedulo invigilent Superiores, ut Missionarii in medio mundo pravo atque perverso spiritum religiosum conservare et juxta Regulae Seraphicae sanctiones evangelicam ducere possint vitam, et ita missionis munia digne valeant implere et uberiores in vinea Domini fructus colligere queant.

Quis enim dubitat, a sancta Missionariorum conversatione plurimum pendere fructus laborum et salutem animarum? Quamvis gratiae coelesti tribuendae sint peccatorum conversiones, divina tamen providentia fit, ut eorum praecipue fructificent labores, qui per vitae sanctitatem animaeque puritatem intime Deo manent conjuncti. Hi sunt, per quos salus fit in Israel, prout ipse Salvator testatus est, dicens: « *Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere* » (Joan. 15, 5). Haec palmaris veritas non solum Ordinis nostri Seraphici, sed omnium saeculorum confirmatur experientia. Apostoli enim, et qui post eos integra regna converterunt Christo, non sublimitate sermonis aliisque humanis adminiculis, sed virtute Dei, humili prece sanctaeque vitae ratione tot tantaque mirabilia operati sunt. Ut ad nostros veniam Missionarios, omissis omnibus aliis innumeris fere missionibus nostris, solummodo de Missione nostra in Mexico recogitetur, et intelligetur, quare primi operarii Franciscani paucis annis fere integram illam regionem Christi jugo subjecerint. Nec de fructibus in Japonia a Franciscanis relatis ullus

mirabitur, si attendatur, quanta austeritate, quam exacta Regulae observantia, quibus virtutum exemplis inter infideles emicuerint. De primorum Missionariorum sancta conversatione et fructiferis laboribus egregium testimonium reliquit *F. Joannes a Zamora*, dictus « *Pauper* », in sequenti relatione, quam scripsit P. Ludovico Maldonato, a quo in Japoniam missus fuerat, ut canonicam ibidem visitationem institueret, et quam ad omnium aedificationem hic referendum curavi :

« Mi chare Pater! Talia tamque mirabilia vidi in istis regionibus, ut vel durissimus quisque ea recogitans non moveri non possit. Vidi etenim Religiosos magnae sapientiae genuflexos ad pedes leprosorum, propriis manibus eos lavantes, eorum ulcera curantes et amore Dei tenerrime osculantes: quod certo melius, quam ipsa miracula eorum sanctitatem testatur. Pauca dicunt, sed stupenda sunt, quae complent opera pro servitio Dei et spirituali proximi utilitate; et quod majori adhuc laude dignum est, juxta Seraphici Patris nostri mandatum tam pauperem, humilem et poenitentem vitam ducunt, ut vestigiis primorum sociorum S. Francisci perfecte inhaereant. S. Patriarcham in omnibus imitari studentes ecclesiam suam dicarunt Sanctae Mariae Angelorum. Exsurgit haec inter 2000 circiter templa paganorum, in medio magnae civitatis de Meaco: quae facta est centrum religiosum omnium regnorum Japoniae ad instar urbis Jerosolymitanae, quam in medio terrae sitam esse dicunt. In hac ecclesia fratres nostri excubias agunt contra infanda opera Bonzonum, quorum plus quam 20000 in hac civitate numerantur.

« Religiosi sequentem ordinem exercitiorum observant. Media nocte semper surgunt ad Matutinum, quod minori aut majori solemnitate pro festorum ratione recitant: quo absoluto, diu adhuc in ecclesia remanent, corpus suum disciplinis castigantes longasque trahentes orationes. Sub aurora alias absolvunt horas canonicas, Missaeque offerunt sacrificium; dein usque ad prandium in xenodochiis curant leprosos, confessiones excipiunt, verbum Dei annuntiant, baptizant et linguam

Japonicam addiscunt. Hora secunda pomeridiana dicuntur Vesperae; post quas redeunt ad xenodochia usque ad horam octavam, qua necessariae se committunt quieti, ut media nocte surgere et die sequenti consuetos labores valeant explere. Haec omnia propriis oculis vidi, sed plura his tibi Maniliae coram narrabo ».

En quibus mediis sancti Ordinis Seraphici Missionarii millenos infideles Christo pepererunt atque immortale sibi nomen compararunt! Haec stupenda virtutum exempla stimulo sint *Juvenibus nostris,* qui ad exteras Missiones inter infideles vocatos se sentiunt, ut ante omnia cum omni conatu in virtutibus se exerceant, virtutibusque monasticis, continuis precibus et sedula in scientiis diligentia ad tam arduum simulque meritorium munus cum divina gratia se praeparent, uti fecerunt sancti et beati Confratres Joannes de Prado, Odoricus a Forojulio, Franciscus Solanus, Martyres Japonenses, aliique innumeri sancti et pii Missionarii Ordinis nostri Seraphici: sed stupenda haec virtutum exempla stimulo sint etiam *ceteris evangelicis nostris operariis in Missionibus* jam occupatis, ut spiritum religiosum conservent et obligationes sui status religiose adimpleant. Saepius proinde recogitent, curam propriae salutis et perfectionis omnibus aliis negotiis anteponendam esse, dicente Salvatore: « *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* »*?* atque eas tantum diei horas sacro ministerio impendant, quae supersunt post expleta exercitia spiritualia. Hoc postulat vera charitas, quae a semetipso incipere debet; hoc proximi etiam suadet utilitas; qui enim sibi nequam, cui bonus? — Contra quo intimius quis Deo conjungitur, et virtutes Jesu Christi perfectius imitari studet, eo majores fructus e sacro suo referet ministerio. Hoc sancti Missionarii probe scientes, tantum temporis orationi propriaeque sanctificationi, quantum proximi dabant utilitati, et inde tot fructus salutis in animabus reportabant. Utinam saperent et intelligerent omnes Missionarii, sibique non minus, quam

aliis viverent atque proficerent; tunc certe Deus ipsorum benediceret laboribus atque in eis impleretur sequens benedictio sancti Patris nostri Francisci:

« *Benedicti vos a Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis ostenditis, et vos in sancta Evangelii observatione puros et sinceros custoditis* ».

TRACTATUS VI.

De meditatione sive oratione mentali.

CAPUT I.

De praestantia et utilitate meditationis.

1. Quaeritur primo: *quid et quotuplex sit oratio mentalis?* Resp. Omnis illa oratio, quae absque usu linguae et labiorum motu, sola mente seu animo et cogitatione fit, oratio mentalis est et dici potest; a mente enim, seu animo, quo solo fit, *mentalis* dicitur. — Oratio mentalis duplex est: una est, qua Deum absque praecedenti, vel sine admixta meditatione seu consideratione, sola mente rogamus, invocamus, gratias agimus etc., sive dein id breviter, sive longius fiat: in quo sensu etiam breves orationes, seu preces jaculatoriae quaevis, sive longior sive brevior petitio ac invocatio gratiae et auxilii divini, ac quaevis recursus ad Deum, sola mente factus, oratio mentalis est.

2. Altera oratio mentalis, et quidem *proprie talis*, ac ad nostrum propositum est, quae ex praecedenti, seu mediante attenta, et seria alicujus rei meditatione seu consideratione sequitur, utpote ex qua consideratione voluntas movetur ad varios pios affectus et actus virtutum, variasque petitiones et proposita pro diversitate rei consideratae gratiaeque divinae illuminantis ac moventis, interne producenda, seu elicienda, consequenter ad orationem mentalem (quae in praefatis piis voluntatis actibus et affectibus principaliter consistit) faciendam. Et haec oratio mentalis communiter vocari solet *Meditatio.*

3. Est ergo meditatio: *attenta et seria aliqua alicujus rei, seu materiae, prius jam determinatae et praeparatae consideratio ad hoc, ut bene cognoscatur et imprimatur, in-*

deque voluntas moveatur ad varios pios affectus et actus virtutum, petitionum et propositorum, pro diversitate rei consideratae gratiaeque divinae illuminantis et moventis producendos; vel brevius: *Meditatio est attenta rei alicujus consideratio ad hoc, ut voluntas ad eliciendos pios affectus et actus et facienda bona proposita moveatur.* Utraque haec meditationis descriptio ex terminis patet ex eaque praestantia et utilitas meditationis facile conjici potest.

4. Etenim tanta est **praestantia et utilitas meditationis** seu orationis mentalis, ut nec calamo exprimi, nec verbis declarari valeat. Ascetae et SS. Patres, quamvis mire extollant meditationem seu orationem mentalem, et in demonstranda illius praestantia et utilitate maxime se diffundant, fatentur tamen, linguam et calamum sibi in hoc deficere. Id fatentur etiam omnes orationi mentali debite incumbentes, utpote qui multiplices et mirabiles effectus ac fructus illius jugiter percipiunt quidem, et sentiunt, illos tamen sufficienter explicare nequaquam valent. Nimis longum foret et integrum librum requireret, si vel decimam partem eorum, quae de praestantia et utilitate orationis mentalis scripserunt SS. Patres et rerum spiritualium Magistri, adducere vellemus. Scribit de meditatione S. Laurentius Justinianus (de casto Connubio cap. 22): « *Nihil aptius mentem refraenat, quam attenta meditatio, quae in oratione proponitur: haec quidem ab exterioribus cor amovet, et ad se redire compellit. Haec est disciplina mentis, spiritualis paedagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio et intentionis mentis provida gubernatrix. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, cogitationes purgantur, solitudo sapit, delectat Deus, ingenium acuitur, castificantur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur et animus ad alta suspenditur. Ipsa est spiritualis janua orationis, per quam verbum ab ingredientibus agnoscitur et puris muneribus honoratur* ». — Nec discrepat S. Bernardus, qui (lib. I. de considerat. c. 7) meditationis fructus allegans, ait: « *Mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit af-*

fectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. Haec est, quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens». «*Omnis profectus*», inquit S. Isidorus (lib. 3. de summo Bono c. 8), «*ex lectione et meditatione procedit; quae enim nescimus, lectione discimus, quae autem didicimus, meditationibus conservamus*».

Alii SS. Patres incredibilem praestantiam et utilitatem meditationis seu orationis mentalis breviter, universaliter et efficaciter demonstrare volentes, jure merito ei tribuunt, quod ex meditatione vel maxime vera generetur sapientia, id est, scientia et cognitio Dei atque divinorum. Ex hac cognitione amor illorum et affectus erga illa, cum isto autem omne aliud bonum: ut proin, sicut de sapientia, ita de meditatione tamquam matre et radice sapientiae, proprie et verissime dici possit illud (Sap. 7, 11): «*Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*».

5. *Ratio* autem, quod tot tantique fructus ex meditatione sequantur, praeter alias potissimum triplex est, et quidem *Prima*: qui frequenter meditatur, et res secundum substantiam, proprietates et effectus considerat et expendit, necessariam in cunctis, ac sufficientem boni et mali notitiam perfectamque rerum, de quibus meditatur, cognitionem successive acquirit, accedente praesertim divino lumine, quo Deus in meditatione subinde ita docet et illustrat, ut unica meditatione major et utilior rerum acquiratur cognitio, quam per longi temporis studium. Ex qua cognitione voluntas faciliter, et quasi necessario movetur ad bonum cognitum amandum et eligendum, malum vero odiendum et fugiendum, aliosque virtutum actus, resolutiones et proposita, pro diversitate rei consideratae elicienda et repetenda.

Altera ratio est: Quod, qui frequenter meditatur, meditando non tantum necessariam rerum notitiam et cognitionem acquirat, sed eam menti et memoriae etiam bene imprimat, indeque voluntas non tantum tempore meditationis ad conve-

nientes virtutum actus et proposita moveatur, sed etiam tempore occasionis ad eadem observanda et exequenda fortiter et efficaciter incitetur, hoc ipso, quod rationes et motiva, prius per meditationem cognita et proposita propterea facta menti etiamnum oberrent, ac sicut prius ad faciendum, ita nunc ad exequendum moveant. Quis enim, quaeso, voluntarie peccare audeat, si etiam occasione oblata, ac tentatione urgente, bene recordetur eorum, quae de gravi malitia et damnis peccati prius clare cognovit? Quis jactare se audeat, si reminiscitur, quod, uti in meditatione plene cognovit, per vanam jactantiam Deo plurimum displiceat, peccati damna et effectus incurrat, meritum suorum laborum perdat, et loco illius poenam contrahat, simulque causet, quod Deus imposterum in simili gratiam minuat vel deneget. Et sic de ceteris, v. gr. de motivis patiendi propter Deum, amandi Deum, confidendi in Deo; horum enim si quis tempore occasionum recordatur, esse non potest, quin saepe malum omittat et bonum faciat, quod alias non faceret, si memoriam illorum non haberet, quam per meditationes comparavit.

Tertia, et omnium maxima fructus et utilitatis ratio est, quia in meditatione seu oratione mentali discimus et assuescimus varios bonos affectus virtutum, petitionum et bonorum propositorum actus ingenti cum beneplacito divino nostroque merito et fructu, emendationis praesertim et progressus in virtute ac perfectione elicere. Item per eosdem actus discimus et assuescimus Deo uniri, cum eoque loqui, seu conversari, et ipsum ejusque inspirationem audire, cognoscere et sequi. Qui fructus major est, quam dici et explicari potest; tum, quia radix plurimorum aliorum fructuum est; tum, quia unionem, adhaesionem et conjunctionem cum Deo et cum hac omne bonum successive causat, summum beneplacitum et gaudium, quod Deus habet, videlicet esse et conversari cum homine, juxta illud (Prov. 8, 31): « *Deliciae meae esse cum filiis hominum* », in meditatione seu oratione mentali potissimum acquirit, dum homo ex instituto notabile tempus ad hanc solam sanctam conversationem applicat.

6. Sane homini per varias inspirationes, monitiones, et lumina Deus saepe loquitur et adhuc saepius loqui, ac amplius omnis generis dona et gratias dare vellet; sed multi non praebent aures, nec audiunt ipsum, vel, si audiunt, non cognoscunt vocem ipsius, et propterea plurimas gratias et inspirationes negligunt, transire permittunt nullumque inde fructum hauriunt: dum econtra illi, qui frequenter meditantur, voces et inspirationes audiunt, cognoscunt et magno cum fructu sequuntur, etiam extra meditationem hoc ipso, quod in hac ipsum audire et cognoscere jam didicerint et assueverint. Puer Samuel vocem Domini bis sibi loquentis audivit quidem, sed non cognovit, quia, ut Scriptura dicit: « *Samuel necdum sciebat Dominum* » (I. Reg. 3, 7), nondum didicerat, nec assueverat loqui Domino, vel audire illum; at, ubi desuper instructus, Deo loqui, et eum audire didicerat, vocem illius optime audivit, eamque audiens et sequens ingentes semper retulit fructus. Sic contingit illis, qui prius meditationi non addicti, meditari incipiunt et continuant.

7. Tantam igitur ob praestantiam et utilitatem, meditationem omnes Patres et Ascetae, omnesque perfectae animae summe semper aestimarunt, diligentissime practicarunt et nobis commendarunt. Inter quos in specie adducitur sanctus ille vir secundum cor Dei David, utpote qui quasi continuo in meditatione legis divinae existens, fructus illius mire extollit, omnesque beatos et in cunctis felices proclamat, qui meditationi sunt addicti, ut passim constat ex Psalmis illius. In primo siquidem statim incipit: « *Beatus vir, qui etc. in lege ejus meditabitur die ac nocte* » (v. 2); audi fructum (v. 3): « *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia, quaecunque faciet, prosperabuntur* ». Et (Ps. 118, 2) ait: « *Beati, qui scrutantur testimonia ejus* ». De seipso dicit (eodem Ps. 118, 117): « *Meditabor in justificationibus tuis semper* »; audiamus fructus illius (v. 99): « *Super omnes docentes me intellexi* »; quare? « *quia testimonia tua meditatio mea est* ».

8. Seraphicus sanctus Pater Franciscus assiduus et mirabilis erat in meditatione, ita, ut etiam integram noctem consumpserit meditando sola verba: « Deus meus et omnia »! Ob ingentem aestimationem et amorem meditationis voluit, ut fratres ipsius orationi, praecipue vero mentali, seu meditationi, sedulo essent addicti: ob quod ordinavit in Regula (cap. V), ut laborare etiam et studere valeant, ita tamen, ut « *sanctae orationis* (mentalem hic praecipue intelligit) *et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire* ». Sancti Patris verbum et exemplum secuti sunt omnes, quotquot habuimus in Ordine nostro sanctos et perfectos viros, utpote qui omnes excellentes et frequentes in meditatione seu oratione mentali, eadem mediante incredibiles fructus retulere, et ad tantum virtutum et perfectionis apicem pervenerunt, prout videre et legere est in Prooem. Meditationum Vitae Christi falso S. Bonaventurae adscriptarum.

9. Ex his collige: *a)* Quantopere per totam vitam quivis aestimare semper, amare et frequentare debeat meditationem. — *b)* Quam male sibi consulant, quantum errent, quantoque fructu se privent, qui ex frivolis, fictis et quaesitis causis meditationem, ubi possunt, fugiunt, declinant et decurtant, vel ad eam sero veniunt, aut eandem abbreviant. — *c)* Etiam illos sibi pessime consulere et graviter errare, si externis, etsi bonis, et ad salutem utilitatemque proximi ordinatis actibus, operibus et negotiis, totos se, vel in tantum impendunt, ut tempus meditandi sibi non sumant vel relinquant.

CAPUT II.

De necessitate et facilitate meditationis.

A. 1. Quaeritur: Quanta sit necessitas meditationis? Resp. Ad superandum, debite mortificandum et eradicandum malas passiones et inordinatos affectus; item, ad acquirendum solidas virtutes et veram perfectionem, sive christianam sive

religiosam, omnino et absolute necessaria est frequens meditatio seu oratio mentalis, adeo, ut sine frequenti meditationis seu mentalis orationis usu, nullus veram et solidam aliquam virtutem, multo minus perfectionem obtenturus, vel certe non diu in ea perseveraturus sit, sed malis passionibus ac inordinatis affectibus subjectus permansurus, et tempore suo, tentationis praesertim, vel alia data occasione suas certo imperfectiones ac virtutum defectum in effectu proditurus sit. Ita unanimiter iterum conclamant omnes SS. Patres et Ascetae, praeeunte Spiritu Sancto (Jerem. 12, 11) lamentante et dicente: « *Desolatione* (spirituali nempe ob abundantiam malitiae et perversionis) *desolata est omnis terra* »; audiamus causam: « *quia nullus est, qui recogitet corde* », id est, qui mysteria, principia et doctrinam fidei et salutis nostrae, debite consideret, meditetur et revolvat mentique imprimat, indeque ad perfectam illorum cognitionem et frequentem memoriam, ex hac ad aestimationem ac amorem, ex isto autem ad sequelam et observantiam deveniat. Sanctus David ingenue fassus est (Ps. 118, 92): « *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea* », id est, in perversa, corrupta et mala natura mea.

2. Confirmat hoc Bartholomaeus Riccius ex S. Chrysostomo (Serm. I. et II. de Orat.), dicens: *Quod oratio mentalis tam necessaria sit animae ad vitam spiritualem conservandam, quam necessaria est anima ad naturalem vitam corpori subministrandam et conservandam*, quod fuse deducit in Instruct. de modo recte meditandi P. I. c. 1. — Contestantur S. Theresia, S. Alphonsus Lig., Ven. Rodriguez aliique vitae spiritualis doctores, quod sit meditatio seu oratio mentalis pro Religioso « *conditio sine qua non* » ad tendendum ad perfectionem.

3. Confirmatur responsio etiam experientia, qua constat, quod nullus hucusque attigerit solidam aliquam et constantem virtutem, multo minus perfectionem vel sanctitatem, qui non frequenter se exercuerit in meditatione seu oratione men-

tali. Econtra vero eadem experientia constat, illos, qui meditationi addicti non sunt, eamque absque justa causa passim negligunt et omittunt, aut tepide et negligenter peragunt, plerumque plenos esse malis passionibus atque continuo subjacere pravis habitibus et vitiis, si non gravibus, saltem levibus, vitamque ducere vere tepidam, et hoc ipso summe periculosam.

4. *Ratio* responsionis praeter alias potissimum triplex est, eaque immediate opposita tribus rationibus supra ad *num. 3* positis; seu potius est defectus illarum rationum, ob quas meditationem tam praestantem et utilem diximus. *Prima* est: Quia, qui non vacat meditationi, debitam et sufficientem cognitionem boni ac mali, aliarumque rerum ad salutem scitu necessariarum non habet, indeque nec ad amandum et prosequendum bonum, nec ad aversandum ac fugiendum malum voluntas illius sufficienter movetur, nec ipse efficacia proposita elicit, hoc ipso, quod voluntas non feratur in incognitum: « *Cum nil volitum, quin praecognitum* », et: « *Ignoti nulla cupido* ». Quantum autem animae damnum afferat isthaec ex neglectu meditationis proveniens ignorantia rerum spiritualium, satis explicare non possunt SS. Patres et Ascetae.

5. *Secunda ratio* est: Quod, licet etiam multi eorum, qui raro aut nunquam meditantur, ex lectione, studio, concionibus et discursibus acquirant et habeant rerum spiritualium aliquam cognitionem et notitiam, ea tamen ordinarie satis imperfecta et insufficiens, vel saltem menti et memoriae satis impressa non haeret; praesertim, cum paucae illae, debiles ac imperfectae rerum spiritualium species a passionibus, cura et sollicitudine hujus saeculi terrenisque cogitationibus et speciebus, quibus meditationi non addicti plerumque referti sunt, obruantur ac exstinguantur, vel ita debilitentur, ut parum aut nihil prosint etiam illis, qui bona mente ac voluntate eas ab initio susceperunt, teste Evangelio (Luc. c. 8), ubi aperte testatur Christus, plures quidem esse, qui verbum Dei ac necessaria et utilia salutis hinc inde audiunt, vel legendo

percipiunt quidem; sed quia cogitationem illorum et notitiam satis radicatam ac bene impressam (quae meditando acquiritur) non habent, ab inordinatis, quibus omittentes meditationem abundant, curis, sollicitudinibus, terrenisque et profanis speciebus, tamquam spinis, brevi ita obruuntur et suffocantur, ut necessarium fructum afferre non valeant, eo quod tempore occasionis, aut tentationis, omnino non, vel obiter tantum, obscure et insufficienter recordentur illorum, quae ad declinandum a malo, ac faciendum bonum, voluntatem movere possent et deberent; quod ipsum una ex principalibus causis ruinae spiritualis est. Hinc multi ex SS. Patribus existimant, omnes hominum imperfectiones omniaque eorum peccata provenire ex defectu verae fidei, non quidem, quasi non crederent (innumeri enim sunt, qui mysteria, articulos et principia fidei firmiter credunt), sed quia illorum, uti deberent, praesertim tempore occasionis et tentationis non recordantur, nec ea debite considerant; hoc enim si facerent, certissime aliter viverent et tot peccata non committerent.

6. *Tertia ratio* est: Quod, qui raro, aut nunquam meditantur, non discant, minus assuescant, consequenter nec bene sciant, nec bene possint, indeque nunquam, aut raro, vel certe nonnisi imperfecte soleant per internos bonos affectus et virtutum actus cum Deo conversari et agere; nec reciproce audiant, neque intelligant, adeoque nec sequantur, sed negligant ipsius vocem, illuminationes et inspirationes, ex quo non potest non ingens sequi jactura ac ruina; si enim in meditatione per internos actus, sanctamque cum Deo conversationem et unionem homo nunquam ardescit, nec conservatur et nutritur ignis devotionis, necessario frigescit charitas, tepescit animus, spiritus devotionis et fervoris deficit vel exstinguitur, taedium fastidiumque rerum spiritualium introducitur, omnis consolatio et gaudium in Domino perit, cessat, totaque vita et exercitia pia desipiunt, indeque vel omittuntur, vel negligenter peraguntur. Sed et multae imperfectiones, laxitates, dissolutiones aliaque illicita committuntur, mali habitus con-

trahuntur, et, quia omnis interna consolatio et quies in Domino abest, ad solatiuncula externa recurritur, malisque passionibus et inordinatis affectibus habenae laxantur, indeque sequitur, quod continuetur vita, si non graviter mala, saltem totaliter tepida, ita, ut anima tandem deveniat ad magnum totalis ruinae periculum, praesertim, quia imperfectum ac periculosum hunc vivendi modum deponendi, aut emendandi nulla, aut certe nonnisi tepida et inefficacia fiunt proposita, hoc ipso, quod voluntas nec a majori et clariori, bene fundata et impressa (quae frequenter meditando acquiritur) rerum notitia, nec ab inspiratione ac illuminatione divina, quam juxta dicta vel non agnoscunt, vel non audiunt, vel non sequuntur, efficaciter ad illa moveatur.

7. Ex his, dilecti fratres, colligetis *primo:* Non velle sedulo frequentare meditationem, esse idem, ac non velle tendere ad solidam virtutem ac perfectionem, cum haec sine illa, tamquam medio necessario, obtineri non valeat. — Colligetis *secundo:* Velle vitare, fugere, aut declinare meditationem, vel se eidem subducere, esse idem, ac velle subjacere suis malis affectibus, utpote qui sine illa eradicari non valent. — Colligetis *tertio:* si de aliquo cum veritate dicitur, quod non aestimet, non amet et frequentet meditationem, de eodem etiam cum veritate, et absque scrupulo dici possit, quod nulla in eo sit solida virtus, et multo minus aliqua in illo reperiatur perfectio. — Colligetis tandem *quarto:* Religionem, Provinciam, aut Conventum, in quo meditatio non aestimatur et debite non frequentatur; vel communitatem, ubi eadem a quovis passim et libere negligitur, vere esse, omnique jure dici posse miseram et penitus imperfectam, utpote quae Dei famulis aut famulabus, solida virtute et perfectione praeditis ordinarie caret; econtra imperfectis, tepidis etc. semper abundat, et a qua nec pro Dei gloria, nec aliorum salute insignis aliquis fructus sperari potest, sicut ait S. Bonaventura (De sex alis Seraphim, c. 2. n. 10): « *Arida est omnis Religio, quae non oleo isto saginatur; instabilis est bonorum operum*

structura, quae devotae orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine caemento. In omni Religione, ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere et propinquare ruinae ».

Propter hanc absolutam meditationis necessitatem omnia Ordinis nostri Seraphici *Statuta Generalia* inde ab Ordinis nostri exordio usque nunc promulgata ad mentem S. P. N. Francisci ante omnia urgent orationem mentalem, idemque, sed majori adhuc rigore *Reformatarum Ordinis Familiarum Constitutiones Generales, Statuta Provincialia* respectivis Familiis ac Provinciis inculcabant.

Audi *Statutorum Generalium* (an. 1827. cap. III. § VI. n. 209—213. p. 30) admonitionem: « Divinis officiis mentalis oratio jungi debet, qua nimirum ad divinos hauriendos fulgores et ad virtutum incitamenta nil opportunius, nihil ad retinendam regularis vitae disciplinam et ad conservandam, vel etiam instaurandum Religionis institutum magis necessarium credimus. Nec sane Religiosi nomine vere dignus est, qui sanctae orationis (mentalis) studio non fervet ». — « Fratres itaque omnes congruis temporibus et locis, juxta laudabilem et probatam cujusque Provinciae consuetudinem, simul convenientes, diebus singulis saltem per horam orationi incumbant, praemissa moderata lectione libri, qui vernacula lingua mysteria fidei contineat et explicet, in praeparationem et argumentum secuturae contemplationis. Speciali huic obligationi satisfieri non possit per processiones intra ecclesiam vel claustra, sive per recitationem Stationis SS. Sacramenti, vel quid aliud simile ».

« Qui interesse neglexerit, coram Fratrum capitulo disciplinae poenam subeat; et si admonitus in contumacia perstiterit, suffragiorum jure triennio careat, atque etiam carcere puniatur Provincialis arbitrio ». — « Superiores locorum de hoc sancto exercitio sint maxime solliciti. Fratres suos incitent verbo et exemplo, negligentes statutis poenis coërceant; quodsi et ipsi super his culpabiles fuerint, privatione officii, vel gravius puniantur pro negligentiae modo, Provincialium arbitratu. Provinciales ipsi saluberrima haec de oratione decreta totis in Christo viribus ac studiis servari curent. Si fecerint, nihil se

aut Deo gratius, aut Religioni fructuosius fecisse sciant » (Stat. Gen. l. c.).

Statuta Generalia Barchinonensia (pro Recollectis et Discalceatis) sequentia habebant: « Monemus Fratres omnes, ut congruis horis sanctae devotionis et mentalis orationis studio se exercere conentur; animadvertentes, nihil magis necessarium esse pro conservanda nostra Religione, quam juge sanctae orationis exercitium, quo deficiente omnia corruant necesse est ». — « Atque adeo secundum antiquam nostrae Religionis consuetudinem post Completorium omnes, tam Clerici quam Laici per spatium horae dimidiae orationi mentali devote insistant ». — « Post Matutinum similiter per id temporis spatium orationi vacent; idque observandum erit per totius anni circulum omnino » (Chronol. hist.-legal. t. I. p. 609).

Statuta et Constitutiones generales Familiae Cismont. Ord. S. Franc. Minorum Reformatorum: « Infallibiliter fiant duae horae, in communi, orationis mentalis singulis diebus, una hora semper post Completorium, vertendo clepsydram ad „Nunc dimittis" et alia post Nonam » (Const. General. Reform. cap. III. n. 11 et 12).

Idem legebatur in *Statutis Provincialibus:*

« Oratio mentalis singulis diebus bis instituatur, juxta Decreta Pontificia et Statuta Generalia: Matutina aestivo tempore fiat ante Primam, ab hora quinta usque ad sextam; pomeridiana autem semper absolvatur post Completorium. Et quidem ad priorem clepsydra vertatur, dum Litaniae de omnibus Sanctis inchoantur, ad posteriorem vertatur ad initium Cantici „Nunc dimittis" ». — « Omnes omnino ad orationem utramque conveniant, nisi fuerint gravissime impediti, . . . et etiam Fratres itinerantes semper curent meditationem absolvere » (Statut. Prov. Reform. S. Anton. Majoris Poloniae an. 1662. c. III. p. 34).

« Tempore matutino, dictis Litaniis omnium Sanctorum, duret meditatio media duntaxat hora et finita meditatione benedicantur omnes a Superiore aut digniore Chori . . . » « Post Completorium per integram horam ad clepsydrae fluxum duret meditatio vespertina ». — « Declaramus, a meditatione praesertim vespertina, neminem prorsus cujuscunque sit conditionis

aut dignitatis esse exemptum, unde omnes ad eam comparere teneantur, etiam Laici necessario et urgenti labore non impediti. Exeuntes a meridie ad eam reverti obligantur, nisi specialiter pro illa vice emanendi licentiam habeant, vel salus animarum aliud exposcat sub poena panis et aquae » (Statut. Prov. Reform. S. Crucis Croatiae-Carnioliae. an. 1719. c. III. p. 18. n. 18, 20).

« Mandamus, ut meditationi detur integra hora a quinta usque ad sextam, hiemali vero tempore post Matutinum . . . Post Completorium fiat recollectio usquedum detur signum collationis vel coenae. Ad hanc recollectionem domum reverti teneantur, quicunque extra Conventum fuerint, nisi specialem licentiam habeant, vel salus animarum aliud requirat, sub poena jejunii in pane et aqua » (Statut. Prov. Reform. S. Mariae Hungariae an. 1659. c. III. § 2. p. 22. n. 1—3).

Ejusdem quoad meditationem seu orationem mentalem tenoris erant etiam ceterarum Provinciarum Statuta antiqua. Eadem quoad orationem mentalem etiam novissimae « Constitutiones Generales Fratrum Minorum » (an. 1897, pag. 33. n. 161) praecipiunt sequentibus verbis:

« Fratres itaque omnes congruis temporibus et locis, juxta probatam cujusque Provinciae consuetudinem simul convenientes, diebus singulis saltem per horam, orationi mentali incumbant, praemissa moderata lectione libri, qui vernacula lingua mysteria fidei explicet. Ubi viget, consuetudo diutius meditandi retineatur. Speciali huic obligationi satisfieri non possit per processiones, sive per recitationem stationis SS. Sacramenti vel per quid aliud simile. Fratres, qui extra Conventum degunt, ab oratione mentali aliisque exercitiis pietatis non eximuntur. — Superiores de hoc sancto exercitio sint maxime solliciti: Fratres suos incitent verbo et exemplo, et negligentes poenis coërceant ».

Ex his colligite, dilecti Fratres, quanti momenti Ordo Seraphicus semper habuerit orationem mentalem, et quantopere Patres nostri omnimodis contenderint et contendunt, ut per hoc medium ad mentem S. P. N. Francisci semper in Religione nostra conservaretur et conservetur anima Ordinis nostri Seraphici, id est, spiritus sanctae orationis ac devotionis.

B. 8. His de necessitate meditationis dictis, jam **de facilitate meditationis** est agendum. Consulto et necessario ponitur praesens punctum ad detegendam et tollendam falsissimam et maxime nocivam apprehensionem ac opinionem, qua plurimi putant, meditari esse rem valde difficilem et abstrusam, altam insuper, sublimem, et nescio quam artificiosam, adeo, ut a solo nomine terreantur, ac de ea horrorem et fastidium habeant, indeque vel omnino fugiant et omittant, vel ubi et quantum possunt, declinent, praesertim, quia opinantur, et, ut dicunt, experientia probatum habent, se non posse utiliter meditari, consequenter melius esse, si tempus, meditationi alias deputatum, aliis iisque utilibus operibus, e. gr. orationi vocali impendant, quam quod inter continuas distractiones cum taedio ac fastidio, sine fructu meditari frustra conentur.

Gravissimus hic error et falsissima imaginatio a grandi fraude daemonis provenit, qua non tantum saeculares a potiori, sed etiam non paucos Religiosos a frequentanda meditatione deterret, et maximo cum detrimento illorum spirituali avertit. Ad hanc itaque falsissimam opinionem et nocivam meticulositatem detegendam et tollendam

9. Quaeritur: An et quam facilis sit meditatio? Resp.: Meditatio seu oratio mentalis facillima est, ita, ut quivis rationis compos faciliter meditari valeat, dummodo, quod in se est, humiliter ac simpliciter faciat, ac pauca quaedam eaque facilia observet. Cum enim juxta supra (n. 3) dicta meditari aliud non sit, quam assumere et proponere sibi materiam aliquam certam, illamque juxta naturam illius, proprietatem, circumstantias, effectus, causas etc. intellectus attente considerare et bene expendere, ad hoc, ut animus, seu voluntas moveatur ad convenientes virtutum actus et affectus, resolutiones et proposita facienda, quivis fateri debet, hoc facillimum esse, hoc ipso, quod semper in cujuslibet potestate sit, sibi proponere et assumere certam aliquam materiam eamque attente considerare, et circumstantiate bene expendere (quis enim prohibetur, aut impeditur ab hoc?). Si autem, ut facile potest,

hoc facit, convenientes, considerataeque et bene cognitae materiae proportionati affectus et actus, resolutiones et proposita animi, seu voluntatis, naturaliter et necessario quasi sequuntur; cum animus et voluntas nostra ex natura moveatur actusque ac affectus, resolutiones et proposita eliciat, juxta quod intellectus rem bonam, aut malam cognoscit, eique ut talem exhibet: ita, ut, si intellectus rem aliquam cognoscit voluntatique repraesentat ut malam, turpem, nocivam, odiosam, dolorosam etc., voluntas necessario moveatur ad illius odium ac aversionem, resolvatque et proponat eam fugere et declinare, ac insuper sollicita sit de mediis eam avertendi; econtra vero, si intellectus rem cognoscit, ac voluntati repraesentat vel exhibet ut bonam, utilem, jucundam, honorificam etc. moveatur ad amorem et desiderium illius, resolvat, et proponat eam comparare, sollicita sit et indaget de mediis illam acquirendi, eaque applicare resolvat. Videtis ergo, non difficile, sed facile esse meditari.

10. Quod ut adhuc magis capiatis, scire et notare debetis, dilecti fratres, in anima nostra tres potentias esse seu facultates: *memoriam* videlicet, *intellectum et voluntatem*, per quas potentias homo interne operatur et suos actus producit. Per *memoriam* reminiscimur, seu recordamur rerum praeteritarum, vel eas ut praesentes, aut futuras nobis simpliciter tantum repraesentamus. Per *intellectum* vero illas, quas nobis objicit aut exhibet memoria, magis consideramus, expendimus, ruminamur, desuper ratiocinamur etc. Per *voluntatem* denique circa ea, quae intellectu expendimus, varios affectus et actus pro diversitate rei consideratae, et cognitionis habitae, elicimus; illa, quae bona cognovimus, amando v. gr., desiderando, resolutiones pro ea assequenda faciendo, media ad illa necessaria determinando, impedimenta amovendo, aliosque convenientes actus exercendo; illa vero, quae per considerationem mala cognovimus, odio habendo v. g. timendo, ob ea jam facta dolendo, resolutiones et proposita de illorum fuga in futurum faciendo etc.

11. Hac itaque tres potentiae seu facultates animae ad quamlibet meditationem concurrunt, per easque quaelibet necessario fieri debet, et pro cujusvis libitu facillime fieri potest, praesertim cum praefatae potentiae naturali quadam connexione ac subordinatione subsequantur, et sese invicem suis in officiis juvent, unaque alterius actus naturaliter secundet ac facilitet. — Sic enim per *memoriam* recordamur rei, de qua meditari volumus, ac eam breviter repraesentamus, seu proponimus intellectui, quod utique facile est. *Intellectus* dein rem, sive materiam a memoria sibi propositam et exhibitam incipit et continuat attente considerare, exacte perpendere, desuper ratiocinari, memoria interea identidem, et quasi inadvertenter subministrante et suggerente nunc hanc, nunc illam rei meditandae partem, vel proprietatem, circumstantiam, aut etiam aliam ad propositum servientem materiam, quod, cum naturaliter seu juxta connaturalem modum naturae rationalis, et quotidie a quovis fiat, nullam etiam in se difficultatem continet. Et quoniam ex hujusmodi attenta et sedula rerum consideratione et perpensione major illarum cognitio naturaliter et necessario sequatur, pariter ex naturali quasi consequentia consequitur facilitas meditationis. — Denique etiam *voluntas* operatur suos affectus, et actus, resolutiones et proposita, pro diversitate materiae consideratae, ac cognitionis inde habitae elicit, hoc ipso, quod voluntas, utpote potentia caeca, in suis operationibus ab intellectu principaliter dirigatur ab eoque dependeat, ita, ut tales actus et affectus taliter circa rem aliquam eliciat, qualiter intellectus eam cognoscit, et ut eam cognitam exhibet, ipso intellectu et memoria eandem voluntatem ad memoratos suos affectus et actus, nova consideratione, vel recordatione intermedia ac intermixta, ubi ac quando indiget, denuo excitante, stimulante ac quasi adigente.

12. Confirmatur tandem meditandi facilitas evidenti experientia quotidiana, qua constat, quod omnes homines rationis compotes, viri et mulieres, juvenes et senes, docti et in-

docti, etiam simplices et rustici, per dictas tres potentias saepe et absque difficultate facillime et verissime meditentur, hoc ipso, quod nullus sit, qui non saepe, dum alicujus rei per memoriam recordatur, illam postea per intellectum attente consideret, ruminet, secundum circumstantias expendat, desuper deliberet, ac prout dein rem cognoscit, affectus, actus, resolutiones et proposita in animo ac voluntate eliciat, mediaque ad illa exequenda quaerat et assumat; quod a parte rei profecto nil aliud est, quam meditari.

CAPUT III.

De variis meditandi methodis.

1. Meditationem seu orationem mentalem adhuc faciliorem nobis reddunt certae meditandi methodi. Quamvis enim ars bene meditandi sit ars coelestis, in qua potius a Spiritu Sancto quam ab hominibus instrui debemus, tamen doctrina illuminatorum et in rebus spiritualibus peritorum magistrorum, praesertim Sanctorum, maximae est utilitati. Tamquam probati duces in viis absconditis orationis mentalis accuratissimam nobis praebent directionem, qua facillime et securissime ad finem propositum pervenire possumus; itidem media nobis designant ad minuendas hujus viae molestias nosque monent de cavendis periculis, quae nobis damnum aut perniciem afferre possent, nisi ad ipsorum doctrinam eadem evitare sciremus. Sanctorum de orandi methodo doctrinae non sunt studiorum speculativorum fructus, sed simplex eorum experientiae explicatio et relatio clarae illius cognitionis, quam Spiritus Sancti illuminatio et unctio ipsorum animis profunde impresserat. Ipsi in via orationis magnos fecerunt gressus feliciterque ad finem propositum pervenerunt, ubi devotionem unctione plenam, amorem divinum et intimam cum Deo unionem invenerunt. Nos igitur ad eundem viae finem pervenire volentes eorum doctrinam humili docilique corde excipiamus

eamque meditandi methodum, quae ingenio indigentiisque nostris magis respondet, summa cum diligentia in rem nostram convertamus.

2. Prout omnibus notum est, variae a viris sanctis conscriptae meditandi methodi exstant. Quamvis in quibusdam punctis inter se discrepent, tamen ad eundem finem perducunt et abs dubio eas sequentes multum in oratione mentali adjuvant. In essentialibus (id est, quod praeparationem remotam et proximam, exercitium memoriae, intellectus et voluntatis, pios affectus, pia proposita, petitiones etc. attinet) omnes concordant. — Meditandi methodus a viris sanctis nobis designata vitae internae tironibus tamquam *subsidium* inserviat, ut majorem ex oratione mentali fructum referant. Dicimus « subsidium »; meditans ergo methodum nunquam habeat tamquam finem tali modo, ut eidem etiam tunc adhaerere vellet, si ipsum impediret aut eum a quaesita devotione magis retineret quam eandem ipsi compararet. Et hoc non solum ad methodum in genere, sed etiam spectat ad meditationis processum in specie; ipsi Sancti non intermiserunt de tacto errore meditantes monere. Scribit de hoc S. Petrus de Alcantara (Libell. aur. Pars I. docum. 1): « *Earum rerum, quae inferius in certa puncta et tempora digeremus, considerationi non ita inhaerendum esse, ut ad alia, in quibus mens majorem invenerit devotionem ac fructum, transire nefas putemus. Cum enim omnium horum exercitiorum finis sit devotio, id quod ad hunc scopum proximius accedit, utique potius ac melius esse censendum est. Quod tamen non leviter et quacunque ex causa fieri debet, sed cum emolumento claro ac manifesto* ».

3. Casus a S. Petro de Alcantara praevisus e. gr. accideret, si meditanti jam in meditationis initio a Deo singularis de aliqua veritate donaretur divina illuminatio, per quam cor suum vi dulci ad illius veritatis meditationem et ad adaequatos affectus allectum sentiret. Tali divina visitatione anima ab ipso Domino clara illa divinarum rerum cognitione perfun-

ditur, quam alias consueto intellectus exercitio sibi comparare debuisset. Certe stultitia simulque temeritas esset, supernis hujusmodi commotionibus resistere.

4. Hinc etiam S. Franciscus Salesius (Colloq. spirit. Colloq. 18) dehortatur ab imprudenti illo conatu, in quibuscunque circumstantiis consuetae meditandi methodo quasi mechanice inhaerendi. Demonstrat Sororibus Ordinis Visit. B. V. Mariae, quam ineptus ac nocivus sit talis in meditatione procedendi modus dicens: « *Nonnulli valde falluntur putantes, ad orationem mentalem multum methodi requiri; anxie quaerunt quandam artem, quae ipsis ad hunc finem irremissibilis videtur, et non desinunt de suo orandi modo scrutari, ut videant, quomodo orationem suam persolvant, aut quomodo eam juxta opinionem suam persolvere possint; putant, orationis tempore nec tussire nec se movere ipsis licere, ex timore, ne Spiritus Dei ab ipsis recedat. Profecto, stultitia magna! quasi Spiritus Dei tam esset irritabilis, ut ab orantium methodo aut habitu externo dependeat. Non dico, quod certa methodo illis non sit utendum, sed quod ad eam non adeo serviliter astringantur, sicut faciunt illi, qui orationem suam nunquam bene persolutam existimant, nisi considerationes pios affectus praecedant, quos Dominus ipse in eis excitat; dum posteriores tamen sint finis seu scopus, ad quem considerationes perducant. Tales animae similes sunt iis, qui ad locum destinatum progressi reverti volunt, quia non per eam viam, quae ipsis fuit demonstrata, ad illum pervenerunt* ».

5. Tanta cum gravitate sanctus « Asceseos Doctor » invehitur contra illam vim servilem, qua non pauci, bona quidem intentione, orationis methodi formae externae inhaerere volunt, quasi in forma salus tota inveniri posset; et cum ipso ceteri sancti asceseos magistri concordant. Pleni Spiritu Sancto omnes cognoverunt, Spiritum Dei ab omni anxiarum pusillarumque formarum re esse alienum, eumque potius libertatem liberamque animi commotionem procreare secundum

apostolicum verbum: « *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas* » (II. Cor. 3, 17). — Ipse etiam Spiritus Sanctus cum infinita libertate formarumque varietate efficaciam suam in Fidelium cordibus manifestat. Sic idem Spiritus divinus, quamvis omnium Sanctorum fuerit summus magister, ductor et rector in via orationis, tamen non omnes Sanctos eodem direxit modo, ita ut varietas ductionis divinae in diversis Sanctis evidens sit. Idem quoque patet ex meditandi methodis, quas ipsi Sancti nobis commendarunt, quae — quamvis in essentialibus concordantes — tamen in forma singularumque partium dispositione non parum inter se discrepant. Innumeri his orandi et meditandi methodis utentes auxiliante divina gratia ad valde perfectam orationem ac sublimem meditationis gradum pervenerunt; omnes enim istae orandi methodi valde bonae sunt ac sanctae. Et in hoc ipso providentia divina sapientissimam perfectissimamque sese ostendit, quod varias has orationis methodos nobis contulerit, ut omnes et singuli, in via orationis progredi volentes, in una alterave institutionem ad meditationem seu orationem mentalem, ingenio seu facultatibus ac indigentiis suis adaequatam invenire possent.

6. His dictis jam de variis meditationis seu orationis mentalis methodis esset tractandum; ast arctum libri spatium nec summatim easdem exponere concedit. Hac de causa sequentia tantum hic brevi adnotentur.

In communi sex numerantur meditandi methodi, scil. ea, quae dicitur « *orandi methodus Patrum deserti* », quam Ven. Dei servus Joannes Jacobus Olier, celebris Seminarii S. Sulpitii Parisiensis fundator, ex scriptis SS. Ambrosii, Benedicti, Gregorii Magni, Joannis Chrysostomi et Nili composuit; hinc ista methodus etiam Olierii dicitur. — Methodus *S. Bonaventurae*, scriptis Doctoris Seraphici desumpta; — methodus *S. Petri de Alcantara*, quam ipse descripsit in suo tractatu de oratione, merito « Libellus aureus » dicto; — methodi *S. Ignatii, S. Francisci Salesii* et *S. Alphonsi Mariae Liguorii*.

7. Juxta methodum « *Antiquorum Patrum* » meditatio, communiter « Oratio » dicta, in tres partes dividitur, scil. in praeparationem, orationem proprie sic dictam, et conclusionem. Oratio subdividitur in adorationem, communicationem et cooperationem. Prima pars, *adoratio*, attentam rei meditationem continet. Haec consideratio est facienda cum relatione ad Jesum Christum, qui est omnis virtutis et sanctitatis fons simulque exemplar nostrum, quod sequi debemus. Hoc modo tota oratio fit vere practica. Immediatus hujus considerationis effectus sunt affectus adorationis, admirationis, laudis, amoris, gaudii et gratiarum actionis. — In secunda orationis parte, in *communicatione*, conamur, ut participes fiamus ejus, quod in prima parte amavimus aut admirati sumus, ex quo sequuntur instantes *petitiones*, quae sunt res principalis. — In tertia orationis parte formanda sunt practica et firma proposita. — *Conclusio* gratiarum actionem, deprecationem et fasciculum spiritualem complectitur.

Quod attinet methodum *S. Bonaventurae*, Seraphicus Doctor formalem meditandi methodum non scripsit; ast ex scriptis ejus (cfr. praesertim ejus opuscula: Collatio XX. in Hexaëmeron n. 12. et 19., et De Triplici Via, alias Incendium amoris c. I. n. 18. et c. II. n. 4.) facile conspici potest. *Finis*, quem oratio in genere et meditatio in specie juxta doctrinam S. Bonaventurae habet, est *unio cum Deo* per sanctum amorem. Meditatio hunc scopum assequitur, cum Christiano cognitionem et gratiam acquirat, qua indiget, ut peccatum devitet ac in via virtutis aeternaeque salutis perseveranter incedat. Methodus, qua meditatio juxta doctrinam S. Bonaventurae exerceatur, a methodo « Patrum deserti » non essentialiter differt, meditanti magnam libertatem relinquit, et in omnibus suis partibus hujus amantissimi Doctoris Seraphici spiritum exhibet.

Methodus *S. Petri de Alcantara* cum illa S. Bonaventurae in toto suo decursu magnam similitudinem prae se fert; ordinem singularum partium praedicta magis definite designat,

sed itidem magnam animi libertatem meditanti praebet eumque immediate instituit, quomodo in oratione mentali intime cum Deo conversetur, ut per hoc Dominum honoret, auxiliantem ejus gratiam acquirat et ad omne bonum corroboretur. Propter simplicitatem totamque dispositionem suam haec meditandi methodus praesertim iis se commendat, quibus difficile est considerationibus intellectus attentius ac longius occupari magisque ad hoc inclinantur, ut in oratione pia simplicitate et filiali amore cum Deo conversentur.

Meditandi methodus, quam *S. Ignatius a Loyola* docet, in toto suo decursu non parum ab antiquis orandi methodis differt. Sanctus hanc suam methodum usque ad singula accuratissime constituit eamque multis exemplis in praeclarissimo suo Exercitiorum libro dilucidavit.

Methodus *S. Francisci Salesii* in suo decursu magna ex parte methodo S. Ignatii se applicat, attamen est multo simplicior atque, quod ex omnibus hujus S. Doctoris scriptis apparet, magna excellit claritate.

Meditandi methodus *S. Alphonsi Mar. Liguorii*, merito epitheto « Apostoli orationis » decorati, simplicissima est ac pro praxi facillima. Nonnulla ex variis methodis antiquioribus desumpsit, quin illarum cuidam totum se applicasset. Quoad divisionem generalem magna ex parte secutus est S. Ignatium. Cum Patribus antiquis concordat quoad praeparationem. Considerationem ipsam S. Alphonsus — accurate sicut S. Bonaventura — tamquam allocutionem Dei et allocutionem animae designat iisdemque cum Doctore Seraphico terminis utitur. Sicuti methodus S. Petri de Alcantara, ita etiam ea S. Alphonsi orantem instruit, ut in meditatione piis affectibus ac petitionibus se occupet. Ex methodo S. Francisci Salesii fasciculum spiritualem mutuavit.

Tamquam nota characteristica autem ex methodo S. Alphonsi apparet, quod iste Sanctus plane singulari modo hoc urgeat, ut in meditatione multae et ardentes fiant petitiones hocque tamquam principalissimam ac utilissimam meditationis

partem designet (conf. S. Alphons. Homo apost. App. I. § 1. n. 3. et App. IV. § 3. n. 2). Etiam quoad hoc punctum ejus meditandi methodus cum illa S. Petri de Alcantara totaliter concordat.

8. His de variis meditandi methodis generatim dictis aliquas *annotationes practicas* adjungimus. Ante omnia meditationi se dare cupientes non obliviscantur, quod hoc sanctum exercitium ex ipsorum parte quemdam laborem praestituat. Dantur quidem alii internae orationis modi, quibus Deus per gratiam suam in anima orante operatur, quin haec labore suo in ea cooperari debeat. Quousque autem Dominus ad hujusmodi supernaturalem orationem animam non elevaverit, haec industriam suam cum gratia communi conjungere debet ad acquirendas eas benedictiones coelestes, quae sunt meditationis fructus. Hinc orator, quando orationi vacat, juxta monitum S. Theresiae (ejus Vita, cap. 11) laborem ipsi incumbentem non renuat, hoc est: debet media ad cor inflammandum, prout meditandi methodus eadem assignat, diligentissime adhibere atque nec ex inertia nec ad arbitrium suum rei meditandae considerationem omittere; nam magna cum sapientia Sancti singulis meditationis exercitiis suum assignant locum ac tempus. Hinc S. Bernardus scribit: « *Lectio quasi fundamentum primo occurrit et data materia mittit nos ad meditationem. Meditatio vero, quid appetendum sit, diligentius inquirit, et quasi effodiens thesaurum invenit et ostendit: sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem. Oratio se totis viribus erigens ad Dominum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem* » (De scala claustrali cap. 10. n. 11). Meditationis studiósus igitur in meditatione ex animo attentionem suam in meditationis objectum dirigat, ut devota ejusdem consideratione cor suum ad sanctas cogitationes et proposita perducat, ita tamen, ut modum justum non excedat. Saepissime enim accidit, ut nimia attentione initio meditationis fatigetur, ac dein in meditatione ipsa meditanti vis necessaria desit. Econtra dantur quoque, qui in con-

sideratione rei meditandae adeo negligentes sunt atque inertes, ut a quovis inutilium cogitationum vento circumferantur. Duo haec extrema eodem modo sunt evitanda, sicut fusius exponit S. Petrus de Alcantara (Libell. aur. Pars I. cap. 12. docum. 4).

9. Quoad considerationes intellectus in meditatione S. Theresia magni momenti verbum adnotavit. Qui meditantes intellectum facile exercent non raro tentantur, ut omne tempus et curam impendant ad hoc, ut rem meditandam ex omnibus partibus fundate considerent multasque pulchras sanctasque cogitationes cum ea connectant, quasi, ut ait S. Petrus de Alcantara, ad concionem se praepararent; interea autem intermittunt, etiam voluntati suae concedere tempus et occasionem ad ejusdem operationem; tales seminant quidem, sed non metunt. — Est ergo omnino cavendum, ne unquam intellectus multo majorem ac magis salutarem cordis et voluntatis operationem ullo modo praecludat; debet intellectus, uti jam dictum est, in suo statu subdito ac inservienti manere. Actus intellectus in meditatione media tantum sunt hunc in finem, ut quasi excutiatur ex lapideis cordibus nostris ignis divini amoris. « *Quare sciendum est*, inquit S. Petrus de Alcantara, *meditationis officium esse, diligenter et attente res divinas et coelestes considerare, atque modo haec, modo illa ponderare, ut in corde meditantis affectum aliquem pium suscitet, non aliter ac ille, qui silicem ferro ferit, quo scintillam excutiat* ». . . . « *Fine adepto media omnia cessant. Navigans quiescit posteaquam ad optatum portum appulit. Eadem ratione cum meditans ad requiem et gustum contemplationis per laborem meditationis pervenit, debet molestam illam ratiocinationis ac discursuum semitam relinquere, ac uno simplici intuitu Dei memoria, quasi illum sibi praesentem intueretur, contentus esse, ac affectione quam ille dederit, sive amoris, sive admirationis, sive gaudii, sive alia simili gaudere ac frui* » (l. cit. docum. 8).

10. Jam vero saltem una meditandi methodus in extenso

proponatur: et quamnam Confratribus nostris proponendam eligamus? — Certe eam, quae prae aliis antiquitatis venerationem ac Ordinis Seraphici spiritum simulque Ecclesiae approbationem et commendationem prae se fert, quae tironibus Religiosis facilis est ad discendum et exercendum, et optimos suo tempore fructus promittit. Et haec est, quam S. Petrus de Alcantara, Confrater noster, in suo « *Tractatu de oratione et meditatione* » tamquam thesaurum incomparabilem nobis reliquit. Quinam enim Ascescos magister in meditatione seu oratione mentali secundum spiritum S. P. N. Francisci melius nos instituere poterit, quam S. Petrus de Alcantara, « cujus laus est » in Breviario Seraphico sequentibus verbis: « *Mortuus est Pater noster Seraphicus et quasi non est mortuus; similem enim sibi reliquit Petrum post se, quem constituit defensorem domus suae. Hic ambulavit per omnes vias Patris sui, non declinavit ad dexteram sive ad sinistram* » (Offic. S. Petr. 19. Oct. Resp. I. Noct.).

CAPUT IV.

S. Petri de Alcantara tractatus de oratione et meditatione.

Egregium « de oratione tractatum », quem portentum illud poenitentiae S. Petrus de Alcantara elaboravit, huic libro adjecturi, brevi ejus meritum ac praestantiam Lectori censuimus exponendum, ut ex lectione delectamentum pariter et utilitatem perciperet.

Parvus hic mole liber concinna methodo conjungit secretum ac coeleste magisterium — simplex quidem, praecisum et summopere alliciens — quo anima per viam orationis et meditationis in seipsam revocatur et usque in Deum erigitur. Mira in eo perspicuitas elucet in exponenda fidei doctrina; ibique illud omne invenitur, quod facile possit animam per

viam orationis ducere, quicunque is status sit, ad quem a Deo advocetur.

Quae in hoc Sancti viri tractatu proponuntur meditationes (quas ad secundum hujus operis tomum reposuimus) ejusmodi sunt, ut cujuscunque captui accommodentur. Agunt enim de capitalibus veritatibus, quae maximi sunt momenti ad salutem. Suam cujusque miseriam et indignitatem prae oculis ponunt, ut anima fiat humilis et rubore offundatur. Thesauros edocent divinae miserationis, quorum ope a malis liberari desideret et justa spe repleatur. Mysteria demum explicant de Deo-Homine Jesu Christo, cujus passione praestituit Dominus nos liberari, ut ejus amore inflammemur, et a fervore concepto erga Sacratissimam Humanitatem ad contemplandam illius Divinitatem assurgamus.

His de causis ratio clare perspicitur, cur ubi primum hujusmodi tractatus a sancto viro compositus innotuit et typis prodiit in lucem (an. 1548), tale tantumque de se excitaverit desiderium in tota catholica Hispania, ut in eo comparando non modo populares, sed vel ipsi Principes incredibile quoddam studium ostenderent, rati se legendo veluti ex ore ejusdem Sancti verba salutis fore audituros. Praecipue autem hic liber percucurrit manus Religiosorum, qui perfectioni studebant, quo Novitios instruerent, quod adeo nervose, perspicue ac egregie regulis spiritus aeque mentem illuminat atque affectus cordis inflammet. Neque hoc studium lapsu temporis remisit, quin imo ex brevi progressum est, ut Tractatus de oratione S. Petri de Alcantara in omnes fere linguas Europae, imo et in Sinicum, Japonicum, Indicum aliaque idiomata verteretur.

Sed luculentius ejus meriti argumentum in eo est, quod a viris sanctitate et doctrina conspicuis, ac in rebus spiritualibus apprime versatis summa existimatione et laude dignaretur. Emeritis laudum praeconiis celebratur a Ludovico Granatensi Dominicano, Ludovico a Ponte S. J., a S. Theresia a Jesu (Mansione 3), a S. Francisco Salesio (lib. 3. epist.,

epist. 4 et lib. 2. cp. 1) et a multis aliis (conf. P. Joan. a S. Ant. Bibl. Min. Discalc. pag. 207). Summus Pontifex Urbanus VIII. edito decreto de scriptis revisendis Servorum Dei pro inducenda causa eorum Sanctificationis, praeprimis hunc Tractatum plaudentibus omnibus approbavit. Gregorius XV. vero post ejus lectionem accuratissime repetitam declaravit: « *Efficacissimum in eo lumen diffusum esse ad animas in paradisum ducendas, quia doctrina ejus coelestis est, et divinum Spiritum, qui calamum hujus Sancti regebat, ubique praesentiae suae singulare indicium praebere* »; neque ejus auctorem dubitavit « Doctoris » titulo et « illuminati Magistri in mystica theologia » decorare, et S. Petri de Alcantara imaginem cum Spiritu Sancto in specie columbae scribentis auribus instillante depingi jussit. His documentis unum adhuc adjungimus testimonium feminae Protestantis, celebris nempe et doctae Suecorum Reginae Mariae Christinae. Quae ad catholicam religionem conversa, et abdicato throno Romam reducta, ita olim ad quemdam S. R. E. Cardinalem animi sui sensum aperuit: « *Liber meditationum B. Petri de Alcantara, etsi brevior omnibus qui ad manus meas pervenerunt, is tamen est quem pluris facio, cum nullus alius eos affectus, quos ille, in meo spiritu produxerit. Per hunc mihi visa sum in intellectu illustrari, in catholicis veritatibus confirmari et erga Deum amore in voluntate accendi. Margarita est, quae pretium non habet, quia brevi sermone solidas complectitur veritates* ».

Tandem nemo inficiabitur in meritum hujus parvi libri, cui nullum par elogium, etiam id redundare, quod a quatuor fere saeculis, ex quo ille a sancto suo auctore compositus fuit, innumerae ejus editiones factae et exhaustae fuerint; et nihilominus aliae quoque suscipiendae sint, ut continuo petentium desiderio fiat satis.

His permoti rationibus hunc Tractatum, sicuti jacet, in sequentibus adposuimus. Nihil ipsi addidimus, nec aliquid detraximus; nisi quod documenta et quaedam alia ad pie medi-

tandum necessaria anteposuerimus, ut sic meditans prius in meditando instruatur. Faxit Deus, ut hic Tractatus, merito « Libellus aureus » dictus, fructus uberes in vobis pariat, dilecti fratres!

Tractatus de oratione et meditatione.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De fructibus orationis et meditationis.

Breviter summatimque hoc capite orationis ac meditationis utilitatem aperiemus, ut homines quanto majores et excellentiores eis fructus inesse perspexerint, tanto promptiori voluntate, orationum ac meditationum exercitia assumere ac frequentare contendant.

Certissimum est, malitiam cordis [1] nostri primariam causam esse, quae nos a supernae felicitatis et beatitudinis nostrae adeptione impedit, eo quod ad bonas actiones et virtutum exercitia nos fastidiosos et pigros reddat, magnamque illis difficultatem inesse obmurmuret. Quae si non esset, perambularet homo sine ulla molestia virtutum semitam, et tandem sine labore ad finem sibi propositum pertingeret. Hinc est, quod ait Apostolus (Rom. 7, 22. 23): « *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati* ».

Haec igitur est praecipua radix et [2] causa omnium malorum et miseriarum nostrarum, contra quam nihil conve-

---

[1] Cordis nostri malitia praecipuum salutis nostrae impedimentum.

[2] Devotionis efficacia.

nientius et efficacius habemus *devotione*, quae secundum D. Thomam aliud nihil est, quam promptitudo quaedam animi, et facilitas ad bene agendum. Ideoque ab animo nostro omnem hanc difficultatem et molestiam excludit, nosque ad omnia virtutum opera alacres atque expeditos reddit. Quare non injuria illam nominare possumus: alimentum spirituale, refrigerium et rorem coelestem, suavem Spiritus sancti instinctum et affectionem supernaturalem, quae ita hominum corda roborat et immutat, ut novum eis gustum ac sensum rerum spiritualium atque e contrario rerum sensibilium fastidium atque taedium ingeneret. Experientia quotidiana hujus rei fidem facit: cernimus enim corda eorum, qui a profunda ac devota oratione surgunt, pulchris deliberationibus, novis gratiis et donis, firmisque propositis de vita rectius instituenda, ac bonis operibus frequentandis redundare; desiderio etiam ingenti flagrare, tantae bonitatis et benignitatis Domino, qualem in oratione Deum esse experti sunt, serviendi atque illum toto corde diligendi; cupere denique propter eum omnia gravia et molesta, qualiacunque tandem illa sint, tolerare, imo et sanguinem profundere. Denique, ut in pauca conferam, devotio haec est balneum, locus apricus et lectulus, in quo se recreat et reficit anima.

Quodsi quaeras, quibus potissimum [1] mediis haec adeo nobilis et eximia devotionis virtus acquiri possit; respondebo cum eodem Doctore: illam meditatione ac contemplatione rerum divinarum ac coelestium comparari. Nam hae attentioni ac profundiori consideratione in anima pertractatae, generant in voluntate affectionem illam, quam nos hic appellamus Devotionem, quae hominem ad omne bonum efficaciter excitat et exstimulat. Atque hanc ob causam exercitia Orationis ac Meditationis viris quibusque sanctissimis valde frequentia et familiaria exstiterunt, utpote per quae facilem sibi Devotionis

[1] Quibus mediis comparetur devotio.

consecutionem putarent, quae licet unica tantummodo et simplex virtus sit, nos tamen aptos atque alacres ad omnia ceterarum virtutum officia obeunda facit, et ad illa in opus conferenda calcaribus quibusdam impellit.

Horum testem advoco auctorem operis « Meditationes vitae Christi[1] », cujus haec sunt verba. Virtus orationis inaestimabilis et efficax est ad omnia proficua impetranda et nociva removenda. Si vis patienter tolerare adversa, sis homo orationis. Si vis tentationes et tribulationes superare, sis homo orationis. Si vis pravas affectiones conculcare, sis homo orationis. Si vis astutias Satanae cognoscere ac ejus fallacias vitare, sis homo orationis. Si vis laetanter vivere in opere Dei, et laboris et afflictionis viam incedere, sis homo orationis. Si vis in spirituali vita te exercere et carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis. Si vis vanas muscas cogitationum effugare, sis homo orationis. Si vis animam tuam sanctis et bonis cogitationibus, desideriis, fervoribus et devotionibus impinguare, sis homo orationis. Si vis cor tuum virili spiritu et constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis. Denique si vis vitia exstirpare et virtutibus imbui, sis homo orationis. In ea nempe recipitur Spiritus sancti unctio, quae de omnibus mentem docet. Item si vis ad contemplationem ascendere et frui amplexibus Sponsi, sis homo orationis. Ad eam namque contemplationem et coelestium degustationem, per orationis exercitium devenitur. Vides quam magnae potentiae et virtutis sit oratio. Ad quorum omnium confirmationem omissis scripturarum probationibus, hoc tibi sit pro efficaci probatione, quod audimus et videmus quotidie per experientias, illitteratas personas et simplices, praedicta et alia plura majora per virtutem orationis fuisse adeptas. Hactenus verba auctoris Meditationum vitae Christi.

Obsecro, numquid thesaurus aliquis[2] praeclarior, aut

---

[1] Cap. 73. Hoc opus usque nunc falso S. Bonaventurae ascribebatur.
[2] Orationis encomium.

ager fertilior inveniri aut optari possit? Verum auscultate adhuc alium religione et sanctitate non minus praestantem Doctorem, qui eadem in materia sic ait: « Oratione anima mundatur a peccatis; charitate repletur; in fide confirmatur; in spe roboratur; in spiritu reficitur. Oratio stabilit interiora; cor pacificat; veritatem cognoscit; tentationes superat; tristitiam pellit; sensus renovat; virtutem languentem excitat; tepiditatem fugat; vitiorum rubiginem detergit. In oratione vivae scintillae desideriorum coelestium incessanter ab ardentibus divini amoris carbonibus elevantur: privilegia illius sunt eximia, praerogativae insignes. Orationi coeli reserantur: secreta coelorum manifestantur et aures Dei nunquam clauduntur. Plura non adjiciam, etenim quae hactenus dicta sunt, abunde sufficiunt, ad fructus exercitii hujus cognoscendos.

CAPUT II.

De materia orationis.

Orationi ac meditationis utilitate perspecta, nunc circa quae meditatio versari debeat, declarabimus. Cum enim illa hunc in finem ordinata sit, ut cor meditantis ad timorem atque amorem Dei, ac mandatorum ipsius observantiam excitet: materia meditationis talis esse debet, ut quam proxime ad hunc scopum accedat[1]. Id autem quamvis omnes res creatae et universa sacra Scriptura nobis praestare queant, attamen (generaliter loquendo) sacrosancta fidei nostrae mysteria, Apostolico symbolo contenta prae ceteris ad hunc finem assequendum utiliora et efficaciora sunt. Haec enim ex una parte divina beneficia, extremum judicium, poenas inferni et gloriam paradisi continent: quae omnia tamquam acutissimi quidam stimuli, corda hominum ad timorem et amorem Dei

---

[1] Quae potissimum fidei mysteria ad meditandum sumenda sint.

concitant et exstimulant. Ex altera vero vitam et passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quae est totius boni nostri fons et scaturigo, complectitur. Haec duo Symbolo Apostolico comprehensa ut plurimum materiam meditandi praebent, ac proinde circa illa meditationem sive mentis orationem maxime versari debere existimo: quamvis quilibet specialia quaedam puncta possit habere, quae cor illius ad amorem Dei ac timorem valentius excitent et inflamment. Hac igitur ratione persuasus, quo incipientes ac novellos tirones in hanc mentalis orationis semitam quasi manuducerem, eisque materiam meditationis omnino praeparatam ac praemansam (quemadmodum parvis pueris) offerrem, duo meditationum genera selegi, quorum alterum matutino tempori, alterum vespertino serviet, ex mysteriis fidei fere desumpta, ut sicuti corpus bina refectione quotidie pascitur, sic anima totidem spiritualibus refectionibus per meditationem et considerationem coelestium rerum nutriatur et vegetetur. Meditationum harum quaedam sunt de passione et resurrectione Domini nostri Jesu Christi, quaedam de ceteris fidei mysteriis, quorum paulo ante meminimus. Cui vero illa commoditas et occasio negatur, ut bis in die meditationi se dare possit, hoc ordine iisdem uti poterit: ut priores altera considerandas sibi sumat; aut illis tantum meditationibus, quae vitam et passionem Domini complectuntur, quandoquidem potissimae sunt, inhaereat, quamvis ceterae negligendae non videantur, in principio praesertim conversionis, cui praecipue conveniunt; quando nimirum timor Dei, et dolor atque horror peccati maxime quaeritur.

CAPUT III.

De sex ad meditationem necessariis.

Nota:

Meditationem, ut bene fiat, sex partibus constare debere, quarum quaedam illam praecedant, quaedam sequantur.

Primo antequam ad meditationem[1] accedatur, opus est ut mens, animusque ad sanctam hanc exercitationem diligenter praeparetur, non aliter ac chordae in cithara, quae nisi primum concorditer et aequabiliter tensae fuerint, suavem melodiam nunquam efficient. Post praeparationem sequi[2] debet lectio illius mysterii quod juxta dierum hebdomadae distributionem eo die meditandum fuerit: quod in principiis maxime necessarium est, usque dum continuo usu et consuetudine, quae meditanda sunt sponte memoriae sese offerant. Lectionem excipit meditatio.

Meditationi[3] subjungenda est devota pro acceptis beneficiis gratiarum actio ac totius vitae Christi, ac operum nostrorum generalis oblatio ad qualemcunque beneficiorum repensionem. Demum sequetur petitio, quae potissimum appellatur oratio: qua omnia cum nostrae, tum proximorum et totius Ecclesiae saluti necessaria, postulantur.

Hae sex partes ad orationem sive[4] meditationem requiruntur: quae praeter alia multa commoda, hoc etiam utilitatis adferunt meditanti, quod uberem illi meditanti materiam suppeditent, dum varias ciborum species ei proponunt, ut si una gustatui ejus non placeat, ad alteram accedat; et si in una meditatio deficiat, in altera habeat quo mentem occupet et ad devotionem accendat.

Ceterum non in omni meditatione omnes hae partes nec idem ordo semper est necessarius; quamvis incipientibus valde necessarium sit, ut methodum certam habeant, secundum quam in initiis se dirigant. Quapropter etiam ea quae dicturus sum, pro lege perpetua, aut regula generali, quam violare nefas sit, haberi nolo; cum mihi propositum sit, non leges immutabiles scribere, sed novitios et tirones in hanc semitam me-

[1] Praeparatio.

[2] Lectio.

[3] Meditatio, gratiarum actio, oblatio, petitio.

[4] Utilitas harum sex partium.

ditationis introducere, quam posteaquam ingressi fuerint, usus, experientia et praecipue Spiritus Sanctus, de ceteris eos informabunt.

1. *De praeparatione ad orationem necessaria.*

Non abs re erit, si singulas partes, suo ordine tractandas et explicandas suscipiamus. Auspicabimur itaque a praeparatione, quam primam posuimus.

Itaque meditans, in orationis loco[1] constitutus, posteaquam decentem corporis sui situm assumpserit, vel in genua procumbendo, vel stando, vel in modum Crucis se collocando, vel humi se prosternendo, vel etiam si ita necessitas, vel valetudo exigat, sedendo; primum signo S. Crucis se muniet, deinde dispersas animae potentias, imaginationem maxime colliget, eamque a rebus cunctis sensibilibus avocabit, atque intellectum ad Deum eriget, considerando divinam praesentiam, quam cum ea reverentia, et attentione intuebitur, quasi reipsa ei praesens adesset, uti revera est. Et si oratio matutina fuerit, generali de peccatis dolore concepto, confessionem generalem dicet. Si vero vespertina, conscientiam examinabit de omnibus illius diei cogitationibus, verbis, et actionibus: de Dei et divinarum rerum oblivione, atque de illius diei ac totius anteactae vitae criminibus conteretur; ac coram oculis atque conspectu divinae majestatis, in cujus praesentia consistit, se profundissime humiliabit, dicendo verba S. Abrahami Patriarchae:

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis (Gen. 18, 27).

Et cantando hunc Psalmistae versum:

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis (Ps. 122).

Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.

---

[1] Situs orationis.

Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto etc.

Et quia non sumus sufficientes aliquid (II. Cor. 3, 5) boni *cogitare ex nobis, sed* omnis *sufficientia nostra ex Deo est,* et quia *nemo potest dicere*: *Dominus Jesus,* hoc est, nomen illius invocare, *nisi in Spiritu Sancto* (I. Cor. 12, 3); ideo ad te, dulcissime Spiritus, me converto, ac tuam opem lacrimabundus imploro:

Veni Sancte Spiritus[1],
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium,
Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sequetur oratio: *Deus, qui corda.* His dictis Dominum deprecabitur, ut gratiam sibi largiatur, quo ea cum attentione, mentis recollectione, timore ac reverentia, possit assistere tantae majestati, qua decet ac par est: detque sibi hoc sanctae orationis tempus ita transigere, ut inde novis auctus viribus

---

[1] Oratio ad Spiritum Sanctum.

ac fervore, ad omnia, quae ad divinum servitium pertinent exequenda, regrediatur. Namque oratio, quae hunc fructum non parturit, tepida, imperfecta et minimi apud Deum momenti est.

2. *De lectione.*

Post praeparationem sequetur lectio [1] earum rerum, quae meditandae sunt. Quae cavendum ne sit nimium festina, sed matura, diligens et quieta, cui non modo intellectus applicetur, quo videlicet ea, quae leguntur, intelligantur; verum etiam voluntas, cujus potiores partes esse debent, ut nimirum, quae intellectu percepta sunt, sentiantur et gustentur.

Cum in locum aliquem, qui mentem vehementer afficiat, inciderit, subsistet paulisper, ut melius eum cordi infigere queat. Providendum etiam, ne lectio nimis longa sit, ut eo plus temporis meditationi tribui possit, quae tanto majoris est utilitatis ac fructus, quanto res ipsas attenta consideratione intimius penetrat, pluresque ex rebus consideratis affectus elicit. Si aliquando [2] contingat mentem ita dispersam esse, ut orationi sive meditationi se facile dare non possit, tum paulo amplius immorari poterit lectioni, vel lectionem jungere meditationi, ita uno puncto perlecto, illud secum aliquantisper consideret, deinde ad cetera eodem modo legenda et meditanda procedet. Quamvis intellectus verbis lectionis alligatus, non possit ita libere in diversos affectus ferri, uti cum ab hoc vinculo liber ac solutus est.

Et sane nonnunquam utilius foret [3] aliquem sibi vim facere in cogitationibus inutilibus et vanis, eo tempore mentem impugnantibus, submovendis; cumque eis secundum Jacobi Patriarchae exemplum viriliter luctari atque in pugna ad

---

[1] Lectio qualis.

[2] Mente dispersa quid agendum?

[3] Cogitationes vanae repellendae.

finem usque persistere. Hac namque ratione pugna consummata et obtenta victoria Deus majorem non raro devotionem purioremque contemplationem, aut aliud donum confert, quae illis, qui fideliter sua causa decertant, nunquam negare solet.

3. *De meditatione.*

Lectionem excipit meditatio eorum [1], quae lecta sunt. Meditatio autem nonnunquam de talibus rebus est, quas imaginatione nobis praesentare ac fingere possumus: uti est vita et passio Christi, extremum judicium, infernus, regnum coelorum. Nonnunquam vero de talibus, quae cum potius intellectui quam imaginationi subsint, per imaginationem figurari non possunt; uti est consideratio divinorum beneficiorum, divinae bonitatis et clementiae, aut aliarum quarumcunque perfectionum, quae Deo insunt.

Harum meditationum altera vocatur intellectualis, altera vero imaginaria, quarum utraque indifferenter utendum erit in his exercitiis, prout res meditanda postulaverit. Quando meditatio est imaginaria, ita, ut res ipsa exsistit, aut exsisteret, figuranda et menti repraesentanda est, quasi revera eo in loco, ubi ea geruntur, praesentes essemus, aut ipsae in nostro conspectu fierent, ut ex hac rerum repraesentatione, consideratio et sensus earum rerum vivacior et efficacior sit. Et sane non parum melius fuerit imaginari nobis, eas res in cordibus nostris geri. Nam si cor nostrum civitates et regiones integras comprehendere potest, longe profecto facilius unius mysterii repraesentationem complectetur. Id autem magnopere ad animae collectionem proderit, eamque in semetipsa occupatam tenebit, non aliter ac apem in suo alveario, ubi opus suum tractat et singula disponit. Etenim cogitatione Hierosolymam usque transire, ut locus, in quo ea, quae me-

---

[1] Res cadentes sub meditationem aliae figurantur, aliae non.

ditaturus es, acta sunt, formetur et menti objiciatur, capitis vires frangere atque illud vehementer debilitare solet: quapropter etiam ab immodico harum imaginationum usu abstinendum cavendumque, ne nimis validis apprehensionibus natura tandem succumbere cogatur.

4. *De gratiarum actione.*

Post meditationem sequetur gratiarum[1] actio: cujus occasio sumenda erit ex rebus meditatis. Puta: si fuerit meditatio de Christi passione, gratiae illi referendae erunt, quod nos tantis cum tormentis redemerit. Si de peccatis: quod nos longanimiter ad poenitentiam exspectaverit. Si de miseriis hujus vitae: quod nos a maxima earum parte praeservaverit. Si de morte: quod hactenus a periculis subitaneae mortis nos liberaverit ac poenitentiae tempus indulserit. Si de gloria Paradisi: quod ad hunc finem nos creaverit, ut tantis bonis frueremur. Eodem pacto procedendum erit in ceteris meditationibus.

His beneficiis ex meditatione elicitis, junget omnia beneficia: nimirum Creationis, Conservationis, Redemptionis, Vocationis. Itaque gratias reddet Deo, quod eum ad imaginem ac similitudinem suam condiderit; quod memoriam, qua Dei reminisceretur, voluntatem, qua eum diligeret, contulerit; quod angelicam custodiam attribuerit atque Angeli tutelaris ope a multis periculis exemerit, a plurimis peccatis mortiferis praeservaverit, a morte etiam atque daemonum injuriis, dum in peccatis mortalibus esset, tutatus est (quod non minus fuit, quam si nos a sempiterna morte, quam hac ratione incurrissemus, liberasset); quod naturam nostram sibi copulare et mortem ignominiosissimam pro nobis subire dignatus fuerit; quod Christianos parentes nobis contulerit; quod sacrosancto

---

[1] Quomodo gratiarum actio est facienda.

baptismate nos regeneraverit; quod in praesenti vita gratiam et in futura gloriam ineffabilem nobis promiserit; quod nos in filios adoptaverit; quod validis armis, quibus adversus mundum, carnem ac diabolum praeliaremur, in Confirmationis Sacramento nos munierit; quod seipsum nobis in altaris Sacramento donaverit; quod poenitentiae Sacramentum, quo gratiam illius per peccatum mortale amissam recuperare possemus, nobis reliquerit; quod bonis et sanctis inspirationibus nos assiduo visitaverit; quod facultatem precibus incumbendi, bene agendi et in piis coeptis perseverandi donaverit. Eadem methodo in ceteris beneficiis cum generalibus, tum particularibus, quae se a Deo accepisse cognoverit, recensendis procedet ac pro his et omnibus aliis, publicis sive privatis, manifestis vel occultis gratias Domino reddet: omnesque creaturas coelestes et terrestres secum ad hoc officium persolvendum invitabit. Canticum trium puerorum decantando (Dan. 3, 57): « *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in saecula* » etc. Et Psalmum 102, 2: « *Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus* » etc.

5. *De oblatione.*

Actis Deo ex corde gratiis pro cunctis beneficiis acceptis, confestim naturaliter erumpit cor in affectum illum, quem regius Propheta David in se sentiebat cum diceret (Ps. 115, 12): « *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi* »? Cui desiderio aliquo modo satisfaciet offerendo DEO quaecunque habet et potest ei offerre. Itaque primum offeret DEO semetipsum in servum perpetuum, se totum ei resignando[1]

---

[1] Oblatio quo modo instituenda.

ac voluntati ejus permittendo, ut quidquid velit de se facere, hoc agat. Offeret et simul omnia verba, opera, cogitationes, et quaecunque agit ac patitur, ut haec omnia ad supremum honorem et gloriam nominis ejus dirigantur. Offeret deinde Deo Patri omnia merita et obsequia unigeniti Filii sui atque labores omnes et dolores, quos idem in hoc mundo, quo ejus voluntati morem gereret atque obedientiam a Patre sibi injunctam compleret, pertulit; ordiendo a Nativitate ac praesepis duritie usque ad contumeliosam crucifixionem ac spiritus emissionem; quandoquidem omnia haec sunt bona et facultates nostrae, quarum ipse in novo testamento nos haeredes instituit. Quare sicuti non minus nostrum est, quod gratis nobis donatur, quam id quod propria virtute acquirimus: ita non minus nostra sunt merita Christi, quae ille nobis dono donavit, quam si illa propriis laboribus ac sudoribus acquisivissemus.

Ac proinde quilibet homo aeque secundam hanc oblationem offerre potest, ut primam; enumerando ei singillatim omnia obsequia, labores et virtutes sanctissimae vitae Christi: illius obedientiam, patientiam, humilitatem, charitatem; ceterasque virtutes omnes, cum haec sit maxima et excellentissima omnium, quas Deo offerre possumus, oblationum.

6. *De petitione.*

Insigni hac oblatione facta, secure ad gratiarum ac donorum petitionem progredi licebit[1]. In qua primum precandus est Deus cum inflammata charitate ac ardentissimo divini honoris zelo, ut omnes populos ac nationes sui notitia illustret, ut eum cognoscant, laudent et adorent, tamquam unicum et verum Deum ac Dominum, proferetque ex intimo cordis illa regii Prophetae verba: « *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes* » (Ps. 66, 4).

---

[1] Ordo in petitione servandus.

Deinde orandus est Deus pro Praelatis Ecclesiae, pro Summo Pontifice, Cardinalibus, Archiepiscopis ceterisque Praelatis, ut Dominus illos ita regat atque splendore gratiae suae illuminet, ut omnes homines ad cognitionem et obedientiam Creatoris sui adducere valeant.

Rogandus est etiam Deus pro Regibus ac Principibus (uti S. Paulus Apostolus monet) atque omnibus in dignitate constitutis, ut eorum diligenti sollicitudine ac providentia, subditi vitam vivant quietam et tranquillam; hoc enim gratum est DEO, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire.

Tum precandus est DEUS pro membris omnibus corporis sui mystici: pro justis, ut illos in justitia et sanctitate conservet; pro peccatoribus, ut eos a vitae pravitate ad morum emendationem convertat; pro defunctis, ut eos ab expiatoriis cruciatibus, in quibus detinentur, clementer eximat atque ad aeternae vitae requiem transferat.

Orandus ad haec est Deus, pro pauperibus, infirmis, captivis, in servitutem abductis, aut in quacunque alia tribulatione existentibus, ut propter merita Filii sui eis opem ferat illosque ab omni malo liberet.

Posteaquam quae ad proximorum salutem spectant postulaverimus, tum demum ad ea, quae nobis necessaria sunt petenda, transitum faciemus. Qualia autem petere debeamus, unumquemque sua necessitas (dummodo seipsum non prorsus ignoret) docebit. Verum ut incipientibus methodum aliquam demus illosque in hanc semitam quasi manuducamus: petitionum formam hic subjicimus. Primo itaque precabimur Deum, ut per merita et dolores unigeniti Filii sui omnium peccatorum nobis indulgentiam gratiamque illa fugiendi et ea dignis poenitentiae operibus expiandi tribuat; specialiter vero auxilium et opem adversus eas inclinationes et vitia, ad quae maxime propensi sumus, implorabimus; adeoque coelesti medico cuncta animarum nostrarum vulnera detegemus, ut ipse illis medeatur atque unctione gratiae suae illa perungat.

Deinde petemus excellentissimas et nobilissimas virtutes illas, quibus tota Christiani hominis perfectio continetur, quae sunt Fides, Spes, Charitas, timor, humilitas, patientia, obedientia, fortitudo in rebus adversis, paupertas spiritus, mundi contemptus, vera discretio, puritas intentionis atque aliae his similes, quae in supremo spiritualis aedificii fastigio commorantur. Fides enim est prima radix et fundamentum Christiani hominis. Spes est baculus et remedium contra omnes praesentis vitae tribulationes. Charitas est totius perfectionis finis. Timor Dei est verae sapientiae initium et fons. Humilitas est virtutum omnium basis et fundamentum. Patientia est fortissima contra omnes hostium insultus armatura. Obedientia est gratissima Deo oblatio, qua homo seipsum ei offert in sacrificium. Discretio est oculus animae, quo illa cernit, et peregrinationem praesentis vitae sine offensione conficit. Fortitudo est brachium animae, quo cuncta opera sua perficit. Puritas intentionis omnes actiones ad Deum dirigit.

Post haec postulabimus e ceteris virtutibus praecipuas, quae adjumento nobis esse possunt ad majorem custodiam, uti sunt: sobrietas in cibo et potu; moderatio linguae; custodia sensuum; modestia et compositio exterioris hominis; suavitas boni exempli erga proximos; rigor et severitas in seipsum, et aliae similes.

Finiendus erit demum hic petitionis actus, cum amoris divini fervida imploratione, atque in ejus petitione aliquantisper immorandum, ita ut maxima temporis pars in hac gratia intimis affectibus et desideriis postulanda, consumatur: quandoquidem in divino amore omne bonum nostrum consistit, ad quod sequens oratio utilis erit.

Oratio pia pro impetrando divino amore.

Impertire mihi, o Domine, hanc gratiam, ut te ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus et praecordiis meis, ut praecipis, diligam. O unica spes mea!

O gloria mea perfecta! O refugium et solatium meum! O amicissime mihi super omnes amicos! O sponse floride, sponse suavis, sponse omni melle dulcior! O dulcedo cordis mei! O vita animae meae! O gaudium spiritus mei! O speciosa dies aeternitatis, clarissimum lumen viscerum meorum, Paradisus cordis mei! O dulcis origo et primum principium meum! O summa sufficientia mea!

Praepara tibi, Deus, in me splendidum thalamum, ut juxta promissionem tuam habites in me, atque illic mansionem tuam constituas. Mortifica in me quidquid tibi displicet et effice me hominem secundum cor tuum; transfige medullas animae meae, et cordis mei intima sagittis amoris tui vulnera; inebria me vino perfectae dilectionis.

Quando tibi perfecte in omnibus placebo? Quando a me omnia, quae tibi contraria sunt, abjiciam? Quando ero totus tuus? Quando desinam esse meus? Quando nihil in me vivet, nisi quod tuum est? Quando te ardentissimo amore diligam? Quando flammis amoris tui me totum succendes et consumes? Quando penetrabis et replebis me undequaque tua efficaci dulcedine? Quando mihi pauperi mendico aperies et manifestabis regnum illud pretiosum, quod intra me est, videlicet teipsum cum omnibus tuis divitiis? Quando me tibi perfecte unies, absorbebis ac transformabis in te, ita ut ultra non exeam a te? Quando auferes a me cuncta obstacula, quae mihi impedimento sunt, ne unus tecum spiritus constituar? Nec unquam amplius a te separer?

O dilecte animae meae! O deliciae cordis mei, exaudi me, Domine, non secundum merita mea, sed secundum immensam bonitatem tuam: instrue me, illumina me, dirige me, adjuva me in omnibus et per omnia, ne aliquid dicam vel agam, nisi quod oculis tuis gratum esse cognovero.

O Deus! O amor meus! O viscera mea! O dulcis amice mi, gaudium et voluntas mea, munimentum et vita mea, lumen meum, dirige me. O Deus praecordiorum meorum, cur non tribuis pauperi necessitatem patienti et opem tuam im-

ploranti, quibus opus habet? Qui coelum et terram imples, cur meum cor vacuum et inane relinquis, qui lilia et flores agri vestis et ornas, qui volucres coeli nutris, qui minima terrae insecta sustentas, cur obliviseris mei, qui omnium tui amore obliviscor?

O immensa bonitas, nimis sero te cognovi, nimis tarde dilexi te, o pulchritudo antiqua et nova. O miserum statum meum, quando sine amore tuo vixi; o deplorandam conditionem meam, quando te non agnovi; o densam caecitatem mentis meae, quando te non vidi! Tu eras in me et ego te foris nimis longe quaerebam, quamvis te tandem licet serius invenerim. Non patiatur obsecro clementia tua, ut ultra te deseram aut relinquam.

Et quia unum ex his, quae tibi maxime placent, quaeque cor tuum tangunt, est: oculos habere, qui te videre possint; da mihi, Domine, tales oculos, qui te intueri valeant; oculos inquam solitariae turturis, oculos humiles et amorosos, oculos castos, pios et lacrimantes; oculos attentos et discretos, qui tuam voluntatem intelligant et perficiant, ut te talibus oculis aspiciens, tu me vicissim eisdem oculis respicias, quibus Petrum te negantem aspexisti illumque ad peccati sui amaram deplorationem commovisti. Quibus filium prodigum intuitus es, quando ei obviam procedens, in amplexus ejus ruisti atque osculum pacis ei dedisti. Quibus publicanum oculos suos ad coelum attollere non audentem respexisti. Quibus Magdalenam ad poenitentiam invitasti eamque ad pedes tuos, lacrimis rigandos et abluendos attraxisti. Et ne multis: quibus sponsa in Canticis praedita, te ad sui amorem pellexit, ut diceres: « *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum* » (Cant. 4, 1). Ut aspectus meus tibi placitus, ac pulchritudo animae meae tibi grata existens: tu largiaris ei alas virtutum et gratiarum tuarum, quae eam excellentius venustent et ornent.

O excellentissima, benignissima et clementissima Trinitas: PATER, FILI et SPIRITUS Sancte; unus verus solus

DEUS, doce me, dirige me et adjuva me in omnibus. O Pater omnipotens, te per magnitudinem immensae potestatis tuae deprecor, ut confirmes et stabilias memoriam meam in te solo: eamque sanctis et piis cogitationibus repleas.

O Fili sapientissime, tua aeterna sapientia intelligentiam meam exiguam illumina et illam cognitione summae veritatis atque miseriae meae imbue. O Spiritus Sancte, Patris et Filii amor, tua incomprehensibili bonitate effice voluntatem meam tuae sanctissimae voluntati conformem illamque tam valido tui amoris igne succende, ut nullae illum aquae possint exstinguere.

O sancta Trinitas, unus Deus et omne bonum meum, utinam te solus tantum amare et laudare possem, quantum omnes beati Spiritus te amant et laudant. Utinam solus omnium creaturarum amorem in me haberem, spontanea voluntate illum ad te diligendum converterem atque in totum transferrem; quamvis parum hoc esset ad te amandum tali amore, quali dignus es amari. Tu solus teipsum digne laudare atque diligere potes, quandoquidem nemo tuam incomprehensibilem bonitatem praeter te potest intellectu assequi, ac proinde tu illam tantum quantum meretur, amare sufficis, adeo ut in solo divino pectore tuo justitia amoris perfecte servetur.

O MARIA, MARIA, MARIA, Virgo sanctissima, Mater DEI, Regina coeli, Domina mundi, Triclinium Spiritus Sancti, Lilium puritatis, Rosa patientiae, Paradisus voluptatis, Speculum castitatis, Vas innocentiae, intercede pro me misero, egeno, exule ac peregrino et mihi partem de umbra tuae abundantissimae claritatis impertire.

O Sancti et Sanctae Dei omnes atque vos Angelici Spiritus, qui magno amore Creatoris vestri flagratis, specialiter vos Seraphim, qui coelum et terram amoris vestri vehementia inflammatis, nolite cor meum miserum derelinquere, sed purificate illud quemadmodum labia Isaiae, ab omnibus vitiis et immunditiis, ac flammis ardentissimae dilectionis vestrae

illud accendite, ut Dominum nostrum diligam, illum quaeram; in illo solo requiescam et permaneam in omnia saecula saeculorum. Amen.

CAPUT IV.

Documenta quaedam circa meditationem observanda.

Quae hactenus dicta sunt, uberem tantummodo meditationi materiam praebent, quod in praesenti negotio praecipuum est; quandoquidem non exigua pars hominum, eo quod sufficienti considerationis materia destituatur, meditationis exercitium fastidit et negligit. Nunc autem quae ad methodum et formam in meditationibus observandam pertinent, summatim perstringamus. Cujus licet principalis magister sit SPIRITUS Sanctus, nihilominus experientia saepe comprobatum est, hic necessaria esse quaedam documenta: eo quod iter, quo ad Deum pergitur, sit arduum ac difficultatis plenum ac proinde ductore opus sit, sine quo plurimi longo tempore a vera semita aberrant, aut certe minus cito ea, quae cupiunt, consequuntur.

De meditatione.

Documentum I.

Primum itaque documentum sit [1]: Earum rerum, quae inferius in certa puncta, et tempora digeremus, considerationi non ita inhaerendum esse, ut ad alia in quibus mens majorem invenerit devotionem ac fructum, transire nefas putemus. Cum enim omnium horum exercitiorum finis sit devotio, id quod ad hunc scopum proximius accedit, utique potius ac

---

[1] Meditationi assumptae non nimis inhaerendum.

melius esse censendum est. Quod tamen non leviter, et ex quacunque causa fieri debet, sed cum emolumento claro ac manifesto.

Documentum II.

Secundum sit: Cavendas esse in hoc[1] exercitio nimias mentis speculationes, potius utendum esse efficacibus voluntatis affectibus, quam curiosis ratiocinationibus intellectus. Quocirca rectam viam minime tenent illi, qui ad Orationem et Meditationem divinorum mysteriorum non secus accedunt, ac si ea pro concione ad populum habenda secum tractarent et expenderent: quod potius est spiritum dispergere, quam ad interiora se revocare. Itaque qui meditationem recte instituere velit, accedat ad eam non aliter ac unus idiota, et humilis; magisque adferat voluntatem dispositam ad res divinas sentiendas et gustandas; quam intelligentiae acumen, ad eas studiose disquirendas et pervestigandas; cum hoc proprium sit eorum, qui scientiae causa studiis operam dant; non eorum, qui, ut mentem afficiant et inflamment, lacrimasque piae devotionis eliciant, precibus ac meditationibus se addicunt.

Documentum III.

Praecedenti documento declaratum est, quomodo intellectus moderandus, voluntatique subjiciendus sit; hoc vero voluntati etiam limites sui praefiniendi sunt, extra quos egredi sine vitio non possit; idque ne in sui exercitio nimis vehemens, et concitata reddatur. Quare sciendum[2] est devotionem nunquam violentia brachiorum exprimendam esse, ut quidam existimant, qui immodica et coacta tristitia se ad lacrimas

---

[1] In meditatione cavendae sunt nimiae mentis speculationes.

[2] Devotio non est violenter exprimenda.

et commiserationem, dum Christi tormenta secum considerant, constringunt, hac namque ratione cor potius exsiccant, atque ad divinas visitationes (uti pulchre docet Cassianus) ineptum reddunt. Ad haec ista vis plurimum incommodare solet sanitati corporis, et saepe propter molestiam quam violentia haec secum adfert maximam, animum ita relinquit fastidiosum, ut denuo ad eadem exercitia reverti formidet; cum ea magnarum sibi molestiarum causam attulisse usu expertus sit. Itaque meditationis studiosus, cum Christi supplicia considerat, non sit nimis anxius pro habenda sensibili compassione; sed sufficiat ei quod se praesentem exhibeat his quae Christus passus est, atque illa simplici ac quieto intuitu inspiciat; ac corde tenero, compassivo et magis disposito ad eum affectum, quem divina misericordia suppeditaverit, excipiendum, quam alium violentia exprimendum, consideret. Quae cum fecerit, de ceteris, quae illi a Deo negantur, aut non subministrantur, sollicitus non sit, neque contristetur.

Documentum IV.

Ex his quae jam dicta sunt, colligere [1] licet, qualis attentio in oratione observanda sit. In ea namque cor non languidum, non solutum, non in ima depressum, sed vivum, sed ad superna elevatum esse debet. Ut autem necessarium est tali cum attentione et cordis elevatione, atque a sensibilibus rebus abstractione, ad Deum precandum accedere; ita non minus opus est, ut in attentione hac suavis quaedam temperatio adhibeatur, tum ne sit nociva sanitati, tum ne devotionem impediat, aut extinguat. Quod contra faciunt nonnulli, qui ut ad ea quae mente cogitant attenti sint, nulla virium ac naturae ratione habita, capita sua immodice fatigant, ac se ad alia pene inutiles reddunt. Sunt etiam e contrario alii, qui

---

[1] In oratione qualis attentio adhibenda sit.

ut hoc periculum evitent, admodum remissi et oscitantes sunt, in earum rerum quas animo volvunt attentione, ac proinde facile ad omnem flatum inutilium cogitationum impelluntur et abstrahuntur.

Haec duo extrema ut simul evitentur, tali moderatione opus est, ut nec immodica attentione capitis vires debilitentur, nec nimia negligentia et remissione cogitationes ad libitum evagari sinantur. Qua in re illius qui equo petulanti vehendus est, solertia imitanda est, qui habenas neque nimium attrahit, neque nimis laxat; sed aequabiliter regit, ne vel retrorsum recedat, vel magno cum salutis discrimine iter agat; ita et nobis annitendum est, ut attentio sit moderata, diligentiam quidem adhibendo, ne cogitationes ad libitum evagentur, at omnem violentiam, et anxiam sollicitudinem rejiciendo. Notandum etiam, haec quae de attentione dicimus, maxime in principio meditationis cavenda esse; fieri enim plerumque solet, ut cum in exordio meditationis attentione violenta caput fatigatur, in ipsa meditatione vires deficiant, quemadmodum evenire solet viatoribus, qui cum in principio iter nimium maturant, postea lassi subsistere coguntur.

Documentum V.

Inter omnia documenta hoc vel maxime [1] animadvertendum: Ne meditationis studiosus, si non statim percipiat eam devotionis dulcedinem quam desiderat, animo concidat, nec exercitationes inceptas relinquat; sed longanimiter et perseveranter adventum Domini praestoletur; quandoquidem divinae majestatis excellentiam, conditionis humanae vilitatem, et negotii quod gerimus magnitudinem, maxime decet, ut aliquantisper ante fores sacri illius palatii exspectemus. Quodsi, posteaquam aliquamdiu exspectaverit, Dominus venerit, gatias ei

---

[1] Propter devotionis defectum exercitia non esse relinquenda.

agat de benignissimo et gratuito illius adventu; si vero moras longiores traxerit, humiliet se coram eo, et confiteatur se hanc gratiam minime mereri. Quodsi nec sic quidem venerit, placido animo id sustineat, patiatur, ac sufficere sibi putet, quod seipsum ac omnia sua in sacrificium et oblationem gratissimam obtulerit, propriam voluntatem abnegaverit, atque in manus ac potestatem illius tradiderit; omnes appetitus inordinatos crucifixerit; cum vitiis et passionibus suis in certamen descenderit; et ex parte sua quaecunque facere potuit, egerit. Et licet Dominum adoratione sensibili non veneratus sit, satis ei sit in spiritu et veritate adorasse, quales adoratores ille requirit.

Certo denique sibi persuadeat, hunc esse periculosissimum et maxime formidandum praesentis navigationis scopulum, atque locum in quo veri ac fideles Dei servi probentur, ac ab infidelibus secernantur, e quo qui salvus et incolumis recesserit, in ceteris prospero successu utetur.

Documentum VI.

Documentum hoc non multum a[1] superiori discrepat, quod tamen aeque necessarium est. Tale autem est: Servum Dei contentum esse non debere, quocunque modico sensibili gustu ex meditatione percepto; quemadmodum nonnulli faciunt, qui cum aridam aliquam lacrimulam profuderint, aut parvam cordis liquefactionem senserint, exercitii finem sive scopum se adeptos esse arbitrantur; quod tamen ad eum scopum, quem propositum habemus, minime sufficit. Ut enim satis non est ad terrae fructificationem, si pertenui aliquo imbre, qui pulverem tantummodo coagmentet, et terram superficie tenus imbuat, perfundatur, sed opus est ad hoc copiosis imbribus, qui intima terrae penetrent, ejusque sitim expleant, quo fructum

---

[1] Meditans contentus esse non debet quibusvis consolationibus.

optatum reddere queat; sic necessaria est aquarum coelestium abundantia, ut quis bonorum operum fructum ex se producat.

Quapropter non immerito a viris spiritualium rerum callentissimis monemur, ut ad sanctam hanc exercitationem quisque tantum temporis quantum potest conferat. Et certe utilius fuerit semel satis longum[1] temporis spatium ad hoc assumpsisse, quam idem per intervalla fecisse. Etenim dum tempus breve est, totum fere in phantasiae vel imaginationis quietatione et cordis collectione consumitur; ac saepe fit, ut cum jam fructus praeteritae molestiae carpendi essent, meditatio abrumpatur. Ad hujus vero temporis quantitatem praefiniendam quod attinet: mihi videtur quidquid sesqui hora, vel duabus horis minus est, nimis exiguum esse ad meditationem instituendam; eo quod non raro integra fere hora in compositione citharae cordis nostri, hoc est, in phantasiae a cogitationibus inutilibus repressione, et mentis a rebus sensibilibus avocatione consumatur; tum vero aliquid etiam temporis pro fructibus institutae orationis percipiendis impendere necesse est.

Quamvis inficias ire nequeam, eo tempore, quando meditatio post sanctam aliquam et piam actionem instituitur, magis aptum et dispositum esse animum ad hoc agendum; atque ut arida ligna facile flammam concipiunt: sic et cor ita dispositum, facilius igne coelesti succendi, Matutinis etiam[2] horis, quod tempus huic exercitio vel maxime commodum et opportunum est, mentem a phantasmatibus liberiorem esse, ac proinde tum orationi liberius incumbendum. Qui vero negotiorum et occupationum multitudine adeo distinentur, ut tantum temporis ad hoc conferre non possint; nihilominus minutum suum cum paupere vidua evangelica offerre Deo non negligant. Etenim si negligentiae vitium non obstiterit, ille qui omnibus creaturis juxta singulorum necessitatem providet, ipsis et liberalissime prospiciet.

---

[1] Ad meditationem quantum temporis assumendum sit.

[2] Tempus quod meditationi commodissimum.

Documentum VII.

Praecedenti documento aliud simile dari solet: est autem ejusmodi [1]. Pietatis studiosus, cum divinis consolationibus specialiter intra vel extra orationem visitatur, occasionem hanc arripere debere, nec pati omnino, ut tempus hoc sine fructu sibi praeterlabatur. Nam tranquillo hoc vento flante, plus itineris una hora conficiet, quam alias multis diebus. Sic faciebat sanctus Pater Dominicus, qui tam sollicitam divinarum visitationum curam habebat, ut etiam in itinere constitutus, si speciali aliqua visitatione a Deo recrearetur, sociis praecedere jussis, ipse solus subsisteret, aut tardius progrederetur, quoadusque suavem illam buccellam de coelo sibi allatam digessisset. Quibus curae non est, ita divinis visitationibus satisfacere, hi ea fere poena castigantur, ut Deum postea cum quaesierint, minime reperiant.

Documentum VIII.

Ultimum idemque maximi momenti documentum, hoc est: In hoc orationis exercitio meditationem jungi debere contemplationi, cum unum scala sit ad aliud. Quare sciendum, meditationis officium [2] esse, diligenter et attente res divinas et coelestes considerare, atque modo haec, modo illa ponderare, ut in corde meditantis affectum aliquem pium suscitet, non aliter ac ille qui silicem ferro ferit, quo scintillam ignis excutiat. At contemplationis, quae meditationem excipit, proprium esse, igne jam excusso et succenso gaudere; hoc est: affectione illa quae quaerebatur, laboriose inventa, in silentio et tranquillitate spiritus perfrui, non cum multis ratiocinationibus et speculationibus intellectus, sed quodam puro ac simplici veritatis intuitu. Hinc quidam S. Doctor ait: medi-

---

[1] Consolationis tempora non esse negligenda.

[2] Meditationis et contemplationis quae sit differentia.

tationem discurrere cum labore ac modico fructu, contemplationem vero sine ulla molestia et ingenti cum utilitate; illam quaerere, hanc inventis perfrui, illam cibos dentibus conterere, hanc tritis vesci; illam considerare et ratiocinari, hanc simplici intuitu, quae diligit et gustat contemplari. Et ne pluribus, illa se habet tamquam medium, haec instar finis; illa ut via et motus, haec ut terminus viae ac finis actionis.

Ex his quae diximus axioma illud apud omnes spirituales vitae magistros valde pervulgatum, cujus tamen pauci lectores verum intellectum assequuntur, colligitur: nimirum, *Fine adepto media omnia cessare:* ut exempli causa, navigans quiescit posteaquam ad optatum portum appulit. Eadem ratione cum meditans ad requiem et gustum contemplationis per laborem meditationis pervenit, debet molestam illam ratiocinationis ac discursuum semitam relinquere, ac uno simplici intuitu Dei memoria, quasi illum sibi praesentem intueretur, contentus esse, ac affectione quam ille dederit, sive amoris, sive admirationis, sive gaudii, sive alia simili gaudere ac frui. Ratio quae id suadet, haec est: quia negotii hujus finis magis in amore, et voluntatis affectione, quam in intellectus speculatione consistit. Cum igitur voluntas, ab affectione jam captivata, atque affectionem quaesitam adepta est; relinquendae sunt omnes ratiocinationes, et speculationes intellectus, quoad fieri potest, ut anima omnes vires suas in eam impendat, sine confusa ad actiones aliarum potentiarum evagatione seu dispersione. Quapropter quidam Doctor illis qui se divino amore inflammari sentiunt, hoc dat consilii, ut omnes alias ratiocinationes et cogitationes, quantumvis subtiles et altas relinquant; non quod malae sint, sed quod tum majus bonum impedire valeant. Hoc autem nihil aliud est, quam posteaquam ad terminum pervenerimus, meditationem amore contemplationis relinquere.

Quod facere possemus[1] (ut particularius hac de re lo-

[1] In fine uniuscujusque meditationis ad contemplationem transeundum.

quamur) sub finem uniuscujusque exercitii, videlicet, post petitionem divini amoris, de qua supra disseruimus; idque duabus ex causis: tum quod praesupponendum sit laborem exercitii absoluti aliquem fructum devotionis erga Deum produxisse, nam uti Sapiens ait: *Melior est finis orationum quam principium;* tum quod post laborem meditationis et orationis rationi conveniens esse videatur, ut intellectus paulisper respiret, atque in contemplationis brachiis placide quiescat.

Hic igitur unusquisque omnes plane imaginationes quae se menti offerunt, repellat: intelligentiam quietam reddat, memoriam in Deo defixam habeat, consideretque se in praesentia illius consistere, sine tamen speciali Dei contemplatione. Contentus sit illa cognitione, quam ei fides subministrat, atque huic cognitioni voluntatem et amorem suum adjungat, cum haec sola sit quae Deum amplectitur et in qua totius meditationis fructus consistit; intellectus enim vix aliquid de cognitione Dei comprehendere sufficit, quem tamen voluntas plurimum potest diligere.

Advocet igitur se a rebus sensibilibus et recipiat se ad semetipsum, videlicet ad centrum animae suae, ubi est imago Dei. Hic diligenter auscultet, quasi Deum ex alta turri loquentem audiret, aut quasi creaturarum alia nulla praeter se et Deum in mundo exsisteret.

Amplius adhuc dico, obliviscatur etiam sui ipsius et eorum, quae agit. Nam ut quidam Sanctorum Patrum ait: Oratio tum est omnibus suis numeris absoluta, quando is, qui orat, se in oratione coram Deo constitutum esse non advertit. Hoc autem faciendum est non tantum in fine exercitii, verum etiam in medio et singulis ejus partibus: quotiescunque nimirum somnus hic spiritualis quempiam invaserit (cum videlicet intellectus quasi somno quodam sopitur, voluntas vero vigilat) atque hoc cibo delicatissimo quamdiu duraverit fruendum. Eo vero digesto, ad meditationem continuandam revertendum erit. In quo nos geremus non aliter ac hortulanus aliquis, qui horti areolam irrigaturus, postquam semel

illam aqua perfuderit, aliquantisper exspectat quousque illam perfecte imbiberit, deinde iterum eam aqua irrigat, ut hac fertilior reddatur. Quid autem anima hoc somno consopita, luminis illius, quo tum gaudet, beneficio sentiat, quam satietatem, charitatem et internam pacem, quibusque tum consolationibus perfruatur, nulla lingua potest exprimere; pax enim ista omnem sensum superat et felicitas ejus tanta est, ut maior in hoc mundo haberi non possit. Sunt nonnulli adeo divini amoris igne accensi, quorum interiora ad primam dulcis hujus nominis memoriam, vix ulla praevia meditatione gaudio subsistant. Hi ad Deum amandum non magis egent considerationibus aut discursibus, quam mater, aut sponsa stimulis, ad filium, vel maritum diligendum. Sunt et alii in Deo ita immersi et absorpti, non tantum in oratione, sed etiam in externis negotiis, ut omnium rerum creatarum etiam sui ipsorum, propter illius amorem, obliviscantur. Neque mirandi sunt hi divini amoris effectus, cum amor mundanus multo majora in homine operari soleat, ita ut etiam quosdam amentes reddat. An vero minorem vim gratiae, quam naturae et peccato tribuemus? Itaque cum anima divini amoris operationem in se senserit (in quacunque id fuerit orationis parte), nullatenus illam refutet, etiamsi totum exercitii sui tempus in ea consumat, sine ulla etiam illius rei quam sibi proposuerat, consideratione (nisi ad hoc specialiter obligetur). Nam quemadmodum (S. Augustino teste) vocalis oratio relinqui debet, si devotionem impediat, ita meditatio deserenda est, si obstet contemplationi.

Sicut autem necessarium est meditationem relinquere propter affectionem, atque a minori ad majus transire, ita nonnunquam e contrario relinquenda est affectio propter meditationem, quae nimirum affectio, ita vehemens est, ut sanitas inde notabile detrimentum acceptura sit. Quod saepenumero accidit illis, qui his exercitiis se indiscrete dant atque illis immodice utuntur, allecti videlicet divinae dulcedinis suavitate. Quibus (uti quidam S. Doctor ait) id optimum reme-

dium fuerit, contemplatione egredi et ad aliam quandam affectionem, utpote compassionis transire, meditando paulisper Dominicam Passionem, aut circa peccata et miserias hujus mundi, ad cor exonerandum et a nimia intentione avertendum.

PARS SECUNDA.

De devotione et ad eam pertinentibus.

CAPUT I.

Quid sit devotio.

Inter omnes molestias et difficultates [1], quas illi qui orationum ac meditationum exercitia frequentant, sustinent, nescio an ulla major sit ea, quam patiuntur ex devotionis, quam saepe in ea percipiunt, defectu. Hac enim si adfuerit nihil suavius, nihil jucundius, nihil facilius, quam precibus ac meditationibus insistere; eadem si absit, nihil molestius. Quapropter cum antea de oratione ac meditatione, ac methodo eam instituendi egerimus, non abs re fuerit nunc, de his, quae devotionem partim promovent et excitant, partim impediunt et exstinguunt; tum etiam de tentationibus, quae ut plurimum piis hominibus in piis exercitationibus se objiciunt, agere; ac denique documenta, quae ad idem institutum non parum conferunt, subjicere. Itaque ab ipsa devotionis definitione auspicabitur, ut manifeste liqueat, qualis et quanta sit margarita pro cujus adeptione militamus.

Devotio, ut S. Thomas ait, est virtus, hominem expeditum et promptum ad omnia virtutum officia reddens, illumque ad bene agendum excitans. Quae definitio evidenter satis ostendit necessitatem et utilitatem hujus virtutis, utpote quae plura in se contineat, quam quis mente complecti possit.

---

[1] Devotio reddit omnia facilia.

Pro cujus ampliori intelligentia sciendum est, praecipuum impedimentum, quod nobis in vita recte ac pie instituenda objicitur, esse naturae humanae corruptionem, a peccato profectam, a qua magna ad vitium inclinatio et ingens bene operandi difficultas existit: quae nobis gravem et permolestam virtutis viam faciunt, quamvis virtute, si ea in se consideretur, in mundo nihil suavius, nihil amabilius, nihil pulchrius exstet.

Ad hanc difficultatem superandam providit nobis divina sapientia de convenientissimis remediis, nimirum devotionis virtute atque auxilio. Nam quemadmodum ventus Boreas nubes dissipat aërisque serenitatem restituit, non aliter vera devotio ab animo nostro molestiam omnem et difficultatem hujus viae abscindit, nosque ad pias et praeclaras actiones obeundas promptos atque alacres reddit. Haec autem virtus ita virtutis nomen obtinet, ut etiam pariter sit speciale donum Spiritus Sancti: ros coelestis, auxilium et visitatio divina per orationem obtenta; cujus proprium est difficultatem in oratione ac meditatione occurrentem submovere, tepiditatem pellere, alacritatem in divinis obsequiis conferre, intellectum instruere, voluntatem roborare, divinum amorem in corde succendere, flammas illicitarum cupiditatum exstinguere, fastidium humanarum rerum atque odium peccati ingenerare atque ei quem possederit ac repleverit, novum fervorem, novum spiritum, novum animum ac nova desideria bene agendi infundere. Etenim sicuti Samson capillis praeditus, fortitudine omnes mortales anteibat, eisdem vero spoliatus, vires amittebat atque aliis hominibus imbecillitate similis erat: sic anima cujuslibet Christiani, hac devotione adjuta et recreata, fortis et robusta est; eadem vero privata, debilis et infirma.

Praestantissima vero laudum earum, quae in hanc virtutem congeri possunt, haec est: quod cum sit unica, omnium tamen ceterarum virtutum stimulus sit, hinc qui virtutum semitam expedite perambulare cupit, hanc sibi pro calcaribus adsciscat, nam sine illa rebelle ac petulans animal suum regere nequibit.

Ex his, quae diximus, liquido constat, in quo vera et essentialis devotionis essentia consistat; non enim in cordis teneritudine, aut consolationum affluentia, qua illi, qui meditationi operam dant, saepe reficiuntur, posita est, nisi ea fuerit conjuncta cum quadam promptitudine et alacritate animi, ad bene agendum; praesertim cum non [1] raro usu veniat, ut unum sine altero reperiatur, Deo sic ad probationem servorum suorum disponente. Quamvis inficiari nequeam, has consolationes a devotione atque animi promptitudine ad pias et praeclaras actiones obeundas, frequenter proficisci, atque e contrario per easdem consolationes ac gustus spirituales veram devotionem saepenumero non parum augmentari. Ac proinde servi Dei licite possunt desiderare ac petere consolationes, non propter delectationem, quam sibi conjunctam habent, sed quia devotionem, quae nos ad bene operandum alacres reddit, promovent, quod de se Propheta regius testatur (Ps. 118, 32): « *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* », hoc est: quando illud, consolationum tuarum, quae hujus promptitudinis causa exstiterunt, dulcedine recreasti.

Nunc de mediis, quibus haec devotionis virtus acquiri possit agamus, quae tractatio non parvam utilitatem adferet; cum enim virtus haec omnium aliarum virtutum stimulus sit, media per quae illa comparari possit tradere, nihil aliud est, quam media, per quae ceterae virtutes omnes conquiri possint, praescribere.

CAPUT II.

Novem media sive adjumenta, per quae virtus devotionis facilius acquiritur.

Ea quae devotionem promovent [2], plurima sunt, ex quibus nos pauca tantum delibabimus.

---

[1] Devotio in quo consistat.

[2] Devotionem adjuvant: exercitiorum continuatio.

Primo: Devotionem vehementer adjuvat: si exercitia haec animo magnanimo et parato ad omnia, quae ad pretiosam hanc margaritam consequendam pertinent, quantumvis ardua et difficilia sint, exsequenda et sustinenda suscipiantur. Nam certum est, nihil praeclarum esse, quod non etiam difficile sit, cujus generis et ipsa devotio est, maxime in principiis.

Secundo: Devotionem maxime promovet[1] cordis ab omni vana et inutili cogitatione, ab affectibus, ab amoribus peregrinis, a turbulentis et concitatis motibus diligens custodia; perspicuum enim est, unumquodque horum devotioni non parum impedimento esse; cum virtus haec vel maxime poscat cor quietum et ab omni inordinata affectione liberum, nec minus quam chordae in cithara compositum.

Tertio: Devotioni adjumento est[2] custodia sensuum: maxime oculorum, linguae et aurium; quandoquidem per haec cor maxime distrahitur. Ea namque, quae per oculos et aures ingrediuntur, mentem variis imaginibus depingunt, quae deinde pacem et tranquillitatem animae disturbant et evertunt. Quare non immerito quidam ajunt, contemplationis studiosum, surdum, caecum et mutum esse debere. Nam quo minus in ea, quae foris sunt, evagatus fuerit, eo intrinsecus majori tranquillitate ac recollectione gaudebit.

Quarto: Devotionem non mediocriter[3] adjuvat solitudo, siquidem non modo peccandi occasiones submovet, et causas, ob quas potissimum sensus distrahuntur, tollit, sed etiam hominem solitarium vehementer excitat, ut animum ab omnibus rebus sensibilibus avocet, secum habitet, cum Deo incessanter conversetur: ad quod loci opportunitas illum admonet, quae nullam aliam societatem praeter hanc admittit.

Quinto: Devotionem non mediocriter[4] nutrit lectio librorum piorum et spiritualium; eo quod materiam considerationi

---

[1] Cordis custodia.

[2] Custodia sensuum.

[3] Solitudo.

[4] Lectio librorum spiritualium.

subministrent, mentem a rebus creatis abstrahant, devotionem excitent et efficiant ut libenter istis considerandis inhaereat, quae suaviter in lectione gustavit, unde fit, ut ea, quibus cor abundat, ei saepius ad memoriam redeant.

Sexto: Devotionem fovet continua[1] Dei memoria et assidua praesentiae divinae cogitatio, quod videlicet conspectui ejus indesinenter assistas, cum frequenti usu brevium suspiriorum, quae D. Augustinus *Orationes jaculatorias* nuncupat. Nam hae domum mentis custodiunt et devotionis calorem conservant; quo fit, ut semper ad pia opera et Deum precandum expeditus et alacer sit. Est autem documentum hoc unum ex praecipuis spiritualis vitae instrumentis seu causis, ac solum fere ac unicum remedium iis, qui neque locum neque tempus habent, quod orationibus ac meditationibus longioribus impendant. Et vero, qui ad hoc laboris aliquid contulerint atque crebris aspirationibus operam dederint, exiguo tempore magnum profectum facient.

Septimo: Devotionem promovet perseverantia[2] in bonis exercitiis: ut videlicet tempora et loca stata sint, quae aequabiliter serventur; maxime tempus nocturnum et matutinum, quae ad orationem instituendam non parum opis ferre sacrae litterae passim testantur.

Octavo: Devotioni auxilio sunt[3] austeritates et abstinentiae corporales: abstinentia a cibis, mensa frugalis, lectus durior, cilicium, flagella et alia similia, quandoquidem uti e mentis devotione proveniunt, vel originem habent, ita non leviter incitant, conservant, fovent atque nutriunt radicem, e qua nata sunt, quae est devotio.

Nono: Ad devotionem plurimum conferunt[4] opera misericordiae, quia haec fiduciam nobis coram Deo apparendi et

---

[1] Continua Dei memoria. Usus orationum jaculatoriarum.

[2] Perseverantia.

[3] Austeritates corporales.

[4] Opera misericordiae.

divino conspectui assistendi augent; orationes nostras comitantur faciuntque, ne preces aridae appellari possint, ac denique promerentur, ut preces nostrae facilius a Deo suscipiantur, cum e corde pio ac misericordi prodeant.

CAPUT III.

Novem devotionis impedimenta.

Quemadmodum ea, quae devotionem promovent, novenario numero comprehendimus: ita etiam illa quae nos ab hujus virtutis possessione repellunt atque impedimento sunt, eodem numero definiemus.

Primum itaque devotionis [1] impedimentum est: Peccata non solum mortifera, sed etiam levia et venialia; haec enim quamvis charitatem prorsus non tollant, ejus tamen fervorem, qui cum devotione fere coincidit, debilitant et exstinguunt. Quapropter omni studio devitanda sunt, sin minus propter mala, quae secum adferunt, ut minimum propter bona, quae impediunt.

Secundum est [2]: Remorsus conscientiae, ab ipsis peccatis procedens, maxime, quando nimius est, quia mentem inquietat, capitis vires atterit et hominem ad bonas actiones ineptum atque inutilem reddit.

Tertium est [3]: Amaritudo sive angustia cordis et moeror inordinatus, quandoquidem cum his non facile consistere et concordare possunt voluptas et suavitas bonae conscientiae et spirituale internae mentis gaudium.

Quartum est: Nimiae [4] sollicitudines, quae ad instar praefectorum Aegyptiacorum, qui filios Israel immodicis laboribus

---

[1] Devotionem impediunt peccata, etiam venialia.

[2] Remorsus conscientiae.

[3] Amaritudo cordis.

[4] Sollicitudines nimiae.

premebant, animum inquietant: nec patiuntur ut somnum spiritualem, qui ex orationis frequenti usu et gustu provenit, capiat; imo tunc plus quam alias, eam turbant et a coeptis exercitiis longius abducunt.

Quintum [1]: Occupationum sive negotiorum multitudo, quae tempus omne tollunt: spiritum suffocant; neque homini ullam vel temporis vel quietis partem, qua Deo vacare possit, impertiuntur.

Sextum [2]: Voluptates et solatia sensuum. Haec namque insipidas reddunt exercitationes spirituales hominemque indignum faciunt, qui divinis consolationibus reficiatur; ut enim D. Bernardus ait: « Dignus non est Spiritus Sancti visitationibus, qui mundana solatia sectatur ».

Septimum: Delectatio [3] inordinata in manducando et bibendo, longae speciatim et sumptuosae coenae: quae hominem inutilem faciunt ad sacras vigilias et spiritualia exercitia. Etenim corpore multis escis gravato et immodice repleto, spiritus minus libere in sublime ferri atque levari potest.

Octavum est [4]: Curiositas tum sensuum, tum intellectus, cujusmodi est velle audire, videre ac scire novos rumores, quia haec tempus pretiosissimum auferunt, animum perturbant ac mentem in multa dispergunt, sicque devotioni plurima impedimenta objiciunt.

Nonum est [5]: Levis solitorum exercitiorum intermissio, praeterquam cum omittuntur aut differuntur ob causam aliquam piam et justam necessitatem, quia nimium delicatus est spiritus devotionis, qui cum semel recesserit, non revertitur, aut certe magna cum difficultate. Quare quemadmodum arbores suis temporibus irrigari opus habent, quae irrigatio si diu-

---

1 Occupationes.
2 Voluptates sensuum.
3 Inordinata delectatio in cibo et potu.
4 Curiositas sensuum.
5 Levis exercitiorum intermissio.

tius quam par est, differatur, statim exsiccantur et pereunt: sic etiam devotio, nisi continuo aquis piarum meditationum irrigetur, facile perit.

Haec breviter et summatim tantummodo perstrinximus, ut facilius memoria retineri possint, quorum uberior explicatio ipso usu atque experientia haberi poterit.

CAPUT IV.

De tentationibus vulgatioribus, quibus meditationum studiosi ut plurimum molestari solent, nec non de remediis earum.

Videndum nunc, quibus fere tentationibus impetantur ii, qui orationis et meditationis exercitia frequentant, ut de convenientibus remediis illis provideamus.

Tentationes illorum hae fere sunt:

Consolationum spiritualium absentia.

Cogitationum inutilium turba.

Cogitationes infidelitatis et blasphemiae.

Diffidentia de profectu.

Nimia propriae sanctitatis praesumptio.

His ut plurimum tentationibus infestantur hujus vitae sectatores, de quarum remediis deinceps tractabimus.

De prima tentatione et remediis ejus.

Primo igitur, cui spirituales consolationes desunt, hoc remedium est. Ne propterea solita orationis exercitia, quamvis illi insipida et nullius utilitatis esse videantur, omittat, sed ante praesentiam Dei se constituat, atque ad eum uti reus et multorum criminum affinis accedat, conscientiae latebras diligenter excutiat et consideret, an suam ob culpam hujus gratiae jacturam fecerit; ac Dominum magna cum fiducia roget, ut hanc sibi noxam condonet, atque in se inaestimabiles

divitias patientiae suae manifestet, sustinendo et indulgendo illi, qui eum tantummodo irritare novit, praeterea nihil.

Hoc pacto fructum non parvum capiet ex ariditate sua, sumendo inde occasionem, vel profundioris humilitatis, dum malitiam suam et perversitatem in peccatis cumulandis conspicit; vel ardentioris dilectionis, dum divinam bonitatem in iisdem condonandis attendit. Et quamvis nullam prorsus in suis exercitiis sentiat voluptatem, non tamen idcirco ab eorum continuatione se abstineat; quia non est necessarium ut sapidum et suave gustatui sit quod utile futurum est; praesertim[1] cum experientia saepe comprobatum sit, eos qui in exercitiis ac meditationibus suis perseverant, easque etiam ariditatis tempore non deserunt, sed cum attentione et cura qua possunt illa continuant, saepe multis consolationibus et gaudio spirituali refectos abscedere, dum se quidquid potuerunt egisse recordantur. Magnae virtutis non est posse orationem longo temporis spatio protrahere, dum consolationibus divinis quis affluit; sed tum quando illae subtrahuntur, eandem non deserere, sed aequo animo omnem hanc derelictionem sustinere, hoc praeclarae cujusdam virtutis indicium est. In hoc enim elucescit humilitas, eminet patientia, ac demum vera in bonis operibus perseverantia declaratur.

Ceterum necessarium est, ariditatis tempore majorem sui curam et sollicitudinem gerere; super sui custodia diligentius invigilare; conscientiam sincerius discutere; ac omnes cogitationes, verba, et actiones accuratius observare. Etenim cum tunc alacritas et laetitia spiritualis (quae est hujus navigationis principalis remus) absit, diligentiori sollicitudine ac vigilantia defectus gratiae supplendus est. In hoc rerum statu cum te constitutum animadverteris, existimare debebis, uti S. Bernardus monet, excubias, quae tibi praesidio erant, sopore oppressas esse, atque muros, qui te tutabantur, conci-

[1] Praemium eorum, qui etiam ariditatis tempore capta exercitia non deserunt.

disse; ac proinde totam salutis tuae spem in armis consistere, quippe cui nihil amplius in muro prostrato spei reliquum sit; sed armata dextera salus quaerenda sit. O quam eximia illam animam sequitur gloria, quae hoc pacto praeliatur et de hoste triumphat; quae sine scuto certamen init, quae sine umbraculo manus cum hoste conserit, quae sine adjutorio fortis est, et quae cum sola praelium sustineat, animum sibi tamen ac vires assumit, quasi multis auxiliariis copiis circumcincta foret.

Haec est potissima probatio, qua bonitas ac sinceritas amicorum Dei cognoscitur, quaque veri a falsis secernuntur.

Tentationis secundae remedia.

Contra tentationem importunarum atque inutilium cogitationum, quae se orantibus confertim objicere, eisque non parvam molestiam facessere solent, hoc remedium est. Fortiter illis reluctari, nec pati ut nostri dominentur; ubi tamen cavendum est, ne ista reluctatio sit cum magno labore, atque angustia spiritus conjuncta; cum opus hoc non tam dependeat a nostris viribus, quam gratia divina, ac profunda humilitate [1]. Quocirca cum hac tentatione quis impetitur, ad Deum se sine scrupulo aut mentis anxietate convertat (quandoquidem hic culpa nulla est, aut certe levissima) et cum magna submissione ac cordis devotione dicat: Ecce, Domine, aspice, quid ego sim? Quid aliud sperari potest ex hoc olenticeto, quam hujuscemodi odores? Quis alius fructus ex hac terra, cui tu in mundi nascentis exordio maledixisti, exspectari potest, quam tribuli et spinae? Quid boni proferre potest, nisi tu, Domine, illam ab omni malo germine mundaveris? Hoc dicto ad meditationis filum continuandum redeat; et Domini visitationem, qui humilibus nunquam deest, patienter exspectet; quodsi ne sic quidem cogitationum tumultus quieverit, nihilominus con-

---

[1] Quid agendum in cogitationum importunitate.

stanter ac perseveranter resistat, ac pro virili earum impetum repellat. Ex hac namque perseveranti lucta, majus (mihi credat) lucrum et meritum referet, quam si summis etiam consolationibus in meditatione perfruitus fuisset.

Tertiae tentationis remedia.

Ad tentationem cogitationum blasphemiae superandam, sciendum est, sicuti nullum [1] tentationis genus piae menti molestius est, ita nullum minus periculosum esse; itaque convenientissimum adversus illud remedium est, hujusmodi cogitationes contemnere. Etenim cum peccatum non in sensu, sed in delectatione ex cogitationibus percepta consistat, in hac autem cogitationum blasphemarum tentatione, nulla insit voluptas, imo potius ingens molestia, idcirco potius poenae quam culpae nomen meretur. Et quanto amplius homo in hac tentatione ab omni gaudio et voluptate destituitur, tanto longius ab omni crimine recedit. Quocirca optimum contra eam remedium est, cogitationes hujusmodi insurgentes non formidare, sed aspernari, et pro nihilo putare, quia quando valde metuuntur, ipse timor eis plerumque vires addit et fortiores facit.

Quartae tentationis remedia.

Contra tentationes infidelitatis remedium est: ut qui talibus cogitationibus molestatur, ex una quidem parte humanae conditionis humilitatem et imbecillitatem, ex altera vero divini numinis magnitudinem ac potestatem, cui nihil impossibile est, sibi proponat; illa quae Deus praecipit semper cogitet, in divinis vero operibus curiose contemplandis et investigandis, ab omni curiositate se abstineat; quandoquidem illorum fere minima nostrae intelligentiae capacitatem plurimum excedunt [2].

---

[1] Tentationes cogitationum blasphemiae cur contemnendae sint.

[2] In divinis operibus considerandis qua cautela utendum sit.

Quare is qui hoc divinorum operum sanctuarium ingredi cupit, summa cum humilitate ac reverentia ingrediatur, atque oculis praeditus sit columbae simplicis, non callidi serpentis; et cor gerat discipuli, non judicis temerarii. Similitudinem pueri assumat, tales enim Dominus secretorum suorum participes facit. Non curet divinorum operum causas scrutari aut nosse, oculos rationis claudat, ac fidei tantum oculos aperiat; hi namque sunt manus quibus opera Dei tractanda sunt. Ad humana opera contemplanda satis boni lucidi ac perspicaces sunt oculi rationis humanae; at pro divinis contuendis minime sufficiunt, cum tantae lucis capaces non sint. Haec tentatio cum sit una ex earum genere, quae homini molestissimae sunt, ac nihil paene delectationis adjunctum habent, eodem remedio curanda erit, quo praecedens: nimirum ut nihil pendatur, cum magno aliquo crimine, propter molestiam quam secum adducit, animam contaminare non possit; etenim ubi voluntas contraria est, ibi crimen nullum est, uti paulo ante declaravimus.

Quintae tentationis remedia.

Sunt nonnulli qui magno timore et plurimis phantasiis turbantur, quando nocte adituri sunt loca secreta, et ab hominum consortio separata ad orandum. Cui tentationi nullum efficacius est remedium, quam si homo forti sit animo, et in exercitio perseveret; hic enim timor non fugiendo, sed pugnando vincitur, si praeterea consideret neque diabolum, nec aliud quidcunque nobis nocere posse, nisi Deus permiserit, si denique secum expendat, angelica nos custodia circumseptos esse, qui majorem nostri curam habent intra, quam extra orationem, quique nos in precibus adjuvant, preces nostras suscipiunt, ad caelos deferunt, atque omnes inimici nos impedire conantis molitiones impediunt.

Sextae tentationis remedia.

Ad somnum, qui multis orationis tempore molestus esse solet, superandum [1] considerare debemus, illum nonnunquam ex necessitate proficisci; et tum corpori non est denegandum quod suum est, ne vicissim impediat, quod nostrum est. Aliquando ex infirmitate, et tum cavendum est, ne quis nimium turbetur seque affligat, cum nulla hic subsit culpa; sed modeste quantum vires patiuntur, resistat, nunc utendo industria, nunc aliquali violentia, ne omnino pereat oratio, sine qua vix aliquid in hac vita haberi potest securum. Quandoque prodit ex ignavia, aut a diabolo immittitur, et tum non est aliud melius remedium, quam vinum sibi interdicere, aqua etiam non nisi permodica, quae videlicet ad restinguendam sitim sufficiat, uti; genibus flexis, aut alio corporis situ corpus fatigante orare; flagello aut alia corporali austeritate, quae somnum ab oculis excutiat, carnem affligere. Denique maximum huic malo, sicut et ceteris omnibus remedium est, opem ab illo petere qui paratus est semper dare, modo sint qui ferventer et perseveranter petant.

Septimae tentationis remedia.

Contra tentationes diffidentiae et praesumptionis, cum inter sese contrariae sint, contraria etiam necessarium est adhibere remedia. Diffidentiae remedium est: Considerare quod non nostris duntaxat viribus, sed divinae maxime gratiae innitamur, quae tanto homini paratior est, quanto magis de seipso ac viribus suis diffidens, in sola Dei bonitate cui nihil est impossibile, spem suam collocat.

Praesumptionis remedium est: Considerare nullum certius atque evidentius argumentum esse, hominem adhuc longe a

[1] Somnolentia in oratione triplici ex causa ortum habet.

vera sanctitate abesse, quam si jam se proximum ei factum esse credat.

Ad haec contemplari se in vitis Sanctorum cum Christo jam regnantium, aut aliorum adhuc viventium tamquam in speculo; cum his enim si se contulerit, animadvertet se cum illis compositum nihilo plus esse, quam nanum giganti collatum; quae consideratio superbiam illius facile deprimet.

Octavae tentationis remedia.

Contra inordinatam sciendi et studendi cupiditatem remedium est considerare quantum virtus excellat scientiam; et quantum divina sapientia prudentiam superet humanam [1]. Ex quo cognoscet homo, quam sit rationi consentaneum, plus laboris et temporis impendere uni, quam alteri. Praeterea habeat mundi sapientia omnem quae desiderari possit excellentiam, non potest tamen hanc unam miseriam effugere, ut cum vita non pereat. Quid igitur miserabilius, quam tot impensis et sudoribus acquirere quod tam cito periturum est? Omnia quae in hoc mundo sciri possunt, tamquam nihil sunt; ideoque multo utilius fuerit exercere se in divino amore, cujus fructus semper durant, et in quo omnia videmus et cognoscimus. Denique in die judicii non interrogabimur quid legerimus, sed quid fecerimus; nec quam polite locuti fuerimus, sed quam bene vixerimus.

Nonae tentationis remedia.

Contra indiscretum aliis succurrendi zelum [2] praecipuum remedium est, ita proximorum intendere utilitati, ut tamen nobismetipsis non obsimus; et ita curare negotia conscientiae aliorum, ut propria non negligamus, sed iis curandis tantum

---

[1] Divina sapientia in immensum prudentiam superat humanam.

[2] Proximorum salus ita curanda est, ut nostram non negligamus.

temporis reservemus quantum satis est ad conservandum cor in devotione et abstractione. Atque hoc est (uti S. Paulus inquit) *ambulare in spiritu*, id est, ut homo magis sit in Deo quam in semetipso. Cum igitur principium et radix omnium bonorum nostrorum hinc dependeat, eniti debemus, ut oratio nostra tam prolixa profundaque sit, ut cor in hac devotione atque abstractione semper continere valeat. Ad quod opus est non qualicunque oratione, sed longa et profunda.

His ex « *Libello aureo* » S. Petri de Alcantara (— « Tractatus de oratione et meditatione » —) ad verbum transcriptis hujus primae partis « Introductionis ad vitam Seraphicam » finem facimus cum sententia S. P. N. Francisci :

« *Deus meus et omnia* »*!*

FINIS PRIMAE PARTIS.